


De Nova Hierosolyma et ejus Doctrina Caelesti

EX AUDITIS E CAELO

QUIBUS PRAEMITTITUR ALIQUID DE

"NOVO CAELO ET NOVA TERRA"

OPUS

EMANUELIS SWEDENBORG

CUJUS EDITIO PRINCEPS EXIIT LONDINI, MDCCLVIII.

NEW YORK

AMERICAN SWEDENBORG PRINTING AND PUBLISHING SOCIETY

20 COOPER UNION

MDCCCLXXXV

PRAEFATIUNCULA EDITORIS.

In hoc opusculo, non aliter quam in editione operum aliorum nostra, grandes litteras parcius usurpavimus. Verborum quidem interpunctiones ad certam normam redigere conati, non mutavimus ubi periculum ne sententiae summutarentur. Quaerens quomodo singulae litterae singulaque interpunctionis signa ab auctore scripta sint, editionem principem perscrutetur.

Contenta hujus opusculi, ex autographo auctoris, nunc primum dantur.

Epistolium, errata typographica designans, quod auctor ad vulgatorem librorum suorum Anglice scripsit, ex apographo photolithographico, nunc sequitur:—

"*Mr. Lewis,*
in Paternoster Row, near Cheapside:
I have read over the five treatises lately printed and found some errours therein, to be mended. Please to print them, ... and put them to the treatises to which they belong. Please let Mr. Joh. Marchant correct them, that they may be correctly printed; 1000 *of each are to be printed.*"

Mandata auctoris exsequentes, verba nonnulla, vitio typothetae omissa, articulo n. 125 restituimus; errata etiam typographica plura correximus.

SAMUEL H. WORCESTER.

BRIDGEWATER, MASS., *Aprilis,* 1885.

CONTENTA.

MATTH. VI. 33:

"Quaerite . . primo Regnum Dei . . . , et . . omnia adjicientur vobis."

DE NOVA HIEROSOLYMA ET EJUS DOCTRINA CAELESTI.

De Novo Caelo et Nova Terra; et quid per "Novam Hierosolymam" intelligitur.

1. DICITUR in *Apocalypsi*,

"Vidi caelum novum et terram novam, primum enim caelum et prima terra transierant.... Et...vidi sanctam illam civitatem Hierosolymam Novam, descendentem a Deo e caelo, paratam ut sponsam..coram viro suo." ....Civitas "habebat murum magnum et altum, qui habebat portas duodecim, et in portis angelos duodecim, et nomina inscripta, quae sunt nomina duodecim tribuum..Israelis. ....Et murus civitatis habebat fundamenta duodecim, in quibus duodecim nomina apostolorum Agni. ....Ipsa civitas quadrangularis sita est, cujus longitudo tanta erat quanta latitudo. Et mensus est civitatem calamo ad stadiorum duodecim millia; et erant longitudo et latitudo et altitudo ejus aequales. Et mensus est murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis, quae est angeli. ..Erat murus ejus ex jaspide, ipsa vero civitas aurum purum, simile vitro puro: et fundamenta muri civitatis ex omni lapide pretioso..... Duodecim portae duodecim margaritae erant;...et platea civitatis aurum purum tanquam vitrum pellucidum. ....Gloria Dei illustrabat illam, et lucerna ejus erat Agnus. ....Gentes quae servatae fuerunt, ambulabunt ad lucem ejus, et reges terrae gloriam suam et honorem suum ad illam afferent" (cap. xxi. 1, 2, 12–24).

Homo qui haec legit, non aliter illa intelligit quam secundum sensum litterae; nempe, quod periturum sit caelum aspectabile cum terra, et novum caelum exstiturum, et quod super novam terram descensura sit sancta civitas Hierosolyma, et quod illa futura sit quoad suas mensuras secundum descriptionem. Sed angeli prorsus aliter illa intelligunt, nempe, singula spiritualiter quae homo naturaliter; et sicut angeli intelligunt, ita significant illa; et

is est sensus internus seu spiritualis Verbi. Per "novum caelum et novam terram," in sensu interno seu spirituali, in quo sunt angeli, intelligitur nova ecclesia tam in caelis quam in terris; (de ecclesia utrobivis dicetur infra;) per "civitatem Hierosolymam descendentem a Deo e caelo" intelligitur caelestis ejus doctrina; per "longitudinem," "latitudinem" et "altitudinem," quae aequales, intelliguntur omnia bona et vera illius doctrinae in complexu; per "murum" ejus intelliguntur vera tutantia illam; per "mensuram muri," quae "centum quadraginta quatuor cubitorum," quae "mensura hominis quae est angeli," intelliguntur omnia illa vera tutantia in complexu, et quale eorum; per "duodecim portas," quae ex margaritis, intelliguntur vera introducentia; similiter per "duodecim angelos in portis;" per "fundamenta muri," quae "ex omni lapide pretioso," intelliguntur cognitiones super quibus doctrina illa fundatur; per "duodecim tribus Israelis" intelliguntur omnia ecclesiae in genere et in specie; similia per "duodecim apostolos;" per "aurum simile vitro puro," ex quo civitas et platea, intelligitur bonum amoris ex quo pellucet doctrina cum suis veris; per "gentes" quae servatae, et per "reges terrae" qui gloriam et honorem in illam afferent, intelliguntur omnes ab ecclesia qui in bonis et veris sunt; per "Deum" et "Agnum" intelligitur Dominus quoad ipsum Divinum et Divinum Humanum. Talis est sensus spiritualis Verbi, cui sensus naturalis, qui est sensus litterae, inservit pro basi; sed usque bini illi sensus, spiritualis et naturalis, unum faciunt per correspondentias. Quod talis intellectus spiritualis insit omnibus illis, non vacat hic ostendere, quia non hujus operis est; sed ostensa videantur in *Arcanis Caelestibus*, in sequentibus his locis:—

Quod in Verbo per "terram" significetur ecclesia, imprimis ubi per "terram" intelligitur Terra Canaan (n. 662, 1066, 1067, 1262, 1413, 1607, 2928, 3355, 4447, 4535, 5577, 8011, 9325, 9643): quia in spirituali sensu per "terram" intelligitur gens quae ibi, et ejus cultus (n. 1262). "Populus terrae," quod sint qui ab ecclesia spirituali (n. 2928).

Quod "novum caelum et nova terra" significent novum in caelis

et in terris quoad bona et vera, ita quoad illa quae sunt ecclesiae utrobivis (n. 1733, 1850, 2117, 2118, 3355, 4535, 10373).

(Quid intelligitur per "primum caelum et primam terram" quae transiverant, videatur in opusculo *De Ultimo Judicio et Babylonia destructa*, a principio ad finem; et in specie ibi, n. 65–72.)

Quod per "Hierosolymam" significetur ecclesia quoad doctrinam (n. 402, 3654, 9166). Quod per "urbes" et "civitates" significentur doctrinae, quae ecclesiae et religionis (n. 402, 2450[? 2449], 2712, 2943, 3216, 4492, 4493). Quod per "murum civitatis" significetur verum doctrinae tutans (n. 6419). Quod per "portas urbis" significentur vera introducentia ad doctrinam, et per doctrinam in ecclesiam (n. 2943, 4478[? 4477], 4492, 4493).

Quod per "duodecim tribus Israelis" repraesentata fuerint, et inde significata, omnia vera et bona ecclesiae in genere et in specie, ita omnia fidei et amoris (n. 3858, 3926, 4060, 6335).

Quod per "duodecim apostolos Domini" similia (n. 2129, 2329[? 3272], 3354, 3488, 3858, 6397).

Quod de apostolis dicatur quod "sessuri super duodecim thronis, et judicaturi duodecim tribus Israelis," significetur quod omnes secundum vera et bona ecclesiae judicandi sint, ita a Domino a quo illa (n. 2129, 6397).

Quod per "duodecim" significentur omnia in complexu (n. 577, 2089, 2129, 2130, 3272, 3858, 3913). Quod simile per numerum "centum quadraginta quatuor," quia est numerus multiplicatus per duodecim in duodecim (n. 7973): quod etiam simile per "duodecim millia" (n. 7973).

Quod omnes numeri in Verbo significent res (n. 482, 487, 647, 648, 755, 813, 1963, 1988, 2075, 2252, 3252, 4264, 6175, 9488, 9659, 10217, 10253). Quod numeri multiplicati simile significent cum simplicibus a quibus per multiplicationem exsurgunt (n. 5291, 5335, 5708, 7973).

Quod per "mensuram" significetur quale rei quoad verum et bonum (n. 3104, 9603, 10262).

Quod per "fundamenta muri" significentur cognitiones veri super quibus doctrinalia fundantur (n. 9642[? 9643]).

Quod per "quadrangulare" seu "quadratum" significetur perfectum (n. 9717, 9861).

Quod per "longitudinem" significetur bonum et ejus extensio, et per "latitudinem" verum et ejus extensio (n. 1613, 9487).

Quod per "lapides pretiosos" significentur vera ex bono (n. 114, 9863, 9865). Quid per "lapides pretiosos" in Urim et Thummim in genere et in specie (n. 3862, 9864, 9866, 9905, 9891, 9895). Quid per "jaspidem," ex quo murus (n. 9872).

Quod per "plateam civitatis" significetur verum doctrinae ex bono (n. 2336).

Quod per "aurum" significetur bonum amoris (n. 113, 1551, 1552, 5658, 6914, 6917, 9510, 9874, 9881).

Quod per "gloriam" significetur Divinum Verum quale est in caelo, et inde intelligentia et sapientia (n. 4809, 5292[? 5068], 5922, 8267, 8427, 9429, 10574).

Quod per "gentes" significentur illi in ecclesia qui in bono sunt, et inde abstracte bona ecclesiae (n. 1059, 1159, 1258, 1260, [1261,] 1288[? 1285], 1416, 1849, 4574, 7830, 9255, 9256).

Quod per "reges" significentur illi in ecclesia qui in veris sunt, et inde abstracte vera ecclesiae (n. 1672, 2015, 2069, 4575, 5044). Quod ritualia circa coronationes regum involvant talia quae sunt Divini

Veri (de quibus); sed quod cognitio de illis hodie perierit (n. 4581, 4966).

2. Antequam de Nova Hierosolyma et ejus Doctrina agitur, aliquid de Novo Caelo et de Nova Terra dicetur. In opusculo *De Ultimo Judicio et Babylonia destructa*, ostensum est quid intelligitur per "primum caelum et primam terram" quae transiverant; quae postquam transierant, ita postquam ultimum judicium peractum est, novum caelum a Domino creatum, hoc est, formatum est. Hoc caelum formatum est ab omnibus illis qui post adventum Domini ad hoc usque tempus vitam fidei et charitatis vixerunt, quoniam hi solum erant formae caeli; nam forma caeli, secundum quam omnes consociationes et communicationes ibi fiunt, est forma Divini Veri ex Divino Bono procedente a Domino, et hanc formam induit homo quoad spiritum suum per vitam secundum Divinum Verum. (Quod forma caeli inde sit, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 200–212; et quod omnes angeli sint formae caeli, n. 51–58, et 73–77.) Ex his sciri potest ex quibus novum caelum factum est, inde etiam quale est, quod nempe prorsus unanimum; nam qui vitam fidei et charitatis vivit, is amat alterum sicut semet, et per amorem conjungit eum sibi, et sic vicissim et mutuo: nam amor est conjunctio in spirituali mundo; quare cum omnes similiter faciunt, tunc ex pluribus, immo ex innumeris consociatis secundum formam caeli, existit unanimum, et fit sicut unum; nihil enim est quod separat et dividit, sed omne conjungit et unit.

3. Quia hoc caelum formatum est ab omnibus qui tales fuerunt, usque a tempore Domini ad praesens tempus, constat quod tam a Christianis quam a gentibus; sed quoad maximam partem ab omnium infantibus in universo terrarum orbe qui obiverunt a tempore Domini, nam hi omnes recepti sunt a Domino, et educati in caelo, ac instructi ab angelis, et dein conservati, ut novum caelum una cum reliquis constituerent: inde concludi potest quam magnum est id caelum. (Quod omnes qui infantes moriuntur, educentur in caelo, et

fiant angeli, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 329–345: et quod caelum formetur aeque a gentibus quam a Christianis, n. 318–328.)

4. Porro quod novum hoc caelum attinet, sciendum est quod id distinctum sit a caelis antiquis, qui nempe fuerunt ante adventum Domini; sed usque illi cum hoc ita ordinati sunt ut unum caelum simul constituant. Quod hoc novum caelum distinctum sit a caelis antiquis, est causa, quia in antiquis ecclesiis non alia doctrina fuit quam doctrina amoris et charitatis, et tunc non sciverunt de aliqua doctrina fidei separatae: inde quoque est quod antiqui caeli constituant expansa superiora, novum autem caelum expansum infra illos; nam caeli sunt expansa unum supra alterum. In supremis expansis sunt qui angeli caelestes vocantur, quorum plerique sunt ex Antiquissima Ecclesia; illi qui ibi, angeli caelestes vocantur, ex amore caelesti, qui est amor in Dominum: in expansis sub illis sunt qui angeli spirituales dicuntur, quorum plerique sunt ex Antiqua Ecclesia; illi qui ibi, angeli spirituales dicuntur, ex amore spirituali, qui est charitas erga proximum: sub his sunt angeli qui in bono fidei sunt, qui sunt qui vitam fidei vixerunt; vitam fidei vivere, est secundum doctrinam suae ecclesiae; at vivere est velle et facere. At usque omnes illi caeli unum faciunt per influxum mediatum et immediatum a Domino. (Sed plenior idea de his caelis haberi potest ex illis quae in opere *De Caelo et Inferno* ostensa sunt, et ibi in articulo de duobus Regnis in quae Caeli in genere distincti sunt, n. 20–28, et in articulo de tribus Caelis, n. 29–40; de Influxu mediato et immediato, in Collectis ex *Arcanis Caelestibus*, post n. 603: et de Ecclesiis Antiquissima et Antiqua, in opusculo *De Ultimo Judicio et Babylonia destructa*, n. 46.)

5. Haec de Novo Caelo; nunc aliquid de Nova Terra dicetur. Per "novam terram" intelligitur nova ecclesia in terris, nam cum prior ecclesia desinit esse, tunc instauratur a Domino nova: providetur enim a Domino ut semper ecclesia sit in terris, nam per ecclesiam est conjunctio Domini cum humano genere ac caeli cum mundo, ibi enim est Dominus notus, et ibi sunt Divina vera per quae homo conjungitur: quod hodie nova ecclesia instau-

retur, videatur in opusculo *De Ultimo Judicio* (n. 74). Quod nova ecclesia per "novam terram" significetur, est ex sensu spirituali Verbi; in eo enim sensu non aliqua terra per "terram" intelligitur, sed ipsa gens ibi et ejus cultus Divinus, hoc enim est spirituale loco "terrae:" praeterea per "terram" absque adjuncto nomine regionis in Verbo Terra Canaan intelligitur; et in Terra Canaane ecclesia fuerat ab antiquissimis temporibus, unde factum est quod omnia loca quae ibi fuerunt, et quae undiquaque circumjacuerunt, cum montibus et fluviis, quae in Verbo nominantur, facta sint repraesentativa et significativa talium quae sunt interna ecclesiae, quae sunt quae vocantur ejus spiritualia; inde est quod, ut dictum est, per "terram" in Verbo, quia intelligitur Terra Canaan, significetur ecclesia; similiter hic per "novam terram." Ex hoc venit quod receptum sit in ecclesia dicere "Canaan caelestis," ac per illud intelligere caelum.

Quod per "Terram Canaan" in Verbi sensu spirituali intelligatur ecclesia, ostensum est variis in *Arcanis Caelestibus*, ex quibus sequentia afferentur:—

Quod Antiqussima Ecclesia, quae fuit ante diluvium, et Antiqua Ecclesia, quae fuit post diluvium, fuerint in Terra Canaane (n. 567, 3686, 4447, 4454, 4516, 4517, 5136, 6516, 9327[? 9325]).

Quod tunc omnia loca facta sint repraesentativa talium quae sunt in regno Domini et ecclesia (n. 1505[? 1585], 3686, 4447, 5136.

Quod ideo Abraham illuc ire jussus sit, quoniam apud posteros ejus ex Jacobo ecclesia repraesentativa institueretur, ac Verbum conscriberetur, cujus sensus ultimus constaret ex repraesentativis et significativis quae ibi (n. 3686, 4447, 5136, 6516).

Inde est quod per "terram" et per "Terram Canaanem" in Verbo significetur ecclesia (n. 3038, 3481, 3705, 4447, 4517, 5757, 10658[? 10568]).

6. Quid per "Hierosolymam" in Verbo in ejus sensu spirituali intelligitur, etiam paucis dicetur. Per "Hierosolymam" intelligitur ipsa ecclesia quoad doctrinam; et hoc ex causa, quia ibi in Terra Canaan, et non alibi, Templum erat, altare erat, sacrificia fiebant, ita ipse cultus Divinus; quare etiam tria festa quotannis ibi celebrabantur, et ad illa omnis masculus totius terrae mandatus

est ire: inde nunc est quod per "Hierosolymam" in sensu spirituali significetur ecclesia quoad cultum; seu, quod idem, quoad doctrinam; nam cultus praescribitur in doctrina, ac fit secundum illam. Quod dicatur, "Sancta civitas, Hierosolyma Nova, descendens a Deo e caelo," est quia in sensu Verbi spirituali per "civitatem" et "urbem" significatur doctrina, ac per "sanctam civitatem" doctrina Divini Veri, nam Divinum Verum est quod vocatur "sanctum" in Verbo: quod dicatur "Hierosolyma Nova," est ex simili causa ex qua "terra" dicitur "nova;" nam, ut mox supra dictum est, per "terram" significatur ecclesia, et per "Hierosolymam" illa ecclesia quoad doctrinam: quod dicatur, "a Deo e caelo descendens," est quia omne Verum Divinum, ex quo doctrina, descendit e caelo a Domino. Quod per "Hierosolymam" non intelligatur civitas, tametsi ut civitas visa est, patet manifeste ex eo, quod dicatur

Quod altitudo ejus esset sicut longitudo et latitudo, duodecim millia stadiorum ([*Apoc.* xxi.] vers. 16);
Et quod mensura muri ejus, quae centum quadraginta quatuor cubitorum, esset mensura hominis, quae est angeli (vers. 17):

tum quod dicatur,

"Parata ut sponsa coram viro suo" (vers. 2);

et postea dixit angelus,

"Veni, ostendam tibi sponsam, uxorem Agni: ....et ostendit mihi civitatem..sanctam illam Hierosolymam" (vers. 9[, 10]):

ecclesia est quae in Verbo vocatur "sponsa" et "uxor" Domini; "sponsa" antequam conjungitur, et "uxor" cum conjuncta est (videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 3103, 3105, 3164, 3165, 3207, 7022, 9182).

7. Quod in specie Doctrinam concernit, quae nunc sequitur, est quoque illa ex caelo, quia est ex sensu spirituali Verbi, et sensus spiritualis Verbi est idem cum doctrina quae est in caelo: in caelo enim aeque ac in terra est ecclesia; est enim ibi Verbum, est doctrina ex Verbo, sunt ibi templa, et in illis fiunt praedicationes, nam sunt

ibi regimina ecclesiastica et civilia ; verbo, non alia intercedit differentia inter illa quae in caelis sunt et inter illa quae in terris, quam quod omnia in caelis in statu perfectiori sint, quia omnes qui ibi spirituales sunt, et spiritualia immensum excedunt naturalia perfectione. (Quod in caelis talia sint, videatur in opere *De Caelo et Inferno* ubivis, in specie in articulo De Regiminibus in Caelo, n. 213–220; et in articulo De Cultu Divino ibi, n. 221–227.) Ex his constare potest quid intelligitur per quod "sancta civitas, Nova Hierosolyma, visa sit descendere a Deo e caelo." Sed accedam ad ipsam *Doctrinam*, quae pro nova ecclesia; quae, quia mihi revelata est e caelo, *Doctrina Caelestis* vocatur: nam hanc dare, hujus operis institutum est.

PROLOGUS AD DOCTRINAM.

8. Quod finis ecclesiae sit, quando nulla fides quia nulla charitas, ostensum est in opusculo *De Ultimo Judicio et Babylonia destructa* (n. 33–39, seq.). Quia nunc ecclesiae in Christiano orbe se distinxerant solum per talia quae fidei sunt, et usque fides nulla est ubi non charitas, ideo velim hic, ante ipsam Doctrinam, praemittere aliqua de doctrina charitatis apud antiquos. Dicitur, *ecclesiae in Christiano orbe*, et per illas intelliguntur ecclesiae apud Reformatos seu Evangelicos, non autem apud Pontificios, quoniam ibi non Ecclesia Christiana est; nam ubi ecclesia, ibi adoratur Dominus et legitur Verbum: aliter apud illos; ibi adorantur ipsi loco Domini, et Verbum inhibetur legi a populo, ac dictamen Papae ponitur ei aequale, immo supra id.

9. Doctrina charitatis, quae est doctrina vitae, fuit ipsa doctrina in Antiquis Ecclesiis (de quibus ecclesiis videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 1238, 2385); et illa doctrina conjunxit omnes ecclesias, ac ita ex pluribus unam fecit: pro hominibus enim ecclesiae agnoverunt omnes illos qui in bono charitatis vixerunt, et vocaverunt fratres, utcunque praeterea in veris, quae hodie fidei dicuntur, discreparent; in his unus alterum instruxit, quod erat inter opera eorum charitatis; et quoque non indignati sunt si unus ad alterius sententiam non accederet, scientes quod quisque tantum veri recipiat quantum in bono est. Quia tales fuerunt Antiquae Ecclesiae, idcirco interiores homines fuerunt; et quia interiores, fuerunt sapientiores: nam qui in bono amoris et charitatis sunt, illi quoad internum hominem in caelo sunt, et ibi quoad illum in societate angelica quae in simili bono; inde elevatio mentis eorum ad interiora, et consequenter illis sapientia; aliunde enim sapientia non venire potest quam e caelo, hoc est, per caelum a Domino; ac in caelo est sapientia, quia ibi in bono sunt: sapientia est videre verum ex luce veri, et lux veri est lux quae in caelo est. Sed sapientia illa antiqua successu temporis decrevit; quantum enim genus humanum a bono amoris in Dominum, et amoris erga proximum, qui amor vocatur charitas, se removit, tantum etiam a sapientia, quia tantum se removit a caelo: inde est quod homo ab interno factus sit externus, et hoc successive; et cum homo factus est externus, etiam factus est mundanus et corporeus; et cum talis est, parum curat quae caeli sunt, nam tunc occupant illum totum jucunda amorum terrestrium, et cum illis mala, quae homini ex amoribus illis jucunda sunt: et tunc illa quae audit de vita post mortem, de caelo et inferno, verbo de spiritualibus, sunt quasi extra

illum et non intra illum, ut tamen oportet esse. Inde quoque est quod doctrina charitatis, quae tanti pretii fuerat apud antiquos, hodie inter res deperditas sit: quis enim hodie novit quid in genuino sensu est charitas, et quid in genuino sensu est proximus? cum tamen illa doctrina non modo id docet, sed insuper innumera, quorum non millesima pars hodie scitur. Tota Scriptura Sacra non aliud est quam Doctrina Amoris et Charitatis; quod etiam Dominus docet, dicendo,

> "Amabis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua; hoc est primarium et magnum mandatum: . . secundum simile est illi, Amabis proximum tuum sicut te ipsum: ex his duobus mandatis . . Lex et Prophetae pendent" (*Matth.* xxii. 37–39).

"Lex et Prophetae" sunt Verbum in omnibus et singulis.

10. In sequentibus adjicientur singulis doctrinalibus *Collecta ex Arcanis Caelestibus*, quia in his eadem amplius explicata sunt.

[I.]

DE BONO ET VERO.

11. OMNIA in universo, quae sunt secundum Divinum ordinem, se referunt ad bonum et verum; nihil datur in caelo, et nihil in mundo, quod non ad duo illa se refert: causa est, quia utrumque, tam bonum quam verum, procedit a Divino, a quo omnia.

12. Inde patet quod nihil magis sit necessarium homini, quam ut sciat quid bonum et quid verum, et quomodo unum spectat alterum, ac quomodo unum conjungitur alteri: maxime autem necessarium est homini ecclesiae; nam sicut omnia caeli se referunt ad bonum et verum, ita quoque omnia ecclesiae, quia bonum et verum caeli sunt quoque bonum et verum ecclesiae. Haec causa est quod exordium fiat a bono et vero.

13. Secundum Divinum ordinem est ut bonum et verum conjuncta sint, et non separata, ita ut sint unum et non duo; conjuncta enim procedunt a Divino, et conjuncta sunt in caelo, ac ideo conjuncta erunt in ecclesia. Conjunctio boni et veri vocatur in caelo conjugium caeleste, nam in hoc conjugio sunt omnes qui ibi. Inde est quod in Verbo caelum comparetur conjugio, et quod Dominus dicatur Sponsus et Maritus, caelum autem Sponsa et Uxor; similiter ecclesia: quod caelum et ecclesia ita dicantur, est quia illi qui ibi, recipiunt Divinum Bonum in veris.

14. Omnis intelligentia et sapientia quae est angelis, est ex illo conjugio, et non aliqua ex bono separato a vero, nec a vero separato a bono. Simile est hominibus ecclesiae.

15. Quia conjunctio boni et veri est instar conjugii, patet quod bonum amet verum, et vicissim verum amet bonum, et quod unum desideret cum altero conjungi. Homo ecclesiae cui non talis amor est et tale desiderium, non est

in conjugio caelesti; ita non est in illo adhuc ecclesia; nam conjunctio boni et veri facit ecclesiam.

16. Bona sunt multiplicia; in genere est bonum spirituale et bonum naturale, ac utrumque conjunctum in genuino bono morali. Sicut sunt bona, ita quoque sunt vera, quia vera sunt boni, et sunt formae boni.

17. Sicut est cum bono et vero, ita ex opposito est cum malo et falso; quod, nempe, sicut omnia in universo quae sunt secundum Divinum ordinem se referunt ad bonum et verum, ita omnia quae sunt contra Divinum ordinem se referant ad malum et falsum. Tum quod sicut bonum amat conjungi vero, ac vicissim, ita malum amet conjungi falso, ac vicissim. Ut et, sicut omnis intelligentia et sapientia nascitur ex conjunctione boni et veri, ita omnis insania et stultitia ex conjunctione mali et falsi. Conjunctio mali et falsi vocatur conjugium infernale.

18. Ex eo, quod malum et falsum sint opposita bono et vero, patet quod verum non conjungi possit malo, nec bonum falso mali; si verum adjungitur malo, non amplius fit verum, sed falsum, quia falsificatum; et si bonum adjungitur falso mali, non amplius fit bonum, sed malum, quia adulteratum. At falsum non mali potest conjungi bono.

19. Nemo qui in malo et inde falso est ex confirmatione et vita, potest scire quid bonum et verum, quoniam malum suum credit esse bonum, ac inde falsum suum credit esse verum; at omnis qui in bono et inde vero est ex confirmatione et vita, potest scire quid malum et falsum. Causa est, quia omne bonum et ejus verum est in sua essentia caeleste, et quod non in sua essentia est caeleste, est usque ex origine caelesti; omne autem malum et ejus falsum est in sua essentia infernale, et quod non in sua essentia est infernale, est usque ex origine inde: ac omne caeleste est in luce, at omne infernale in tenebris.

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.)

20. Quod omnia et singula in universo se referant ad bonum et verum, et ad malum et falsum; illa quae secundum Divinum ordinem sunt et fiunt, ad bonum et verum; illa autem quae contra Divinum ordinem, ad malum et falsum (n. 2451[? 2452], 3166, 4390, 4409, 5232, 7256, 10122).

Ita apud hominem ad intellectum et voluntatem, quoniam intellectus hominis est recipiens veri aut falsi, ac voluntas recipiens boni aut mali (n. 10122).

Quod hodie a paucis sciatur quid verum in sua genuina essentia, quia parum scitur quid bonum; cum tamen omne verum est a bono, et omne bonum per vera (n. 2507, 3603, 4136, 9186, 9995).

Quod sint quatuor genera hominum:—

(1.) *Quod sint qui in falsis sunt ex malo, et qui in falsis sunt non ex malo.*
(2.) *Quod sint qui in veris sunt absque bono.*
(3.) *Quod sint qui in veris sunt, et per illa spectant et tendunt ad bonum.*
(4.) *Quod sint qui in veris sunt ex bono.*

Sed de singulis in specie.

21. [1.] *De illis qui in falsis sunt ex malo; et qui in falsis non ex malo: ita de falsis ex malo, et de falsis ex non malo.*

Quod innumerabilia genera falsi sint, quot nempe mala; et quod origines malorum et inde falsorum sint plures (n. 1188, 1212, 4729, 4822, 7574).

Quod sit falsum ex malo, seu falsum mali; et quod sit malum ex falso, seu malum falsi, ac iterum inde falsum, ita derivative (n. 1679, 2243).

Quod ex uno falso, imprimis si loco principii sit, fluant falsa in continua serie (n. 1510, 1511, 4717, 4721).

Quod sit falsum ex cupiditatibus amoris sui et mundi; et quod sit falsum ex fallaciis sensuum (n. 1295, 4729).

Quod sint falsa religionis, et quod sint falsa ignorantiae (n. 4729, 8318, 9258).

Quod sit falsum in quo bonum, et falsum in quo non bonum (n. 2863, 9304, 10109, 10302).

Quod sit falsificatum (n. 7318, 7319, 10648).

Quod omne malum secum habeat falsum (n. 7577, 8094).

Quod falsum ex cupiditatibus amoris sui sit ipsum falsum mali, et quod inde pessima genera falsorum (n. 4729).

Quod malum sit grave, et ex se delabatur in infernum; non autem falsum, nisi ex malo (n. 8279, 8298).

Quod bonum vertatur in malum, et verum in falsum, cum delabitur e caelo in infernum, quia sic quasi in crassam et impuram atmosphaeram (n. 3607).

Quod falsa ex malo appareant sicut nimbi et sicut aquae impurae supra inferna (n. 8217[? 8137], 8138, 8146).

Quod qui in infernis sunt loquantur falsa ex malo (n. 1695, 7351, 7352, 7357, 7392, 7698[? 7699]).

Quod qui in malo sunt non possint nisi falsum, dum ex se, cogitare (n. 7437).

Plura de malo falsi (n. 2408, 4818, 7272, 8266[? 8265], 8279): et de falso mali (n. 6359, 7272, 9304, 10302).

Quod omne falsum confirmari possit, et cum confirmatum est appareat ut verum (n. 5033, 6865, 8521, 8780).

Quod ideo explorandum num verum sit antequam confirmatur (n. 4741, 7012, 7680, 7950, 8521).

Quod cavendum sit ne falsa religionis confirmentur, quia inde persuasio falsi, quae homini post mortem (n. 845, 8780).

Persuasio falsi quam damnosa (n. 794, 806, 5096, 7686).

Quod bonum influere in vera nequeat, quamdiu homo in malo est (n. 2434).

Quod bona et vera tantum removeantur ab homine, quantum is in malo et inde falsis est (n. 3402).

Quod quam maxime praecaveatur a Domino ne verum conjungatur malo, ac falsum mali bono (n. 3110, 3116, 4416, 5217).

Quod ex commixtione illa profanatio (n. 6348).

Quod vera exterminent falsa, et falsa vera (n. 5207).

Quod vera penitius recipi nequeant, quamdiu regnat incredulitas (n. 3399).

Quod vera falsificari possint, quomodo (*ab exemplis*, n. 7318).

Quod malis liceat falsificare vera, causae (n. 7332).

Quod vera falsificentur a malis, per quod applicentur et sic deducantur ad malum (n. 8094, 8149).

Verum falsificatum dicitur, quod applicatum est malo, quod fit imprimis per fallacias et per apparentias in externis (n. 7344, 8602[? 8062]).

Quod malis liceat aggredi verum, non autem bonum, quia verum possunt per varias interpretationes et applicationes falsificare (n. 6677).

Quod verum falsificatum ex malo sit contra verum et bonum (n. 8602[? 8062]).

Quod verum ex malo falsificatum graviter puteat in altera vita (n. 7319).

Plura de falsificatione veri (n. 7318, 7319, 10648).

Quod falsa religionis dentur quae concordant cum bono, et quod dentur quae discordant (n. [9258,] 9259).

Quod falsa religionis, si non discordant cum bono, non producant malum, solum apud illos qui in malo sunt (n. 8318).

Quod falsa religionis non imputentur illis qui in bono sunt, sed illis qui in malo (n. 8051, 8149).

Quod vera non genuina, et quoque falsa, consociari possint cum veris genuinis apud illos qui in bono sunt, non autem apud illos qui in malo (n. 3470, 3471, 4551, 4552, 7344, 8149, 9298).

Quod falsa et vera consocientur per apparentias ex sensu litterae Verbi (n. 7344).

Quod falsa verificentur a bono, et mollescant, quia applicantur et deducuntur ad bonum, et removetur malum (n. 8149).

Quod falsa religionis, apud illos qui in bono sunt, recipiantur a Domino ut vera (n. 4736, 8149).

Quod bonum, cujus quale est a falso religionis, acceptetur a Domino, si ignorantia sit, et in illa innocentia, ac finis bonus (n. 7887).

Quod vera apud hominem sint apparentiae veri et boni imbutae fallaciis, sed quod usque Dominus adaptet illa genuinis veris apud hominem qui in bono vivit (n. 2053).

Quod falsa in quibus bonum dentur apud illos qui extra ecclesiam sunt, et inde in ignorantia veri, etiam apud illos qui intra ecclesiam sunt, ubi falsa doctrinae (n. 2589–2604, 2861, 2863, 3263, 3778, 4189, 4190, 4197, 6700, 9256).

Quod falsa in quibus non bonum graviora sint apud illos qui intra ecclesiam sunt, quam apud illos qui extra ecclesiam (n. 7688).

Quod vera et bona auferantur malis in altera vita, ac dentur bonis, secundum Domini verba,

> "Ei . . qui habet, dabitur ut abundet; et ei qui non habet, auferetur quod habet" [(*Matth.* xxv. 29)]

(n. 7770).

22. [2.] *De illis qui in veris sunt et non in bono; ita de veris absque bono.*

Quod vera absque bono non in se sint vera, quia non habent vitam, omnis enim vita veris est a bono (n. 3603).

Ita quod sint quasi corpus absque anima (n. 3180[? 8530], 9454[? 9154]).

Quod cognitiones veri et boni, quae modo in memoria et non in vita sunt, credantur illis esse vera (n. 5276).

Quod vera non approprientur homini, nec fiant ejus, quae modo scit, et agnoscit ex causis quae procedunt ex amore sui et mundi (n. 3402, 3834).

Sed quod approprientur quae agnoscit propter ipsum verum et bonum (n. 3849).

Quod vera absque bono non acceptentur a Domino (n. 4368): nec salvent (n. 2261).

Quod illi qui in veris absque bono sunt, non ab ecclesia sint (n. 3963).

Quod nec possint regenerari (n. 10637[? 10367]).

Quod Dominus non influat in vera, nisi quam per bonum (n. 10367).

De separatione veri a bono (n. 5008, 5009, 5022, 5028).

Quale verum absque bono, et quale ex bono (n. 1949, 1950, 1964, 5951): ex comparativis (n. 5830).

Quod verum absque bono sit morosum (n. 1949–1951, 1964).

Quod in mundo spirituali appareat durum (n. 6359, 7068); et acuminatum (n. 2799).

Quod verum absque bono sit sicut lux hiemis, in qua omnia telluris torpent, et nihil producitur: at quod verum ex bono sit sicut lux veris et aestatis, in qua omnia florent et producuntur (n. 2231, 3146, 3412, 3413).

Quod lux talis hiemalis vertatur in densas tenebras cum influit lux e caelo; et quod illi tunc, qui in illis veris sunt, in caecitatem et stupiditatem veniant (n. 3412, 3413).

Quod qui vera a bono separant in tenebris sint, et in ignorantia veri ac in falsis (n. 9186).

Quod se conjiciant a falsis in mala (n. 3325, 8094).

Errores et falsa in quae se conjiciunt (n. 4721, 4730, 4776, 4783, 4925, 7779, 8313, 8765, 9221[? 9222]).

Quod Verbum illis occlusum sit (n. 3773, 4783, 8780).

Quod non videant et attendant ad omnia illa quae Dominus locutus de amore et charitate, ita de bono (n. 3051[? 2051], 3416).

Quod nesciant quid bonum, ita quid amor caelestis et charitas (n. 2507[? 2471], 3603, 4136, 9995).

Qui vera fidei sciunt, et male vivunt, quod in altera vita abutantur veris ad dominandum; quales illi, et qualis sors illorum ibi (n. 4802).

Quod Verum Divinum damnet ad infernum, at Divinum Bonum elevet ad caelum (n. 7258[? 2258]).

Quod Verum Divinum terreat, non Divinum Bonum (n. 4180).

Quid sit judicari ex vero, et judicari ex bono (n. 2335).

23. [3.] *De illis qui in veris sunt, et per illa spectant et tendunt ad bonum: ita de veris per quae bonum.*

Quod homo amat, hoc vult; et quod homo amat aut vult, hoc cogitat et confirmat variis: quod homo amat aut vult, hoc vocatur bonum; et quod homo inde cogitat et confirmat variis, hoc vocatur verum (n. 4070).

Inde nunc, quod verum fiat bonum cum fit amoris seu voluntatis, seu cum homo amat et vult illud (n. 5526, 7835, 10367).

Et quia amor seu voluntas est ipsa vita hominis, quod verum non vivat apud hominem cum modo scit illud et cogitat illud, sed cum amat et vult illud, et ex amore et voluntate facit illud (n. 5595, 9284[? 9282]).

Quod vera inde accipiant vitam, ita ex bono (n. 2434, 3111, 3607, 6077).

Proinde quod vita veris sit ex bono, et nulla vita veris absque bono (n. 1589, 1947, 1997, 2579[? 3579], 3180, 4070, 4096, 4097, 4736, 4757, 4884, 5147, 5928, 9154, 9667, 9841, 10729; *illustratum*, n. 9454[? 9154]).

Quando vera dicenda vitam adepta (n. 1928).

Quod verum, cum conjungitur bono, approprietur homini, quia fit ejus vitae (n. 3108, 3161).

Ut verum conjungatur bono, erit consensus ab intellectu et voluntate; cum quoque a voluntate, quod tunc conjunctio (n. 3157, 3158, 3161).

Quod vera, cum regeneratur homo, intrent cum jucundo affectionis, quia amat facere illa, et quod reproducantur cum eadem affectione, quia cohaerent (n. 2484[? 2474], 2487, 3040, 3066, 3074, 3336, 4018, 5893, 7967).

Quod affectio quae amoris se semper adjungat veris secundum usus vitae, et quod affectio illa reproducatur cum veris, ac vera reproducantur cum affectione (n. 3336, 3824, 3849, 4205, 5893, 7967).

Quod bonum non aliud pro vero agnoscat quam quod concordat cum affectione quae amoris (n. 3161).

Quod vera introducantur per jucunda et amoena convenientia (n. 3502, 3512).

Quod omnis affectio veri genuina sit ex bono, et secundum id (n. 4373, 8349, 8356).

Quod sic insinuatio et influxus boni in vera, ac conjunctio (n. 4301).

Et quod sic vita veris (n. 7917, 7967).

Quia affectio quae amoris se semper adjungit veris secundum usus vitae, quod bonum agnoscat suum verum, ac verum suum bonum (n. 2429, 3101, 3102, 3161, 3179, 3180, 4358, 5407, 5835, 9637).

Quod inde conjunctio veri et boni (*de qua*, n. 3834, 4096, 4097, 4301, 4345, 4353, 4364, 4368, 5365, 7623–7627, 7752–7762, 8530, 9258, 10555).

Quod etiam vera se agnoscant, ac mutuo consocientur (n. 9079): et quod hoc sit ex influxu caeli (n. 9079).

Quod bonum sit esse vitae, ac verum existere vitae inde; et quod sic bonum suum existere vitae habeat in vero, ac verum suum esse vitae in bono (n. 3049, 3180, 4574, 5002, 9144[? 9154]).

Inde quod omne bonum habeat suum verum, et omne verum suum bonum, quia bonum absque vero non existit, et verum absque bono non est (n. 9637).

Tum quod bonum habeat suam formam et suum quale a veris, ita quod verum sit forma et quale boni (n. 3049, 4574, 6951[? 6916], 9454[? 9154]).

Et quod sic verum et bonum debeant esse conjuncta, ut sint aliquid (n. 10555).

Quod inde bonum in perpetuo conatu et desiderio sit conjungendi sibi vera (n. 9206, 9495; *illustratum*, n. 9207).

Et quod vera se vicissim cum bono (n. 9206).

Quod conjunctio reciproca sit, boni cum vero, et veri cum bono (n. 5365, 8516).

Quod bonum agat, et verum reagat, sed ex bono (n. 3155, 4380, 4757, 5928, 10729).

Quod vera spectent suum bonum ut principium et finem (n. 4353).

Quod conjunctio veri cum bono se habeat sicut progressio vitae hominis ab infantia, quod primum hauriat vera scientifice, dein rationaliter, demum faciat illa suae vitae (n. 3025[? 3203], 3665, 3690).

Etiam sicut cum prole, quod concipiatur, sit in utero, nascatur, adolescat, sapiat (n. 3298, 3299, 3308, 3665, 3690).

Quod etiam se habeat sicut cum seminibus et humo (n. 3671).

Et sicut cum aqua ad panem (n. 4976).

Quod prima affectio veri non sit genuina, sed quod sicut homo perficitur, purificetur (n. 3040, 3089).

Quod usque bona et vera non genuina inserviant introducendis bonis et veris genuinis, et quod priora postea relinquantur (n. 3665, 3690, 3974, 3982, 3986, 4145).

Porro, quod homo ducatur per vera ad bonum, et non absque veris (n. 10124, 10367).

Si homo non addiscit seu recipit vera, quod bonum non influere possit, ita quod homo non fieri possit spiritualis (n. 3387).

Quod conjunctio boni et veri fiat secundum incrementum cognitionum (n. 3141).

Quod vera recipiantur a quolibet secundum captum (n. 3385).

Quod vera naturalis hominis sint scientifica (n. 3293, 3309, 3310).

Quod scientifica et cognitiones sint sicut vasa (n. 6004, 6023, 6052, 6071, 6077).

Quod vera sint vasa boni, quia recipientia (n. 1946[? 1496], 1900, 2063, 2261, 2269, 3318, 3365, 3368).

Quod bonum influat per viam internam seu animae apud hominem, vera autem per viam externam seu auditus et visus, et quod conjungantur in interioribus ejus a Domino (n. 3030, 3098).

Quod vera eleventur e naturali homine, ac implantentur bono in spirituali, et quod sic vera fiant spiritualia (n. 3085, 3086).

Et quod postea inde influant in naturalem hominem, bonum spirituale in bonum naturalis immediate, in verum autem naturalis mediate (n. 3314, 3573, 4563; *illustratum*, n. 3314, 3576, 3616, 3969, 3995).

Verbo, quod vera tantum et taliter conjungantur bono apud hominem, quantum et qualiter homo est in bono [1]quoad vitam (n. 3834, 3843).

Quod conjunctio aliter fiat apud caelestes, aliter apud spirituales (n. 10124).

Plura de conjunctione boni et veri, et quomodo fit (n. 3090, 3203, 3308, 4096, 4097, 4345, 4353, 5365, 7623–7627).

Et quomodo bonum spirituale per vera formatur (n. 3470, 3570).

24. [4.] *De illis qui in veris sunt ex bono ; ita de veris ex bono.*

Verum quod ducit ad bonum, et quod procedit ex bono, quae differentia (n. 1063[? 2063]).

Quod verum non sit verum essentialiter nisi quantum a bono procedit (n. 4736, 10619); quoniam verum habet suum esse a bono (n. 3049, 3180, 4574, 5002, 9144): et suam vitam (n. 2434, 3111, 6077): et quia verum est forma seu quale boni (n. 3049, 4574, 6951[? 5951], 9454[? 9154]).

Quod verum sit prorsus sicut bonum apud hominem, in simili ratione et simili gradu (n. 2429).

Quod verum ut sit verum, trahet suam essentiam a bono charitatis et innocentiae (n. 3111, 6013).

Vera quae ex bono quod sint vera spiritualia (n. 5951).

Quod verum cum bono unum faciat cum procedit a bono, usque adeo ut utrumque simul sit unum bonum (n. 4332[? 4301, 4337], 7835, 10252, 10266).

Quod intellectus et voluntas unam mentem ac unam vitam faciant, cum intellectus procedit a voluntate, quoniam intellectus est recipiens veri, ac voluntas boni; non autem cum homo aliter cogitat et loquitur quam vult (n. 3623).

Quod verum ex bono sit verum voluntate et actu (n. 4337, 4353, 4385, 4390).

Cum verum procedit ex bono, quod bonum in vero habeat imaginem sui (n. 3180).

Quod in universo caelo et mundo, ac in singulis eorum, sit instar conjugii (n. 54, 718, 749[? 747], 917, 1432, 2173, 2516, 5194).

Imprimis inter verum et bonum (n. 1094[? 1904], 2173, 2503[? 2508]).

Quoniam omnia in universo se referunt ad verum et ad bonum, ut sint aliquid, et ad conjunctionem eorum, ut producatur aliquid (n. 2451[? 2452], 3166, 4390, 4409, 5232, 7256, 10122, 10555).

Quod antiqui etiam instituerint conjugium inter verum et bonum (n. 1904).

Quod lex conjugii sit ut duo unum sint, secundum verba Domini (n. 10130, 10168, 10169).

Quod etiam amor vere conjugialis ex conjugio veri et boni e caelo descendat et existat (n. 2728, 2729).

Quod homo tantum sapiat quantum in bono est et inde veris, non autem quantum scit vera et non est in bono (n. 3182, 3190, 4884).

Quod homo qui in veris ex bono est, actualiter elevetur e luce mundi in lucem caeli, ita ex obscuro in clarum; vicissim autem, quod sit in luce mundi, et in obscuro, quamdiu scit vera et non in bono est (n. 3190, 3191[? 3192]).

Quod homo nec sciat quid bonum priusquam est in illo, et ex illo (n. 3325, 3330, 3336).

Quod vera crescant in immensum cum procedunt ex bono (n. 2846, 2847, 5345): de qua crescentia (n. 5355).

Quod crescentia illa se habeat sicut fructificatio ex arbore, et multiplicatio ex seminibus, ex quibus integri horti (n. 1873, 2846, 2847).

Quod etiam tantum sapientia crescat, et hoc in aeternum (n. 3200, 3314, 4220, 4221, 5527, 5859, 6303[? 10303]).

Quod etiam homo qui in veris ex bono est, tantum illustretur, ac quod tantum in illustratione sit cum legit Verbum (n. 9382, 10548–10550, 10691, 10694).

Quod bonum amoris sit instar ignis, ac verum inde sit sicut lux ex illo igne (n. 3195, 3222, 5400, 8644, 9399, 9548, 9684).

Quod vera ex bono in caelo etiam luceant (n. 5219).

Quod vera ex bono, per quae sapientia, crescant secundum quale et quantum amoris boni, ac vicissim falsa ex malo secundum quale et quantum amoris mali (n. 4099).

Quod homo qui in veris ex bono est, in intelligentiam et sapientiam angelicam veniat, et quod illa in interioribus ejus lateat quamdiu vivit in mundo, sed quod aperiatur in altera vita (n. 2494).

Quod homo qui in veris ex bono est, post mortem fiat angelus (n. 8747).

Quod vera ex bono se habeant sicut generationes (n. 9079).

Quod disponantur in series (n. 5339, 5343, 5530, 7408, 10303, 10308).

Ordinatio verorum ex bono comparata cum fibris et vasis sanguineis in corpore, et inde texturis et formis, secundum usus vitae (n. 3470, 3570, 3579, 9454[? 9154]).

Quod vera ex bono forment quasi civitatem, et hoc ex influxu caeli (n. 3584).

Quod in medio sint vera quae principalis amoris sunt, et reliqua inde remota secundum gradus disconvenientiae (n. 3993, 4551, 4552, 5530, 6028).

Vicissim apud malos (n. 4551, 4552).

Quod vera, cum procedunt ex bono, ordinentur in formam caeli (n. 4302, 4704[? 4904, 5704], 5339, 5343, 6028, 10303); et hoc secundum ordinem in quo sunt societates angelicae (n. 10303).

Quod omnia vera, cum procedunt a bono, affinitate quadam inter se conjuncta sint, et quod se habeant sicut derivationes familiarum ex uno patre (n. 2863).

Quod omne verum etiam habeat sphaeram extensionis in caelum secundum quale et quantum boni ex quo (n. 8063).

Quod conjugium boni et veri sit ecclesia et caelum apud hominem (n. 2231[? 2731], 7752, 7753, 9224, 9795[? 9995], 10122).

De jucunditate et felicitate illorum apud quos bonum est in veris (n. 1470).

Quod vera ex bono conjuncta sistant imaginem hominis (n. 8370).

Quod homo non sit nisi quam suum bonum et inde verum, aut malum et inde falsum (n. 10298).

In summa :—

Quod per vera sit fides (n. 4353, 4997, 7178, 10367).

Quod per vera charitas erga proximum (n. 4368, 7623, 7624, 8034).

Quod per vera amor in Dominum (n. 10143, 10153, 10310, 10578, 10648[? 10645]).

Quod per vera conscientia (n. 1077, 2053, 9113).

Quod per vera innocentia (n. 3183, 3495[? 3494], 6013).

Quod per vera purificatio a malis (n. 2799, 5954, 7044, 7918, 9089[? 9088], 10229, 10237).

Quod per vera regeneratio (n. 1555, 1904, 2046, 2189, 9088, 9959, 10028).

Quod per vera intelligentia et sapientia (n. 3182, 3190, 3387, 10064).

Quod per vera pulchritudo angelis, ita hominibus quoad interiora quae sunt spiritus eorum (n. 553, 3080, 4983[? 4985], 5199).

Quod per vera potentia contra mala et falsa (n. 3091, 4015, 10485[? 10488]).

Quod per vera ordo qualis in caelo (n. 3316, 3417, 3570, 4704[? 4104], 5339, 5343, 6028, 10303).

Quod per vera ecclesia (n. 1798, 1799, 3963, 4468, 4672).

Quod per vera caelum homini (n. 1690[? 3690], 9832, 9931, 10303).

Quod per vera homo fiat homo (n. 3175, 3387, 8370, 10298).

Verumtamen omnia illa per vera ex bono, et non per vera absque bono; et bonum a Domino (n. 2434, 4070, 4736, 5147).

Quod omne bonum sit a Domino (n. 1614, 2016, 2904, 4151, 9981).

25. *Quod omne Bonum et Verum sit a Domino.*

Quod Dominus sit ipsum Bonum et ipsum Verum (n. 2011, 4151, 10336, 10619).

Quod Dominus quoad utrumque et Divinum et Humanum sit Divinum Bonum Divini Amoris, et quod ab Illo procedat Divinum Verum (n. 3704, 3712, 4180, 4577).

Quod a Divino Bono Domini procedat Divinum Verum, comparative sicut lux a sole (n. 3704, 3712, 4180, 4577).

Quod Divinum Verum procedens a Domino appareat in caelis ut lux, et sistat omnem lucem caeli (n. 3195, 3222[? 3223], 5400, 8694, 9399, 9548, 9684).

Quod lux caeli, quae est Divinum Verum unitum Divino Bono, illuminet angelorum et spirituum et visum et intellectum (n. 2776, 3138).

Quod caelum in luce et calore sit quia in vero et bono; quoniam Divinum Verum ibi est lux, et Divinum Bonum ibi est calor (n. 3643, 9399, 9401[? 9400]; et in opere *De Caelo et Inferno*, n. 126–140).

Quod Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini formet et ordinet caelum angelicum (n. 3038, 9408, 9613, 10716, 10717).

Quod Divinum Bonum unitum Divino Vero, quod est in caelis, dicatur Divinum Verum (n. 10196).

Quod Divinum Verum procedens a Domino sit unicum reale (n. 6880, 7004, 8200).

Quod per Divinum Verum omnia facta et creata sint (n. 2803, 2884[? 2894], 5272, 7835[? 7678]).
Quod etiam Divino Vero sit omnis potentia (n. 8200).

Quod homo ex se nihil boni facere, et nihil veri cogitare, possit (n. 874-876).
Quod rationale hominis ex se non percipere possit Divinum Verum (n. 2196, 2203, 2209).
Quod vera quae non a Domino sint ex proprio hominis, et quod non vera sint, sed modo appareant ut vera (n. 8868).

Quod omne bonum et verum sit a Domino, et nihil ab homine (n. 1614, 2016, 2904, 4151, 9981).
Quod bona et vera tantum bona et vera sint, quantum in se habent Dominum (n. 2904, 3051[? 3061], 8478[? 8480]).
De Divino Vero immediate procedente a Domino, et de Divino Vero mediate per angelos, et de eorum influxu apud hominem (n. 7055, 7056, 7058).
Quod Dominus influat in bonum apud hominem, et per bonum in vera (n. 10153).
Quod influat per bonum in vera omnis generis, maxime in vera genuina (n. 2531, 2554).
Quod Dominus non influat in vera separata a bono, et quod non detur parallelismus inter Dominum et hominem quoad illa, sed quoad bonum (n. 1831, 1832, 3514, 3564).

Facere bonum et verum propter bonum et verum, quod sit amare Dominum et amare proximum (n. 10336).
Quod qui in interno Verbi, ecclesiae, et cultus sunt, ament facere bonum et verum propter bonum et verum; qui autem in externo illorum absque interno sunt, quod ament facere bonum et verum propter se et mundum (n. 10662[? 10683]).
Quid sit facere bonum et verum propter bonum et verum (*illustratum per exempla*, n. 10682[? 10683]).

26. *De variis Bonis et Veris.*

Quod infinita varietas sit, et nusquam aliquid idem cum altero (n. 7236, 9002).
Quod in caelis etiam infinita varietas sit (n. 684, 690, 3744, 5598, 7236).
Quod varietates in caelis sint varietates boni, et quod inde distinctio omnium ibi (n. 3519, 3744, 3804, 3986, 4005, 4067, 4149, 4263, 7236, 7833, 7836, 9002).
Quod illae varietates sint ex veris, quae multiplicia, per quae bonum cuivis (n. 3470, 3519, 3804, 4149, 6917, 7236).
Quod inde omnes societates angelicae in caelis, et unusquisque angelus in societate, inter se distincti sint (n. 690, 3241, 3519, 3804, 3986, 4067, 4149, 4263, 7236, 7833, 7836).
Sed quod usque unum agant per amorem a Domino, et per quod spectent unum finem (n. 457, 3986).

Quod bona et vera in genere secundum gradus distinguantur in naturalia, spiritualia, et caelestia (n. 2069, 3240).
Quod tres gradus boni et inde veri sint in communi secundum tres caelos (n. 4154, 9873, 10296[? 10270]).

Quod triplicis generis bona et inde vera sint in interno homine, et totidem in externo (n. 4154).

Quod sit bonum naturale, bonum civile, et bonum morale (n. 3768).

Quod bonum naturale, in quod aliqui nascuntur, non sit bonum in altera vita, nisi fiat bonum spirituale (n. 2463, 2464, 2468, 3408, 3469, 3470, 3508, 3518, 7761).

De bono naturali spirituali, et non spirituali (n. 4988, 4992, 5032).

Quod sit verum intellectuale, et quod sit verum scientificum (n. 1904, 1911, 2503).

27. *Quod Sapientia sit ex Bono per Vera.*

Quomodo concipitur et nascitur rationale apud hominem (n. 2094, 2574[? 2524], 2557, 3030, 5126).

Quod per influxum Domini per caelum, in cognitiones et scientias quae apud hominem, et inde elevationem (n. 1895, 1896[? 1899], 1900, 1901).

Quod elevatio sit secundum usus et eorum amorem (n. 3074, 3085, 3086).

Quod rationale nascatur per vera; inde qualia illa sunt, tale rationale (n. 2094, 2524, 2557).

Quod rationale per vera ex bono aperiatur et formetur, et quod per falsa ex malo claudatur et destruatur (n. 3108, 5126).

Quod homo non rationalis sit per id, quod ratiocinari queat de quacunque re, sed quod videre et percipere possit num verum sit vel non (n. 1944).

Quod homo non nascatur in aliquod verum, quia non in bonum; sed quod omne addiscet et imbuet (n. 3175).

Quod homo aegre recipere possit vera genuina, et sic sapere, propter fallacias sensuum et persuasiones falsi, et inde ratiocinia et dubia (n. 3175).

Quod homo tunc incipiat sapere cum incipit aversari ratiocinia contra vera, et rejicere dubia (n. 3175).

Quod rationale humanum non illustratum irrideat vera interiora (*ab exemplis*, n. 2654).

Quod vera interiora apud hominem dicantur quum implantata sunt vitae ejus; et non inde, quod sciat illa, tametsi forent vera quae vocantur interiora (n. 10199).

Quod in bono sit facultas sapiendi; inde qui in bono vixerunt in mundo, in sapientiam angelicam veniunt post excessum e mundo (n. 5527, 5859, 8321).

Quod in unoquovis bono innumerabilia insint (n. 4005).

Quod ex bono innumerabilia sciri possint (n. 3612).

De multiplicatione veri ex bono (n. 5345, 5355, 5912).

Quod bonum infantiae, per vera ac per vitam secundum illa, fiat bonum sapientiae (n. 3504).

Quod sit affectio veri et affectio boni (n. 1904, 1997).

Quales illi qui in affectione veri, et quales illi qui in affectione boni (n. 2422, 2430[? 2429]).

Quinam in affectionem veri possunt venire, et quinam non possunt (n. 2689).

Quod omnia vera sint sub affectione communi ordinata (n. 9094).

Quod affectio veri et affectio boni in naturali homine se habeant ut frater et soror, in spirituali autem homine ut vir et ejus mulier (n. 3160).

Quod pura vera non dentur apud hominem, ne quidem apud angelum, sed solum apud Dominum (n. 3207, 7902).

Quod vera apud hominem sint apparentiae veri (n. 2053, 2519).

Quod prima vera apud hominem sint apparentiae veri ex fallaciis sensuum, quae tamen successive exuuntur, sicut quoad sapientiam perficitur (n. 3131).

Quod apparentiae veri apud hominem qui in bono est, recipiantur a Domino pro veris (n. 2053, 3207).

Quid et quales apparentiae veri (n. 3207, 3357–3362, 3368, 3404, 3405, 3417).

Quod sensus litterae Verbi pluries sit secundum apparentias (n. 1838).

Quod eadem vera apud unum sint magis vera, apud alium minus, et apud alium falsa quia falsificata (n. 2439).

Quod vera etiam sint vera secundum correspondentiam inter naturalem et spiritualem hominem (n. 3128, 3138).

Quod vera differant secundum varias ideas et perceptiones de illis (n. 3470, 3804, 6917).

Quod verum, cum conjunctum est bono, evanescat e memoria. quia tunc fit vitae (n. 3108).

Quod vera nequeant conjungi bono nisi in statu libero (n. 3158).

Quod vera conjungantur bono per tentationes (n. 3318, 4572, 7122).

Quod bono insit continuus conatus ordinandi vera, et sibi per id statum restituendi (n. 3610).

Quod vera appareant injucunda cum intercipitur communicatio cum bono (n. 8352).

Quod homo aegre distinguere possit inter verum et bonum, quia aegre inter cogitare et velle (n. 9995).

Quod bonum in Verbo dicatur "frater" veri (n. 4267).

Quod etiam in certo respectu bonum dicatur "dominus," et verum "servus" (n. 3409, 4267).

[II.]

DE VOLUNTATE ET INTELLECTU.

28. SUNT homini binae facultates, quae faciunt vitam ejus; una vocatur Voluntas, et altera Intellectus. Illae inter se distinctae sunt, sed ita creatae ut unum sint, et cum unum sunt vocantur Mens; quare mens humana illae sunt, et omnis vita hominis ibi.

29. Sicut omnia in universo, quae secundum Divinum ordinem sunt, se referunt ad bonum et verum, ita omnia apud hominem ad voluntatem et intellectum, nam bonum apud hominem est ejus voluntatis, et verum apud illum est ejus intellectus; sunt enim hae binae facultates, seu hae binae vitae hominis, receptacula et subjecta illorum; voluntas est receptaculum et subjectum omnium boni, ac intellectus est receptaculum et subjectum omnium veri; bona et vera apud hominem non alibi sunt: et quia bona et vera apud hominem non alibi sunt, ita nec amor et fides sunt alibi, quoniam amor est boni et bonum est amoris, ac fides est veri ac verum est fidei.

30. Quia nunc omnia in universo se referunt ad bonum et verum, ac omnia ecclesiae ad bonum amoris et verum fidei, et quia homo est homo ex binis illis facultatibus, ideo de illis quoque in hac Doctrina agitur; alioqui nec posset distincta idea de illis ab homine haberi, ac fundari cogitatio.

31. Voluntas et intellectus etiam faciunt spiritum hominis, nam ejus sapientia et intelligentia in illis resident, et in genere ejus vita; corpus est modo obedientia.

32. Nihil magis interest scire quam quomodo voluntas et intellectus unam mentem faciunt. Faciunt unam mentem sicut bonum et verum faciunt unum; est enim simile conjugium inter voluntatem et intellectum quale est inter bonum et verum: quale id conjugium est, constare plene

potest ex illis quae de bono et vero supra allata sunt; quod nempe sicut bonum est ipsum esse rei, ac verum est existere rei inde, ita voluntas apud hominem est ipsum esse vitae ejus, ac intellectus existere vitae inde, nam bonum quod est voluntatis se in intellectu format et sistit videndum.

33. Illis qui in bono et vero sunt, sunt voluntas et intellectus; at illis qui in malo et falso sunt, non sunt voluntas et intellectus, sed pro voluntate illis est cupido, et pro intellectu est scientia: voluntas enim vere humana est receptaculum boni, ac intellectus receptaculum veri; quare voluntas non dici potest de malo, nec intellectus de falso, quia opposita sunt, et oppositum destruit; inde est quod homo qui in malo et inde falso est, non dici possit rationalis, sapiens et intelligens: etiam apud malos clausa sunt interiora quae mentis sunt, ubi principaliter resident voluntas et intellectus. Creditur sicut voluntas et intellectus malis etiam sint, quia dicunt quod velint et quod intelligant; sed velle eorum est modo cupere, ac intelligere eorum est modo scire.

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.)

34. Quod vera spiritualia non comprehendi possint nisi sequentia haec *Universalia* sciantur:—

(i.) *Quod omnia in universo se referant ad bonum et verum, et ad conjunctionem utriusque, ut sint aliquid; ita ad amorem et fidem, et eorum conjunctionem.*

(ii.) *Quod apud hominem sit voluntas et intellectus, et quod voluntas sit receptaculum boni, ac intellectus receptaculum veri et quod omnia ad bina illa apud hominem se referant, et ad conjunctionem illorum, sicut omnia ad bonum et verum ac eorum conjunctionem.*

(iii.) *Quod homo internus sit et externus, et quod illi inter se distincti sint sicut caelum et mundus, et tamen quod unum debeant facere, ut homo sit vere homo.*

(iv.) *Quod lux caeli sit in qua internus homo est, et lux mundi in qua externus; et quod lux caeli sit ipsum Divinum Verum ex quo omnis intelligentia.*

(v.) *Quod inter illa quae in interno et quae in externo homine sunt, sit correspondentia; et quod inde utrobivis sub alia specie appareant, usque adeo ut non dignoscantur nisi per scientiam correspondentiarum.*

Nisi haec et plura alia sciuntur, non possunt ideae de spiritualibus et caelestibus nisi incongruae capi et formari; et sic scientifica et cognitiones, quae externi hominis, absque universalibus illis, parum

possunt inservire rationali homini ad intellectum et incrementum. Inde patet quam necessaria sunt scientifica.

De illis universalibus in *Arcanis Caelestibus* pluries actum est.

35. Quod binae facultates homini sint, una quae vocatur voluntas, et altera quae intellectus (n. 35, 641, 3623, 3939[? 3539, 5969], 10122).

Quod binae illae facultates faciant ipsum hominem (n. 10076, 10109, 10110, 10264, 10284).

Quod homo talis sit, quales binae illae facultates apud illum sunt (n. 7342, 8885, 9282, 10264, 10284).

Quod per illas etiam homo distinguatur a bestiis, ex causa quia intellectus hominis elevari potest a Domino et videre vera Divina, pariter voluntas et percipere bona Divina, et sic homo conjungi Domino per binas suas facultates quae faciunt illum; secus autem bestiae (n. 4525, 5114, 5302, 6323, 9231).

Et quia homo sic conjungi potest Domino, quod non mori possit quoad interiora sua quae ejus spiritus sunt, sed quod vivat in aeternum (n. 5302).

Quod homo non sit homo ex forma, sed ex bono et vero, quae sunt ejus voluntatis et intellectus (n. 4051, 5302).

Quod sicut omnia in universo se referunt ad bonum et verum, ita apud hominem ad voluntatem et intellectum (n. 803, 10122).

Quia voluntas est receptaculum boni, et intellectus receptaculum veri (n. 3332, 3623, 5332[? 5835], 6065, 6125, 7503, 9300, 9930).

Eodem recidit sive dicas verum sive dicas fidem, quoniam fides est veri ac verum est fidei; ac eodem recidit sive dicas bonum sive dicas amorem, quoniam amor est boni ac bonum est amoris: quod enim homo credit, hoc verum dicit; et quod homo amat, hoc bonum dicit (n. 4353, 4997, 7178, 10122, 10367).

Inde sequitur quod intellectus sit recipiens fidei, et voluntas recipiens amoris; et quod fides et amor sint in homine quando in illis sunt, quia non alibi est vita hominis (n. 7178[? 7179], 10122, 10367).

Et quia intellectus hominis potest recipere fidem in Dominum, ac voluntas amorem in Dominum, quod possit fide et amore conjungi Domino; et qui conjungi potest fide et amore Domino, non potest mori in aeternum (n. 4525, 6323, 9231).

Quod amor sit conjunctio in spirituali mundo (n. 1594, 2057, 3939, 4018, 5807, 6195, 6196, 7081–7086, 7501, 10130).

Quod voluntas hominis sit ipsum esse vitae illius, quia est receptaculum boni; et quod intellectus sit existere vitae inde, quia est receptaculum veri (n. 3619, 5002, 9282).

Ita quod vita voluntatis sit vita principalis hominis, et quod vita intellectus procedat inde (n. 585, 590, 3619, 7342, 8885, 9282, 10076, 10109, 10110); comparative ut lux ex igne seu flamma (n. 6032, 6314).

Quod quae in intellectum veniunt et simul in voluntatem, approprientur homini; non quae solummodo in intellectum (n. 9009, 9069, 9071, 9129[? 9133], 9182, 9386, 9393, 10076, 10109, 10110).

Quod illa fiant vitae hominis quae recipiuntur voluntate et inde intellectu (n. 8911, 9069, 9071, 10076, 10109, 10110).

Unusquisque etiam homo ab aliis amatur et aestimatur secundum bonum suae voluntatis et inde intellectus; amatur enim et aestima-

tur qui vult bene et intelligit bene, ac rejicitur et vilipenditur qui intelligit bene et non vult bene (n. 8911, 10076).

Quod homo etiam post mortem maneat sicut ejus voluntas et inde intellectus (n. 9069, 9071, 9386, 10153): et quod quae intellectus sunt et non simul voluntatis tunc evanescant quia non sunt in hominis spiritu (n. 9282).

Seu, quod eodem recidit, quod homo post mortem maneat sicut est ejus amor et inde fides, seu sicut ejus bonum et inde verum; et quod quae fidei sunt et non simul amoris, seu quae veri sunt et non simul boni, evanescant, quia non sunt in homine, ita non hominis (n. 553, 2364[? 2363], 10153).

Quod homo possit intellectu capere quod non ex voluntate facit, seu quod possit intelligere quod non vult, quia contra amorem ejus (n. 3539).

Quod voluntas et intellectus unam mentem constituant (n. 35, 3623, 5832[? 5835], 10122).

Quod binae illae facultates vitae unum agere debeant, ut homo sit homo (n. 3623, 4832[? 5835], 5969, 9300).

Quam perversus status est apud quos intellectus et voluntas non unum agunt (n. 9075).

Quod talis status sit apud hypocritas, dolosos, assentatores et simulatores (n. 4326[? 2426], 3573, 4799, 8250).

Quod voluntas et intellectus redigantur in unum in altera vita, et quod non liceat ibi divisam mentem habere (n. 8250).

Quod omne doctrinale ecclesiae secum ideas habeat, et per illas percipiatur quale est (n. 3310).

Quod secundum illas sit intellectus ejus, et quod absque idea intellectuali apud hominem non sit nisi quam idea vocis et nulla rei (n. 3825).

Quod ideae intellectus se extendant ample in societates spirituum et angelorum circumcirca (n. 6598[? 6599], 6600–6605, 6609, 6613).

Quod ideae intellectus hominis aperiantur in altera vita, et ad vivum sistantur videndae quales sunt (n. 1869, 3310, 5510).

Quales quorundam ideae apparent (n. 6201[? 6200], 8885).

Quod omnis voluntas boni et intellectus veri sit a Domino; non ita intellectus veri separatus a voluntate boni (n. 1831, 3514, 5483[? 5482], 5649, 6027, 8685, 8701, 10153).

Quod intellectus sit qui illustratur a Domino (n. 6222, 6608, 10659).

Quod illis qui illustrantur, det Dominus videre et intelligere verum (n. 9382, 10659).

Quod illustratio intellectus sit varia secundum status vitae hominis (n. 5221, 7012, 7233).

Quod intellectus illustretur quantum homo recipit verum voluntate, hoc est, quantum vult facere secundum id (n. 3619).

Quod illorum intellectus illustretur qui legunt Verbum ex amore veri et ex amore usus vitae; non autem qui ex amore famae, honoris, lucri (n. 9382, 10548, 10549, 10550[? 10551]).

Quod illustratio sit actualis elevatio mentis in lucem caeli (n. 10330: *ab experientia*, n. 1526, 6608).

Quod intellectui illustratio sit lux e caelo, sicut est visui lux e mundo (n. 1524, 5114, 6608, 9128).

Quod lux caeli sit Divinum Verum, a quo omnis sapientia et intelligentia (n. 3195, 3222, 5400, 8644, 9399, 9548, 9684).

Quod intellectus hominis sit qui illustratur ab illa luce (n. 1524, 3138, 3167, 4408, 6608, 8707, 9126[? 9128], 9399, 10569).

Quod intellectus talis sit, qualia sunt vera ex bono ex quibus formatus est (n. 10064).

Quod intellectus sit qui a veris quae ex bono, non autem qui a falsis quae ex malo (n. 10675).

Quod intellectus sit videre, ex illis quae experientiae et scientiae sunt, vera, causas rerum, nexus, et consequentia in serie (n. 6125).

Quod intellectus sit videre et percipere num verum sit antequam confirmatur, non autem posse confirmare quodcunque (n. 4741, 7012, 7680, 7950, 8521, 8780).

Quod lux confirmationis absque praevia perceptione veri, [1]sit lux naturalis, etiam dabilis apud illos qui non sapiunt (n. 8780).

Quod videre et percipere num verum sit antequam confirmatur, solum detur apud illos qui afficiuntur vero propter verum, ita qui in luce spirituali sunt (n. 8780).

Quod omnia dogmata etiam falsa confirmari possint, usque ut appareant sicut vera (n. 2482[? 2243, 4677], 2490[? 2385, 4741], 5033, 6865, 7950).

Quomodo concipitur et nascitur rationale apud hominem (n. 2094, 2574[? 2524], 2557, 3030, 5126).

Quod ex influxu lucis caeli a Domino per internum hominem in cognitiones et scientias, quae sunt in externo, et inde elevationem (n. 1895, 1896[? 1899], 1900, 1901, 1902).

Quod rationale nascatur per vera, et non per falsa; inde qualia vera sunt, tale rationale (n. 2094, 2524, 2557).

Quod rationale per vera ex bono aperiatur et formetur, et quod per falsa ex malo claudatur et destruatur (n. 3108, 5126).

Quod homo non rationalis sit qui in falsis ex malo est; et quod ideo non rationalis sit quia potest ratiocinari de quacunque re (n. 1944).

Quod homo aegre sciat distinguere inter intellectum et voluntatem, quia aegre inter cogitare et velle (n. 9991[? 9995]).

Plura de Voluntate et Intellectu sciri et concludi possunt ex illis quae mox supra allata sunt de Bono et Vero, modo loco Boni percipiatur Voluntas, et loco Veri Intellectus; nam voluntas est boni, ac intellectus est veri.

[III.]

DE INTERNO ET EXTERNO HOMINE.

36. HOMO ita creatus est ut simul sit in mundo spirituali et in mundo naturali. Mundus spiritualis est ubi sunt angeli, et mundus naturalis ubi sunt homines. Et quia homo ita creatus est, ideo datum est ei internum et externum; internum per quod sit in mundo spirituali, externum per quod sit in mundo naturali. Internum ejus est quod vocatur internus homo, et externum quod vocatur externus homo.

37. Unicuique homini est internum et externum, sed aliter apud bonos et aliter apud malos. Internum apud bonos est in caelo et ejus luce, et externum in mundo et ejus luce; et haec lux apud illos illuminatur a luce caeli, et sic apud illos internum et externum unum agunt, sicut causa efficiens et effectus, seu sicut prius et posterius. At apud malos internum est in mundo et in ejus luce, ac in eadem etiam externum; quapropter nihil vident ex luce caeli, sed solum ex luce mundi, quae lux [ab] illis vocatur lumen Naturae: inde est quod illa quae caeli sunt iis in caligine sint, et quae mundi sunt in luce. Ex his patet quod bonis sit internus homo et externus homo, at quod malis non sit internus homo sed solum externus.

38. Internus homo est qui vocatur spiritualis homo, quia est in luce caeli, quae lux est spiritualis; et externus homo est qui vocatur naturalis homo, quia est in luce mundi, quae lux est naturalis. Homo cujus internum est in luce caeli et externum in luce mundi, is spiritualis homo est quoad utrumque; at homo cujus internum non est in luce caeli, sed solum in luce mundi in quo etiam externum, is naturalis homo est quoad utrumque. Spiritualis homo est qui in Verbo vocatur "vivus," at naturalis homo qui vocatur "mortuus."

39. Homo cujus internum est in luce caeli, et externum in luce mundi, ille et spiritualiter et naturaliter cogitat; sed tunc spiritualis ejus cogitatio influit in naturalem, ac percipitur ibi: at homo cujus internum cum externo est in luce mundi, non spiritualiter sed materialiter cogitat; cogitat enim ex talibus quae in mundi natura sunt, quae omnia sunt materialia. Spiritualiter cogitare est cogitare ipsas res in se, videre vera ex luce veri, et percipere bona ex amore boni, tum videre qualitates rerum et percipere illarum affectiones abstracte a materia; at materialiter cogitare est cogitare, videre, et percipere illa una cum materia, et in materia, ita respective crasse et obscure.

40. Internus spiritualis homo, in se spectatus, est angelus caeli; et quoque, dum vivit in corpore, est in societate cum angelis, tametsi id tunc nescit, et post solutionem a corpore inter angelos venit. Homo autem internus mere naturalis, in se spectatus, est spiritus et non angelus; et quoque, dum vivit in corpore, in societate cum spiritibus est, sed cum illis qui in inferno sunt; etiam post solutionem a corpore inter illos venit.

41. Interiora apud illos qui spirituales homines sunt, etiam actualiter elevata sunt versus caelum, spectant enim illud primario: interiora autem quae mentis sunt apud illos qui mere naturales sunt, actualiter versa sunt ad mundum, quia spectant illum primario. Interiora quae mentis sunt, apud unumquemvis versa sunt ad id quod super omnia amat; et exteriora quae animi sunt, vertuntur quo interiora.

42. Qui modo communem ideam de interno et externo homine habent, credunt quod internus homo sit qui cogitat et qui vult, et externus qui loquitur et qui facit, quoniam cogitare et velle est internum, et inde loqui et facere est externum. Sed sciendum est quod cum homo intelligenter cogitat et sapienter vult, tunc cogitet et velit ab interno spirituali; at cum homo non intelligenter cogitat et sapienter vult, cogitet et velit ab interno naturali: consequenter cum homo bene de Domino et de illis quae Domini sunt, et cum bene de proximo ac de illis quae proximi sunt, cogitat et illis bene vult, tunc cogitat et vult ab interno spirituali, quia tunc cogitat ex fide veri et ex amore boni, ita ex caelo: at cum homo male de illis cogitat et

male illis vult, tunc cogitat et vult ab interno naturali, quia ex fide falsi et ex amore mali, ita ex inferno. Verbo, quantum homo in amore in Dominum est, et in amore erga proximum est, tantum in interno spirituali est, et ex eo cogitat et vult, et quoque ex eo loquitur et facit; at quantum homo in amore sui est, et in amore mundi, tantum in interno naturali est, et ex eo cogitat et vult, et quoque ex eo loquitur et facit.

43. Ita provisum et ordinatum est a Domino, ut quantum homo ex caelo cogitat et vult, tantum aperiatur et formetur internus spiritualis homo; aperitio est in caelum usque ad Dominum, et formatio est secundum illa quae caeli sunt: vice versa autem, quantum homo non ex caelo sed ex mundo cogitat et vult, tantum clauditur internus spiritualis homo, et externus aperitur; aperitio est in mundum, et formatio est ad illa quae mundi sunt.

44. Illi apud quos internus spiritualis homo apertus est in caelum ad Dominum, in luce caeli sunt, et in illuminatione a Domino, et inde in intelligentia et sapientia; hi vident verum quia verum, et percipiunt bonum quia bonum. Illi autem apud quos internus spiritualis homo clausus est, non sciunt quod internus homo sit, minus quid internus homo; nec credunt quod Divinum sit, nec quod vita post mortem, ita nec illa quae caeli et ecclesiae sunt: et quia solum in luce mundi sunt, et in illuminatione inde, credunt Naturam ut Divinum, vident falsum ut verum, et percipiunt malum ut bonum.

45. Sensualis homo dicitur, cujus internum tantum est externum ut nihil credat nisi quod potest oculis videre et manibus tangere: is est infime naturalis homo, et in fallaciis de omnibus quae fidei ecclesiae sunt.

46. Internum et externum, de quibus actum est, est internum et externum spiritus hominis; corpus ejus est modo externum superadditum, intra quod illa existunt: corpus enim nihil ex se agit, sed ex suo spiritu qui in illo. Sciendum est quod spiritus hominis post solutionem a corpore aeque cogitet et velit, ac loquatur et faciat; cogitare et velle est ejus internum, ac loqui et facere est ejus externum. (De quo videatur in opere *De Caelo* [*et Inferno*], n. 234–245 265–275, 432–444, 453–484.)

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.)

47. *De Interno et Externo apud hominem.*

Quod in Christiano orbe sciatur quod sit homini internum et externum, seu homo internus et externus, sed quod parum sciatur qualis unus et alter (n. 1889, 1940).

Quod internus homo sit spiritualis, et quod externus sit naturalis (n. 978, 1015, 4459, 6309, 9701–9708[? 9709]).

Quod internus homo qui spiritualis formatus sit ad imaginem caeli, et externus qui naturalis ad imaginem mundi, quomodo; et quod homo ideo ab antiquis dictus sit microcosmus (n. 3628, 4523, 4524, 6057, 6314, 9706, 10156, 10472).

Sic quod in homine conjunctus sit mundus spiritualis et mundus naturalis (n. 6057, 10472).

Quod inde homo talis sit ut spectare possit sursum versus caelum. et deorsum versus mundum (n. 7601, 7604, 7607).

Cum spectat sursum, quod in luce caeli sit et inde videat; cum autem spectat deorsum, quod in luce mundi sit et inde videat (n. 3167, 10134).

Quod apud hominem detur descensus e mundo spirituali in naturalem (n. 3702, 4042).

Quod internus homo qui spiritualis, et externus homo qui naturalis, prorsus distincti sint (n. 1999, 2018, 3691, 4459).

Quod distinctio sit qualis inter causam et effectum, et qualis inter prius et posterius, et quod non sit continuum (n. 3691, 4145[? 4154, 5145], 5146, 5711, 6275, 6284, 6299, 6326, 6465, 8603, 10076, 10099, 10181).

Proinde quod distinctio sit sicut inter caelum et mundum, aut inter spirituale et naturale (n. 4292, 5132[? 5032], 8610[? 5620, 5639]).

Quod interiora et exteriora hominis non continua sint, sed secundum gradus distincta, et quilibet gradus terminatus (n. 3691, 4145, 5114, 6326, 6465, 8603, 10099).

Qui non percipit distinctiones interiorum et exteriorum hominis secundum gradus, et qui non intelligit quales sunt gradus, quod non capere possit internum et externum hominis (n. 5146, 6465, 10099, 10181).

Quod illa quae in superiori gradu sunt, perfectiora sint illis quae in inferiori (n. 3405).

Quod tres gradus secundum tres caelos in homine sint (n. 4154).

Quod exteriora remotiora sint a Divino apud hominem, quare obscura respective; et quod sint communia (n. 6451); et quoque inordinata respective (n. 996, 3855).

Quod interiora sint perfectiora, quia propiora Divino (n. 5146, 5147).

Quod in interno millia et millia sint, quae in externo apparent ut commune unum (n. 5707).

Quod inde cogitatio et perceptio quo interior eo clarior (n. 5920).

Quod inde sequatur quod homo in internis debeat esse (n. 1175, 4464).

Quod interiora quae mentis sunt, apud hominem qui in amore et charitate est, actualiter eleventur a Domino, et quod alioqui spectarent deorsum (n. 6952, 6954, 10330).

Quod influxus et illustratio e caelo apud hominem, sit actualis elevatio interiorum a Domino (n. 7816, 10330).

Quod homo elevetur cum ad spiritualia (n. 2922[? 9922]).
Quod quantum homo ab externis elevatur versus interiora, tantum in lucem, ita in intelligentiam, veniat; et quod hoc sit abduci a sensualibus, sicut ab antiquis dictum est (n. 6183, 6313).
Quod elevatio ab externo ad interiora sit sicut e nimbo in lucem (n. 4958[? 4598]).

Quod influxus a Domino sit per internum hominem in externum (n. 1940, 5119).
Quod interiora influere possint in exteriora, et non vicissim; ita quod sit influxus spiritualis et non physicus; nempe, e spirituali homine in naturalem, et non e naturali in spiritualem (n. 3219, 5119, 5259, 5427, 5428, 5477, 6322, 9110[? 9109], 9111[? 9110]).
Quod Dominus ab interno, ubi pacificum, regat externum, ubi tumultuosum (n. 5396).

Quod internum videre possit omnia in externo, sed non vicissim (n. 1914, 1953, 5427, 5428, 5477).
Cum homo vivit in mundo, quod ab interno cogitet in externo; ita quod spiritualis ejus cogitatio influat in naturalem, ac ibi se sistat naturaliter (n. 3679).
Cum homo bene cogitat, quod sit ab interno seu spirituali in externo seu naturali (n. 9704, 9705, 9707).
Quod homo externus cogitet et velit secundum conjunctionem cum interno (n. 9702, 9703).
Quod sit interior cogitatio et exterior; qualis una et altera (n. 2515, 2552, 5127, 5141, 5168, 6007).
Quod non percipiatur ab homine, dum in mundo vivit, cogitatio et affectio quae in interno, sed quae in externo inde (n. 10236, 10240).
At quod in altera vita auferantur externa, et homo tunc immittatur in sua interna (n. 8870).
Quod tunc pateat qualia interna sunt (n. 1806, 1807).

Quod internum producat externum (n. 994, 995).
Et quod internum tunc induat se talibus per quae agere possit effectum in externo (n. 6275, 6284, 6299): et per quae tunc vivere possit in externo (n. 1175, 6275).
Quod Dominus conjungat internum seu spiritualem hominem externo seu naturali, cum regenerat illum (n. 1577, 1594, 1904, 1999).
Quod externus seu naturalis homo tunc redigatur in ordinem per internum seu spiritualem, et quod subordinetur (n. 9708).

Quod externum erit subordinatum et subjectum interno (n. 5077, 5125, 5128, 5786, 5947, 10272).
Quod externum ita creatum sit ut serviat interno (n. 5947).
Quod internum erit dominus, et externum minister, et in certo respectu servus (n. 10471).

Quod externum in correspondentia esse debeat cum interno, ut sit conjunctio (n. 5427, 5428, 5477).
Quale externum est cum correspondet interno, et quale cum non correspondet (n. 3493, 5422, 5423, 5427, 5428, 5477, 5512[? 5511]).
Quod in externo homine sint quae correspondent et concordant cum interno, et quod sint quae non correspondent et concordant (n. 1563, 1568).

Quod externum suum quale habeat ab interno (n. 9912, 9921, 9922).

Quanta pulchritudo externi hominis est cum is conjunctus est cum interno (n. 1590).

Et quanta turpitudo cum non conjunctus (n. 1598).

Quod amor in Dominum et charitas erga proximum conjungant externum hominem interno (n. 1594).

Nisi internus homo conjunctus sit cum externo, quod nulla fructificatio (n. 3987).

Quod interiora successive influant in exteriora, usque in extremum seu ultimum, et quod ibi simul existant et subsistant (n. 634, 6239, 9216[? 9215], 9217[? 9216]).

Quod non modo successive influant, sed etiam forment in ultimo simultaneum; quo ordine (n. 5897, 6451, 8603, 10099).

Quod omnia interiora contineantur in nexu a primo per ultimum (n. 9828).

Quod etiam inde in ultimis sit robur et potentia (n. 9836).

Tum quod ideo ex ultimis responsa et revelata (n. 9905, 10548).

Quod inde etiam ultimum prae interioribus sanctum (n. 9824).

Quod inde in Verbo "primum et ultimum" significent omnia et singula, ita totum (n. 10044, 10329, 10335).

Quod internus homo apertus sit ei qui in ordine Divino est, at clausus ei qui non in ordine Divino est (n. 8513).

Quod non sit conjunctio caeli cum externo homine absque interno (n. 9380).

Quod mala et mali falsa claudant internum hominem, ac faciant ut homo solum in externis sit (n. 1587, 10492): imprimis mala ex amore sui (n. 1594).

Quod interiora claudantur usque ad sensuale quod ultimum est, si Divinum negatur (n. 6564).

Quod internum apud intelligentes et doctos mundi, qui ex scientiis se confirmant contra illa quae caeli et ecclesiae sunt, plus claudatur quam apud simplices tales (n. 10492).

Quia internus homo in luce caeli est, et externus in luce mundi, quod ideo qui in externo sunt absque interno, hoc est, apud quos clausum est internum, non curent interna quae caeli et ecclesiae sunt (n. 4464, 4946).

Quod in altera vita ne quidem sustineant interna (n. 10694, 10701, 10707).

Quod nihil credant (n. 10396, 10400, 10411, 10429).

Quod se et mundum super omnia ament (n. 10407, 10412, 10422[? 10420]).

Quod interiora eorum, seu quae cogitationis et affectionis sunt, turpia, spurca, et profana sint, utcunque apparent in externis (n. 1182, 7046, 9705, 9707).

Quod ideae cogitationis eorum materiales sint, et prorsus non spirituales (n. 10582).

Porro, quales sunt apud quos internum, quod spectat caelum, clausum est (n. 4459, 9709, 10284, 10286, 10429, 10472, 10492, 10602, 10682[? 10683]).

Quod quantum aperitur internum quod spirituale, tantum multi-

plicentur vera et bona; et quod quantum clauditur internum quod spirituale, tantum vera et bona evanescant (n. 4099).

Quod ecclesia sit in interno spirituali homine, quia is in caelo est, et non in externo absque illo (n. 10698).

Inde quod ecclesia externa apud hominem nihil sit absque interna (n. 1795).

Quod cultus externus absque cultu interno sit nullus cultus (n. 1094, 1175).

De illis qui in interno ecclesiae, cultus, et Verbi sunt, de illis qui in externo in quo internum, et de illis qui in externo absque interno (n. 10682[? 10683]).

Quod externum sit durum absque interno (n. 10682[? 10683]).

Quod mere naturalis homo sit in inferno, nisi fiat spiritualis per regenerationem (n. 10156).

Quod omnes qui in externo sunt absque interno, seu apud quos internum spirituale est clausum, in inferno sint (n. 9128, 10483, 10489).

Quod interiora hominis actualiter vertantur secundum amores (n. 10702).

Quod in omnibus et singulis erit internum et externum ut subsistant (n. 9473).

Quod "supernum" et "altum" in Verbo significet internum (n. 1735, 2148, 4210, 4599).

Inde quod in Verbo "superius" sit interius, ac "inferius" sit exterius (n. 3084).

48. *De Naturali et Spirituali.*

Quam perversum est quod orbis hodie tantum tribuat Naturae, et tam parum Divino (n. 3483).

Cur ita fit (n. 5116).

Cum tamen omnia et singula in Natura non modo exstiterunt, sed etiam continue subsistunt, a Divino; et hoc per mundum spiritualem (n. 775, 8211).

Quod Divina, caelestia, et spiritualia, terminentur in Natura (n. 4240, 4939).

Quod Natura sit ultimum planum cui illa insistunt (n. 4240, 5051[? 5651], 6275, 6284, 6299, 9216).

Quod caelestia, spiritualia et naturalia consequantur et succedant ordine; ita cum illis Divina, quia illa a Divino sunt (n. 880, 4938, 4939, 9992, 10005, 10017, 10068).

Quod caelestia sint caput, spiritualia corpus, et naturalia pedes (n. 4938, 4939).

Quod simili ordine quo consequuntur et succedunt, etiam influant (n. 4938, 4939).

Quod bonum intimi seu tertii caeli dicatur caeleste, bonum medii seu secundi caeli dicatur spirituale, et bonum ultimi seu primi caeli dicatur spirituale naturale; unde sciri potest quid caeleste, spirituale, et naturale (n. 4279, 4286, 4938, 4939, 9992, 10005, 10017, 10068; et in opere *De Caelo et Inferno*, n. 20–28, 29–40).

Quod omnia mundi naturalis sint a Divino per mundum spiritualem (n. 5013).

Inde quod spirituale insit omni naturali, quemadmodum causa

efficiens inest effectui (n. 3562, 5711); tum quemadmodum conatus inest motui (n. 5173); et quemadmodum internum inest externo (n. 3562, 5326, 5711).

Et quia causa est ipsum essentiale in effectu, similiter conatus in motu, ut et internum in externo, inde sequitur quod spirituale sit ipsum essentiale in naturali, ita Divinum a quo (n. 2987–3002, 9701–9709).

Quod spiritualia sistantur in naturali; et quae sistuntur, quod sint repraesentativa et correspondentiae (n. 1632, 2987–3002).

Quod inde sit quod universa Natura sit theatrum repraesentativum mundi spiritualis, hoc est, caeli (n. 2758, 2999, 3000, 4939, 8848, 9280).

Quod omnia in Natura disposita sint in ordine et serie secundum fines (n. 4104).

Quod hoc sit e mundo spirituali, hoc est, caelo, quia ibi fines, qui usus, regnant (n. 453[? 454], 696, 1103, 3645, 4054, 7038).

Quod homo ita creatus sit, ut Divina, secundum ordinem descendentia in Naturam, apud illum percipiantur (n. 3702).

Quod apud unumquemvis hominem qui in ordine Divino est, sit internum et externum; internum ejus vocatur spirituale seu spiritualis homo, externum ejus naturale seu naturalis homo (n. 978, 1015, 4459, 6309, 9701–9709).

Quod spiritualis homo sit in luce caeli, et naturalis in luce mundi (n. 5965).

Quod naturalis homo nihil perspicere possit ex se, sed ex spirituali (n. 5286).

Quod naturale sit quasi facies, in qua se interiora vident, et quod sic homo cogitet (n. 5165).

Quod homo spiritualis cogitet in naturali, ita naturaliter, quantum ad perceptionem ejus sensualem venit (n. 3679, 5165, 6284, 6299).

Quod naturale sit planum in quo terminatur spirituale (n. 5651, 6275, 6284, 6299, 9216).

Quod spirituale nihil videat, nisi naturale correspondeat (n. 3493, 3620, 3623).

Quod spiritualis seu internus homo videre possit quid peragitur in naturali seu externo; non autem vicissim; quia spirituale influit in naturale, et non naturale in spirituale (n. 3219, 4667, 5119, 5259, 5427, 5428, 5477, 6322, 9110[? 9109], 9111[? 9110]).

Quod naturalis homo ex sua luce, quae lumen Naturae vocatur, non sciat aliquid de Deo, nec de caelo, ac de vita post mortem, nec credat si audit, nisi in lumen illud influat lux spiritualis, quae est lux e caelo (n. 8444[? 8944]).

Quod naturalis homo ex se, quia ex nativitate, sit oppositus homini spirituali (n. 3913, 3928).

Quod ideo, quamdiu oppositi sunt, homo molestum sentiat cogitare de spiritualibus et caelestibus, sed jucundum de naturalibus et corporeis (n. 4096).

Quod ad illa quae caeli sunt nauseet, et quoque ad solam nominationem spiritualis (*ab experientia*, n. 5006, 9109).

Quod mere naturales spectent bonum et verum spirituale ut servum (n. 5013, 5025).

Cum tamen naturalis homo subordinatus esse debet spirituali, et ei servire (n. 3019, 5168).

Spiritualis homo naturali servire dicitur, quando hic ex intellectuali conquirit confirmantia de talibus quae concupiscit, imprimis ex Verbo (n. 3019, 5013, 5025, 5168).

Qualiter mere naturales homines in altera vita apparent, et qualis illorum status et sors ibi est (n. 4630, 4633, 4940–4951[? 4952], 5032, 5571).

Quod vera quae in naturali homine sunt, dicantur scientifica et cognitiones (n. 3293).

Quod naturali homini in se spectato sit imaginatio materialis, et quod sint affectiones, quales sunt bestiis (n. 3020).

Sed quod genuinum cogitativum et imaginativum sit ex interno seu spirituali homine, quando ex eo naturalis homo videt, agit et vivit (n. 3493, 5422, 5423, 5427, 5428, 5477, 5512[? 5510]).

Quod quae in naturali homine sunt, respective ad illa quae in spirituali homine, sint communia (n. 3513, 5707).

Et sic quod respective sint obscura (n. 6686).

Quod sit naturale interius et exterius apud hominem (n. 3293, 3294, 3793, 5118, 5126, 5497, 5649).

Quod etiam sit medium inter illa (n. 4570, 9216).

Quod exonerationes spiritualis hominis fiant in naturalem et per illum (n. 9572).

Quod qui ex sola indole naturali bonum faciunt, et non ex religione, non recipiantur in caelo (n. 8002, 8772).

49. *De Luce Caeli, in qua spiritualis homo est.*

Quod lux magna in caelis sit (n. 1117, 1521, 1533, 1619–1632).

Quod lux in caelis multis gradibus excedat lucem meridianam in terra (n. 1117, 1521, 4527, 5400, 8644).

Quod lux illa mihi saepius visa sit (n. 1522, 4527, 7174).

Quod lux angelis in caelo intimo seu tertio sit sicut lux e sole, at lux angelis in secundo caelo sit sicut lux e luna (n. 1529, 1530).

Quod lux in intimo caelo sit flammea, in secundo autem candida (n. 9570).

Quod omnis lux in caelis sit a Domino ut Sole ibi (n. 1053, 1521, 3195, 3341, 3636, 3643, 4415, 9548, 9684, 10809).

Quod Dominus sit Sol caeli angelici, et quod ille sit Divinus Ipsius Amor (n. 1521, 1529, 1530, 1531, 1837, 4321, 4696, 7078, 7171[? 7083], 7173).

Quod Divinum Verum procedens a Domino in caelis appareat ut lux, ac sistat omnem lucem caeli; et quod inde lux illa sit lux spiritualis (n. 3195, 3222, 5400, 8644, 9399, 9548, 9684).

Quod ideo Dominus in Verbo dicatur Lux (n. 3195).

Quia lux illa est Divinum Verum, quod in luce illa sit Divina Sapientia et Intelligentia (n. 3395[? 3195], 3485, 3636, 3643, 3993, 4302, 4413, 4415, 9548, 9684).

Quomodo lux a Domino influit in caelos, illustratum per circulos radiosos circum solem (n. 9407).

(Quod Dominus sit Sol caelis, et quod ab Ipso omnis lux ibi, videatur in opere *De Caelo* [*et Inferno*], n. 116–125: et quod lux ex illo Sole sit Divinum Verum, et quod calor ex illo Sole sit Divinum Bonum Divini Amoris, n. 126–140.)

Quod lux caeli illuminet angelorum et spirituum et visum et intellectum (n. 2776, 3138).

Quod lux ibi se habeat secundum eorum intelligentiam et sapientiam (n. 1524, 3339).

Testatum e Verbo (n. 1529, 1530).

Quod lucis differentiae in caelis totidem sint quot societates angelicae (n. 4414): quoniam perpetuae varietates sunt in caelis quoad bonum et verum, ita quoad sapientiam et intelligentiam (n. 684, 690, 3241, 3744, 3745, 5598, 7236, 7833, 7836).

Quod caelum in luce et calore sit, significet quod in sapientia et in amore (n. 3643, 9399, 9401[? 9400]).

Quod lux caeli illuminet intellectum hominis (n. 1524, 3138, 3167, 4408, 6608, 8707, 9126[? 9128], 9399, 10569).

Quod homo, cum elevatur a sensuali, in lumen mitius veniat, et tandem in lucem caelestem (n. 6313, 6315, 9407).

Quod elevatio sit in lucem caeli, cum homo in intelligentiam [venit] (n. 3190).

Lux quanta percepta est, cum abductus sum ab ideis mundanis (n. 1526, 6608).

Quod visus interni hominis sit in luce caeli, et quod ideo homo analytice et rationaliter cogitare possit (n. 1532).

Quod lux caeli a Domino semper apud hominem adsit; sed quod tantum influat quantum homo in veris ex bono est (n. 4060, 4213[? 4214]).

Quod lux illa sit secundum verum ex bono (n. 3094).

Quod vera luceant in mundo spirituali (n. 5219).

Quod calor spiritualis et lux spiritualis faciant veram vitam hominis (n. 6032).

Quod lux mundi sit pro externo homine, lux caeli pro interno (n. 3222[? 3223], 3223[? 3224], 3337).

Quod lux caeli inflat in lumen naturale, et quod naturalis homo tantum sapiat quantum illam lucem recipit (n. 4302, 4408).

Quod inter illas luces sit correspondentia (n. 3225).

Quod e luce mundi apud hominem, quae lumen ejus naturale vocatur, non videri possint illa quae in luce caeli sunt, sed vicissim (n. 9574[? 9577]).

Inde est quod quï in sola luce mundi, quae vocatur lumen naturale, sunt, non percipiant illa quae lucis caeli sunt (n. 3108).

Quod lux caeli illis qui in falsis ex malo sunt, sit caligo (n. 1783, 3337, 3413, 4060, 6907, 8197).

Quod lux mundi rutilet apud malos; et quod quantum rutilat, tantum illa quae lucis caeli sunt, illis tenebrae sint (n. 6907).

Quod lux mundi non appareat angelis (n. 1521, 1783, 1880).

Quod in caelis omnis lux sit a Domino, et quod omnis umbra ab ignorantia ac proprio angelorum et spirituum; inde modificationes et variegationes lucis et umbrae, quae sunt colores ibi (n. 3391[? 3341]).

De lucis variegationibus per urim et thummim (n. 3862).

Quod lux eorum qui in fide separata a charitate sunt, sit nivea, et quod sit sicut lux hiemalis (n. 3412, 3413).

Quod lux illa vertatur in meras tenebras, influente luce e caelo (n. 3412).

De luce eorum qui in fide persuasiva et in vita mali (n. 4416).
Qualis apparet lux apud illos qui in intelligentia a proprio sunt, et qualis apud illos qui in intelligentia a Domino (n. 4419).

Quod lumen in infernis sit, sed fatuum (n. 1528, 3940[? 3340], 4213[? 4214], 4418, 4531).
Quod lumen ibi sit sicut lumen ex igne carbonario (n. 1528, 4418, 4531).
Quod qui in infernis sunt, appareant sibi in suo lumine sicut homines, sed in luce caeli sicut diaboli et monstra (n. 4532, 4533, 4674, 5057, 5058, 6605, 6626).
Quod omnia in luce caeli appareant qualia sunt (n. 4674).
Quod inferna dicantur esse in caligine et tenebris, est quia sunt in falsis ex malo (n. 3340, 4418, 4531).
Quod "tenebrae" significent falsa, et "caligo" falsum mali (n. 1839, 1860, 7688, 7711).

50. *De Sensuali Homine, qui infime naturalis* (de quo in Doctrina, n. 45, supra).

Quod sensuale sit ultimum vitae hominis, adhaerens et inhaerens corporeo ejus (n. 5077, 5767, 9212, 9216, 9331, 9730).
Quod is sensualis homo dicatur qui omnia judicat et concludit ex sensibus corporis, et qui nihil credit nisi quae oculis videre et manibus tangere potest, haec dicens esse aliquid, cetera rejiciens (n. 5094, 7693).
Quod talis homo cogitet in extremis, et non interius in se (n. 5089, 5094, 6564, 7693).
Quod interiora ejus clausa sint, ut ibi nihil veri videat (n. 6564, 6844, 6845).
Verbo, quod in crasso lumine naturali sit, et quod sic nihil percipiat quod e luce caeli (n. 6201, 6310, 6564, 6598, 6612, 6614, 6622, 6624, 6844, 6845).
Quod inde interius sit contra illa quae caeli et ecclesiae sunt (n. 6201, 6316, 6844, 6845, 6948, 6949).
Quod eruditi qui confirmaverunt se contra vera ecclesiae sensuales sint (n. 6316).

Quod sensuales homines ratiocinentur acriter et solerter, quoniam cogitatio eorum est tam prope loquelam ut paene in illa, et quia in loquela ex sola memoria ponunt omnem intelligentiam (n. 195, 196, 5700, 10236).
Sed quod ex fallaciis sensuum ratiocinentur, quibus captatur vulgus (n. 5084, 6948, 6949, 7693).

Quod sensuales homines astuti sint et malitiosi prae reliquis (n. 7693, 10236).
Quod avari, adulteri, voluptuosi et dolosi imprimis sensuales sint (n. 6310).
Quod interiora eorum sint foeda et spurca (n. 6201).
Quod per illa communicent cum infernis (n. 6311).
Quod illi qui in infernis sunt, sensuales sint, et eo plus quo profundius ibi (n. 4623, 6311).
Quod sphaera spirituum infernalium se conjungat cum sensuali hominis a tergo (n. 6312).
Quod illi qui ratiocinati sunt a sensuali, et inde contra vera fidei,

ab antiquis dicti fuerint serpentes arboris scientiae (n. 195, 196, 197, 6398, 6949, 10313).

Porro sensuale hominis, et sensualis homo, describitur (n. 10236). Et extensio sensualis apud hominem (n. 9731).

Quod sensualia ultimo loco esse debeant, non primo; et quod apud hominem sapientem et intelligentem ultimo loco sint, et subjecta interioribus; at quod apud hominem insipientem primo loco sint, et dominantia; hi sunt qui proprie vocantur sensuales (n. 5077, 5125, 5128, 7645).

Si sensualia ultimo loco sunt, et subjecta interioribus, quod per illa aperiatur via ad intellectum, ac elimentur vera per modum quasi extractionis (n. 5580).

Quod sensualia illa hominis proxime exstent mundo, et admittant quae e mundo alluunt, et quasi cribrent illa (n. 9726).

Quod externus seu naturalis homo per sensualia illa communicet cum mundo, et per rationalia cum caelo (n. 4009),

Quod sensualia sic subministrent illa quae inserviunt interioribus hominis (n. 5077, 5081).

Quod sint sensualia subministrantia parti intellectuali et subministrantia parti voluntariae (n. 5077).

Quod, nisi cogitatio a sensualibus elevatur, homo parum sapiat (n. 5089).

Quod sapiens homo supra sensuale cogitet (n. 5089, 5094).

Quod homo, cum cogitatio ejus supra sensualia elevatur, in lumen clarius veniat, et tandem in lucem caelestem (n. 6183, 6313, 6315, 9407, 9730, 9922).

Quod elevatio supra sensualia et abductio ab illis, antiquis nota fuerit (n. 6313).

Quod homo spiritu suo videre possit quae in mundo spirituali, si abduci possit a sensualibus quae ex corpore, et elevari in lucem caeli a Domino (n. 4622).

Causa est, quia non corpus sentit, sed spiritus hominis in corpore; et quantum in corpore, tantum crasse et obscure, ita in tenebris, sentit; quantum non in corpore, tantum clare et in luce (n. 4622, 6614, 6622).

Quod ultimum intellectus sit scientificum sensuale, et quod ultimum voluntatis sit jucundum sensuale (*de quibus*, n. 9996).

Quae differentia inter sensualia communia cum bestiis, et inter sensualia non communia cum illis (n. 10236).

Quod sint sensuales non mali, quia interiora eorum non ita clausa sunt; de quorum statu in altera vita (n. 6311).

51. *De Scientiis et Cognitionibus, per quas internus spiritualis homo aperitur.*

Quod scientifica dicantur quae in externo seu naturali homine et ejus memoria sunt; non autem quae in interno seu spirituali (n. 3019, 3020, 3293, 3309, 4967, 9918, 9922).

Quod scientifica, quia externi seu naturalis hominis, sint respective servitia, quoniam externus seu naturalis homo factus est ut serviat

interno seu spirituali, ut mundus caelo (n. 5077, 5125, 5128, 5786, 5947, 10272, 10471).

Quod externus homo sit mundus respective, quia ei inscriptae sunt leges ordinis Divini quae in mundo; et quod internus homo sit caelum respective, quia ei inscriptae sunt leges ordinis Divini quae in caelo (n. 4523, 4524, 5368, 6013, 6057, 9278, 9279, 9283, 9709, 10156, 10472; et in opere *De Caelo* [*et Inferno*], n. 51–58).

Quod sint scientifica quae concernunt naturalia, quae sunt status et vitae civilis, quae sunt status et vitae moralis, et quae sunt status et vitae spiritualis (n. 5734[? 5774], 5934).

Sed quod distinctionis causa, illa quae sunt status et vitae spiritualis dicantur cognitiones, quae praecipue sunt doctrinalia (n. 9945).

Quod homo imbuendus sit scientiis et cognitionibus, quoniam per illas discit cogitare, dein intelligere quid verum et bonum, et tandem sapere, hoc est, vivere secundum illa (n. 129, 1450, 1451, 1453, 1548, 1802).

Quod scientifica et cognitiones sint prima, super quibus struitur et fundatur hominis vita, tam civilis quam moralis, ut et spiritualis; at quod discenda sint propter usum vitae ut finem (n. 1489, 3310).

Quod cognitiones aperiant viam ad internum hominem, ac dein conjungant illum cum externo secundum usus (n. 1563, 1616).

Quod rationale nascatur per scientias et cognitiones (n. 1895, 1900, 3086); sed non per ipsas scientias et cognitiones, sed per affectionem usuum ex illis, et secundum eam (n. 1895).

Quod internus homo aperiatur et successive perficiatur per scientias et cognitiones, si homo pro fine habet usum bonum, imprimis usum qui spectat vitam aeternam (n. 3086).

Quod tunc scientificis et cognitionibus, quae sunt in naturali homine, occurrant spiritualia ex caelesti et spirituali homine, et adoptent convenientia (n. 1495).

Quod usus vitae caelestis tunc ex scientificis et cognitionibus quae in naturali homine, per internum hominem, a Domino extrahantur, elimentur, et eleventur (n. 1895, 1896, 1900–1902, 5871, 5874, 5901).

Et quod scientifica incongrua et adversantia ad latera rejiciantur, et exterminentur (n. 5871, 5886, 5889).

Quod visus interni hominis non aliud evocet ex scientificis et cognitionibus externi hominis, quam quae sunt amoris illius (n. 9394).

Quod scientifica et cognitiones fasciculatim sint disposita et conjuncta secundum amores per quos introducta (n. 5881).

Quod tunc sub visu interni hominis in medio sint et in claro quae amoris sunt, ad latera autem et in obscuro quae non amoris (n. 6068, 6085[? 6084]).

Quod scientifica et cognitiones apud hominem successive implantentur ejus amoribus, et in illis habitent (n. 6325).

Quod homo in omnem scientiam et inde intelligentiam nasceretur, si in amorem in Dominum et in amorem erga proximum; sed quia in amorem sui et mundi, quod nascatur in totalem ignorantiam (n. 6323, 6325).

Quod scientia, intelligentia et sapientia sint filii amoris in Dominum et amoris erga proximum (n. 1226, 2049, 2116).

Quod scientifica et cognitiones, quia sunt externi seu naturalis

hominis, sint in luce mundi; vera autem quae facta sunt amoris et fidei, et sic vitam adepta, sint in luce caeli (n. 5212).

Quod usque vera, quae sic vitam adepta sunt, ab homine comprehendantur per ideas naturales (n. 5510).

Quod influxus spiritualis sit per internum hominem in scientifica et cognitiones quae in externo (n. 1940, 8005).

Quod scientifica et cognitiones sint receptacula et quasi vasa veri et boni, quae interni hominis (n. 1469, 1496, 3068, 5489, 6004, 6023, 6052, 6071, 6077, 7770, 9922).

Quod ideo per "vasa" in Verbo in spirituali sensu significentur scientifica et cognitiones (n. 3068, 3069, 3079, 9394, 9544, 9723, 9724).

Quod scientifica sint quasi specula, in quibus vera et bona interni hominis sicut in imagine apparent et percipiuntur (n. 5201).

Quod ibi simul sint ut in suo ultimo (n. 5373, 5874, 5886, 5901, 6004, 6023, 6052, 6071, 6077).

Quod scientifica, quia in luce mundi, sint implexa et obscura respective ad illa quae sunt in luce caeli; ita quae in externo homine respective ad illa quae in interno (n. 2831).

Quare etiam per "implexum" in Verbo significatur scientificum (n. 2831): et quoque per "obscurum nubis" (n. 8443, 10551).

Quod a veris doctrinae, quae ex Verbo, ducendum sit principium, et illa primum agnoscenda; et quod dein liceat consulere scientifica, ad confirmandum illa; et quod sic corroborentur (n. 6047).

Ita quod liceat illis qui in affirmativo sunt de veris fidei, per scientifica intellectualiter confirmare illa; non autem illis qui in negativo; quia affirmativum praecedens trahit omnia in suas partes, et negativum praecedens omnia in suas (n. 2568, 2588, 3913, 4760, 6047).

Quod detur dubitativum affirmativum, ac dubitativum negativum; illud apud quosdam bonos, hoc apud malos (n. 2568).

Quod a veris fidei intrare in scientifica sit secundum ordinem, at vicissim ex scientificis intrare in vera fidei sit contra ordinem (n. 10236).

Quoniam influxus spiritualis est, et non physicus seu naturalis, ita a veris fidei, quia haec sunt spiritualia, in scientifica, quia haec sunt naturalia (n. 3219, 5119, 5259, 5427, 5428, 5478, 6322, 9110[? 9109], 9111[? 9110]).

Qui in dubitativo negativo est, quod in se est negativum, ac dicit quod non credat priusquam persuadeatur per scientifica, quod nusquam credat (n. 2094, 2832).

Quod illi qui id faciunt, fiant vesani quoad illa quae ecclesiae et caeli sunt (n. 128–130).

Quod cadant in falsa mali (n. 232, 233, 6047): et quod in altera vita, cum de spiritualibus cogitant, sint quasi ebrii (n. 1072).

Quales porro sunt (n. 196).

Exempla illustrantia quod spiritualia non capi possint, si inverso ordine in illa intratur (n. 233, 2094, 2196, 2203, 2209).

Quod multi eruditi in spiritualibus plus insaniant quam simplices, ex causa quia in negativo sunt, et illis scientifica, per quae confirmant negativum, in multa copia sunt (n. 4760).

Exemplum de erudito qui nihil de vita spirituali intelligere potuit (n. 8629).

Quod qui ex scientificis ratiocinantur contra vera fidei, acriter

ratiocinentur, quoniam ex fallaciis sensuum, quae captant et persuadent, quia aegre discuti queunt (n. 5700).

Quod qui nihil veri intelligunt, et quoque qui in malo sunt, ratiocinari queant de veris et bonis fidei, et tamen in nulla illustratione esse (n. 4213[? 4214]).

Quod solum confirmare dogma non sit intelligentis, quia falsum aeque confirmari potest ac verum (n. 1017, 2482, 2490, 4741, 5033, 6865, 7012, 7680, 7950, 8521, 8780).

Quod qui ratiocinantur de veris ecclesiae, num ita sit vel non ita, plane in obscuro de veris sint, et nondum in luce spirituali (n. 215, 1385, 3033, 3428).

Quod sint scientifica quae admittunt vera Divina, et quae non admittunt (n. 5213).

Quod scientifica inania destruenda sint (n. 1489, 1492, 1499, 1500).

Quod scientifica inania sint quae pro fine habent et confirmant amores sui et mundi, et quae abstrahunt ab amoribus in Dominum et erga proximum, quia talia occludunt internum hominem, usque adeo ut homo dein non aliquid e caelo recipere possit (n. 1563, 1600).

Quod scientifica sint media sapiendi, et media insaniendi; et quod per illa internus homo vel aperiatur vel claudatur; et sic rationale vel excolatur vel destruatur (n. 4156, 8628, 9922).

Quod scientiae post mortem nihil faciant, sed quae homo per scientias hausit intellectu et vita (n. 2480).

Quod usque omnia scientifica post mortem maneant, sed quod quiescant (n. 2476–2479, 2481–2486).

Quod eadem scientifica apud malos sint falsa, quia applicantur ad mala, et apud bonos vera, quia applicantur ad bona (n. 6917).

Quod vera scientifica apud malos non sint vera, utcunque apparent ut vera dum loquuntur illa, quia intus in illis est malum, et inde falsificata; et quod apud illos scientia eorum ne quidem dici mereatur scientia, quoniam absque vita (n. 10331).

Quod aliud sit sapere, aliud intelligere, aliud scire, et aliud facere; sed quod usque apud illos qui in vita spirituali sunt, ordine consequantur, et correspondeant, et in facere seu in factis simul sint (n. 10331).

Quod etiam aliud sit scire, aliud agnoscere, et aliud fidem habere (n. 896).

Qualis cupido sciendi spiritibus est, exemplum (n. 1993[? 1973]).

Quod apud angelos sit desiderium sciendi et sapiendi immensum, quoniam scientia, intelligentia et sapientia sunt cibus spiritualis (n. 3114, 4459, 4792, 4976, 5147, 5293, 5340, 5342, 5410, 5426, 5576, 5582, 5588, 5656[? 5655], 6277, 8562, 9003).

Quod praecipua scientia antiquis fuerit scientia correspondentiarum, sed quod illa hodie obliterata sit (n. 3021, 3419, 4280, 4344[? 4844], 4964, 4965[? 4966], 6004, 7729, 10252).

Quod apud orientales et in Aegypto fuerit scientia correspondentiarum (n. 5702, 6692, 7097, 7779, 9391, 10407).

Quod inde eorum hieroglyphica (n. 6692, 7097).

Quod antiqui per scientiam correspondentiarum se introduxerint in cognitiones spiritualium (n. 4749, 4844, 4965[? 4966]).

Quod Verbum per meras correspondentias conscriptum sit, et quod inde sensus ejus internus seu spiritualis, qui absque scientia correspondentiarum non sciri potest quod sit, nec quale est Verbum (n. 3131, 3472–3485, 8615, 10687).

Quantum scientia correspondentiarum praestat aliis scientiis (n. 4280).

52. *De Memoria Naturali quae est externi hominis, et de Memoria Spirituali quae est interni.*

Quod binae memoriae homini sint, exterior et interior, seu naturalis et spiritualis (n. 2469–2494).

Quod homo non sciat quod ei memoria interior sit (n. 2470, 2471).

Quantum memoria interior excellet prae memoria exteriore (n. 2473).

Quod quae in memoria exteriore sunt, in luce naturali sint; quae autem in memoria interiore, in luce spirituali sint (n. 5212).

Quod ex memoria interiore sit quod homo intellectualiter et rationaliter possit cogitare et loqui (n. 9394).

Quod omnia et singula quae homo cogitavit et locutus est et egit, et quae audivit et vidit, inscripta sint memoriae interiori (n. 2474, 7398).

Quod illa memoria sit liber vitae hominis (n. 2474, 9386, 9841, 10505).

Quod in memoria interiore sint [vera] quae facta sunt fidei, ac bona quae facta sunt amoris (n. 5212, 8067).

Quod res quae induerunt habitum, et facta sunt vitae, sint in memoria interiore (n. 9394, 9723, 9841).

Quod scientifica et cognitiones sint memoriae exterioris (n. 5212, 9922).

Quod illa perquam umbrosa sint et implexa, respective ad illa quae sunt memoriae interioris (n. 2831).

Quod homo in mundo ex memoria exteriore loquatur linguas (n. 2472, 2476).

Quod spiritus et angeli loquantur ex memoria interiore, et quod inde illis lingua universalis, quae talis est ut omnes, ex quacunque terra sint, inter se loqui possint (n. 2472, 2476, 2490, 2493; de qua lingua videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 234–245; ac de stupendis memoriae interioris, quae manet apud hominem post mortem ibi, n. 463).

53. *De Fallaciis Sensuum, in quibus mere naturales et sensuales homines sunt* (de quibus supra in Doctrina, n. 45).

Quod mere naturales et sensuales homines ex fallaciis sensuum cogitent et ratiocinentur (n. 5084, 5700, 6948, 6949, 7693).

Quales fallaciae sensuum sunt (n. 5084, 5094, 6400, 6948).

Quibus haec adjicientur:—Sunt fallaciae sensuum in naturalibus, in civilibus, in moralibus, et in spiritualibus, in singulis multae. Sed hic aliquas in spiritualibus recensere volo.

Qui cogitat ex fallaciis sensuum, is non potest intelligere,

(1.) *Quod homo possit post mortem apparere ut homo, nec gaudere sensibus sicut prius; ita nec angeli.*

[1]Cogitant,

(2.) *Quod anima sit modo aliquod vitale, pure aethereum, de quo non aliqua idea haberi potest.*
(3.) *Quod solum corpus sit quod sentit, videt et audit.*
(4.) *Quod homo sit similis bestiae, modo quod homo possit loqui ex cogitatione.*
(5.) *Quod Natura sit omne et primum, ex qua omnia.*
(6.) *Quod homo imbuat et discat cogitare per influxum interioris Naturae et ejus ordinis.*
(7.) *Quod spirituale non sit; et si est, quod sit purius naturale.*
(8.) *Quod homo non possit frui aliqua beatitudine, ablatis jucundis amoris gloriae, honoris, lucri.*
(9.) *Quod conscientia sit modo aegritudo animi ex infirmitate corporis, et ex non successibus.*
(10.) *Quod Amor Divinus Domini sit amor gloriae.*
(11.) *Quod Providentia non sit, sed quod ex propria prudentia et intelligentia fluant omnia.*
(12.) *Quod honores et divitiae sint reales benedictiones quae dantur a Deo.*

Praeter similia plura. Tales sunt fallaciae sensuum in spiritualibus. Inde constare potest quod caelestia non capi possint ab illis qui mere naturales et sensuales sunt. Mere naturales et sensuales sunt quibus internus spiritualis homo clausus est, ac naturalis modo apertus.

[IV.]

DE AMORE IN GENERE.

54. IPSA vita hominis est ejus amor, et qualis est amor talis est vita, immo talis est totus homo: sed amor dominans seu regnans est qui facit hominem. Ille amor sibi subordinatos habet plures amores, qui sunt derivationes; hi sub alia specie apparent, sed usque singuli illi insunt amori dominanti, et cum illo faciunt unum regnum; amor dominans est sicut eorum rex et caput; is dirigit eos, et per eos, ut per fines medios, spectat et intendit finem suum, qui omnium primarius et ultimus est, et hoc tam directe quam indirecte. Id quod est amoris dominantis, est quod super omnia amatur.

55. Quod homo super omnia amat, jugiter est praesens in ejus cogitatione, et quoque in ejus voluntate, et facit ipsissimam vitam ejus. Ut pro exemplo:—Qui super omnia amat opes, sive sint pecuniae sive possessiones, is continue animo versat quomodo illas sibi comparet, gaudet intime cum acquirit, dolet intime cum amittit; cor ejus est in illis. Qui super omnia amat se, is sui recordatur in singulis, de se cogitat, de se loquitur, propter se agit, vita enim ejus est vita sui.

56. Homo pro fine habet id quod super omnia amat; illud spectat in omnibus et singulis: est in voluntate ejus sicut latens vena fluvii, quae trahit et aufert, etiam cum aliud agit, nam id est quod animat. Tale est quod unus homo apud alium explorat, et quoque videt; et secundum id vel ducit illum, vel agit cum illo.

57. Homo prorsus talis est, quale est ejus vitae dominans; per hoc distinguitur ab aliis; secundum hoc fit ejus caelum si bonus, et fit ejus infernum si malus; id est ipsa ejus voluntas, ejus proprium, et ejus natura, est enim ipsum esse vitae ejus: hoc post mortem mutari non potest, quia id est ipse homo.

58. Omne jucundum, faustum et felix est cuivis ex amore ejus dominante, et secundum illum; homo enim id jucundum dicit quod amat, quia sentit; quod autem cogitat et non amat, hoc quoque jucundum dicere potest, sed non est jucundum vitae ejus. Jucundum amoris est quod homini est bonum, ac injucundum quod ei est malum.

59. Sunt bini amores ex quibus omnia bona et vera, ut ex ipsis suis fontibus, existunt; et sunt bini amores ex quibus omnia mala et falsa. Bini amores ex quibus omnia bona et vera, sunt amor in Dominum et amor erga proximum: ac bini amores ex quibus omnia mala et falsa, sunt amor sui et amor mundi. Hi bini amores sunt illis binis amoribus prorsus oppositi.

60. Bini amores ex quibus omnia bona et vera, qui sunt, ut dictum est, amor in Dominum et amor erga proximum, faciunt caelum apud hominem; quare etiam illi regnant in caelo; et quia faciunt caelum apud hominem, etiam faciunt ecclesiam apud illum. Bini amores ex quibus omnia mala et falsa, qui sunt, ut dictum est, amor sui et amor mundi, faciunt infernum apud hominem; quare etiam illi regnant in inferno.

61. Bini amores ex quibus omnia bona et vera, qui, ut dictum est, sunt amores caeli, aperiunt et formant internum spiritualem hominem, quia ibi resident: bini autem amores ex quibus omnia mala et falsa, quando dominantur, claudunt et destruunt internum spiritualem hominem, ac faciunt ut homo sit naturalis et sensualis secundum quantum et quale dominii eorum.

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.)

62. Quod amor sit esse vitae hominis (n. 5002).

Quod homo, spiritus, et angelus, sint prorsus sicut eorum amor (n. 6872, 10177, 10284).

Quod homo pro fine habeat quod amat (n. 3796).

Id quod homo amat et pro fine habet, quod apud illum universaliter regnet, hoc est, in omnibus et singulis (n. 3796, 5130, 5949).

Quod amor sit calor spiritualis, et ipsum vitale hominis (n. 1589, 2146, 3338, 4906, 7081–7086, 9954, 10740).

Quod omnia interiora apud hominem, quae sunt ejus intellectus et voluntatis, disponantur in formam, secundum ejus amorem dominantem (n. 2024[? 2023], 3189, 6690).

Quod amor sit conjunctio spiritualis (n. 1594, 2057, 3939, 4018, 5807, 6195, 6196, 7081–7086, 7501, 10130).

Inde quod omnes in mundo spirituali consocientur secundum amores eorum (ibid.).

Quod affectio sit continuum amoris (n. 3938).

Quod omne jucundum, volupe, faustum, felix, et omne cordis gaudium, sint amoris; et quale eorum secundum quale amoris (n. 994, 995, 2204).

Quod tot genera et species jucunditatum et voluptatum sint, quot affectionum quae amoris (n. 994, 995, 2204).

Quod jucundum amoris eo vilius sit, quo magis externum (n. 996).

Quod homini post mortem talis vita sit, qualis ejus amor (n. 2364[? 2363]).

63. Plura de amore et ejus essentia et quali, sciri possunt ex illis quae supra dicta et allata sunt de Bono et Vero: tum ex illis quae supra dicta et allata sunt de Voluntate et Intellectu: ut et ex illis quae dicta et allata sunt de Interno et Externo Homine: quoniam omnia quae amoris sunt, se referunt ad bona et ad mala; similiter omnia quae sunt ipsius voluntatis; et quoniam bini amores caeli aperiunt et formant internum spiritualem hominem; at bini amores inferni claudunt et destruunt illum. Inde possunt applicationes fieri, et conclusiones, qualis est amor in genere et in specie.

64. In opere *De Caelo et Inferno* etiam de amoribus actum est; nempe, quod Divinum Domini in caelis sit amor in Ipsum et amor erga proximum (n. 13–19).

Quod omnes, qui in infernis sunt, in malis et inde falsis sint ex amoribus sui et mundi (n. 551–565).

Quod jucunda amoris cujusvis in altera vita vertantur in correspondentia (n. 485–490).

Quod calor spiritualis in sua essentia sit amor (n. 133–140).

[V.]

DE AMORIBUS SUI ET MUNDI.

---

65. AMOR sui est sibi soli bene velle, et non aliis nisi propter se; ne quidem ecclesiae, patriae, alicui societati humanae, aut concivi: ut et illis benefacere solum propter sui famam, honorem et gloriam; quae nisi videt in bonis quae illis facit, dicit corde suo, Quid refert, cur hoc, et quid inde mihi? et sic omittit. Unde patet quod is qui in amore sui est, non amet ecclesiam, nec patriam, nec societatem, nec concivem, nec aliquod bonum, sed se solum.

66. Homo in amore sui est, quando, in illis quae cogitat et facit, non intuetur proximum, ita non publicum, minus Dominum, sed modo semet ac suos; consequenter quando propter semet et suos omnia facit, et si propter publicum et proximum, [1]sit modo ut appareat.

67. Propter semet et suos, dicitur; nam qui amat se etiam amat suos, qui sunt in specie liberi et nepotes ejus, et in genere omnes qui unum cum illo faciunt, quos suos vocat; hos et illos amare est quoque se amare, nam illos spectat quasi in se, et se in illis: inter illos quos suos vocat, sunt quoque omnes qui eum laudant, honorant et colunt.

68. Ille homo in amore sui est, qui proximum contemnit prae se, qui inimicum illum habet si non sibi favet, et si non se veneratur et colit: magis adhuc in amore sui est, qui propterea proximum odio habet, et persequitur: et magis adhuc, qui propterea flagrat vindicta contra illum, et cupit ejus perniciem: tales tandem amant saevire.

69. Ex comparatione cum amore caelesti, constare potest qualis est amor sui. Amor caelestis est amare usus propter usus, seu bona propter bona, quae homo praestat ecclesiae, patriae, societati humanae, et concivi; at qui

amat illa propter se, is non amat illa aliter quam famulitia, quia serviunt sibi: inde sequitur quod qui in amore sui est, velit ut ecclesia, patria, societates humanae, et concives, serviant sibi, et non is illis; ponit se supra illos, et illos infra se.

70. Porro, quantum quis in amore caelesti est, qui est amare usus et bona, et affici jucundo cordis cum illa praestat, tantum ducitur a Domino, quia ille amor est in quo Ipse, et qui ab Ipso: at quantum aliquis in amore sui est, tantum ducitur a semet; et quantum ducitur a semet, tantum ducitur a proprio suo, ac proprium hominis non est nisi quam malum, est enim malum ejus hereditarium, quod est se amare prae Deo, et mundum prae caelo.

71. Amor sui etiam talis est, ut quantum illi laxantur frena, hoc est, removentur vincula externa, quae sunt timores pro lege et ejus poenis, proque jactura famae, honoris, lucri, functionis et vitae, tantum ruat, usque ut non modo imperare velit super universum terrarum orbem, sed etiam super caelum, et super ipsum Divinum; nusquam est ei aliquis terminus seu finis. Hoc latet in unoquovis qui in amore sui est, tametsi non patet coram mundo, ubi eum dicta frena et vincula retinent; et quisque talis, ubi obviam fit impossibile, ibi subsistit usque dum fit possibile. Ex his et illis est, quod homo, qui in tali amore est, non sciat quod talis vesana absque limite cupido in illo lateat. Quod tamen ita sit, nemo non potest videre apud potentes et reges, quibus non talia frena, vincula, et impossibilia sunt, qui ruunt et subjugant provincias et regna, quantum illis succedit, et adspirant ad potentiam et gloriam ultra limites; et adhuc magis apud illos qui dominatum extendunt in caelum, et omnem potentiam Divinam Domini in se transferunt, et continue cupiunt ultra.

72. Sunt duo dominii genera; unum est amoris erga proximum, et alterum est amoris sui. Haec duo dominia sunt in sua essentia sibi prorsus opposita. Qui dominatur ex amore erga proximum, is vult omnibus bonum, et nihil plus amat quam usus praestare, ita servire aliis (servire aliis est aliis ex bene velle benefacere, et usus praestare); hoc ejus amor est, et hoc jucundum cordis ejus; is quoque quantum evehitur ad dignitates, tantum quoque laetatur, verum non propter dignitates, sed propter usus, quos tunc

in pluri copia, et in majori gradu, praestare potest: tale dominium est in caelis. At qui dominatur ex amore sui, is vult nulli bonum, sed solum sibi et suis; usus quos praestat, sunt propter sui honorem et gloriam, quae ei sunt soli usus; servire aliis est ei propter finem ut serviatur, honoretur, et dominetur; ambit dignitates non propter bona quae praestet, sed ut in eminentia et gloria sit, et inde in sui cordis jucundo.

73. Amor dominii manet etiam unumquemvis post vitam in mundo; sed qui dominati sunt ex amore erga proximum, illis concreditur etiam dominatio in caelis; at tunc illi non dominantur, sed usus et bona quae amant; et cum usus et bona, dominatur Dominus: qui autem in mundo dominati sunt ex amore sui, illi post vitam in mundo sunt in inferno, et ibi vilia mancipia.

74. Ex his nunc cognoscitur quinam in amore sui sunt. Sed non refert qualiter apparent in externa forma, si vel elati vel submissi; nam talia sunt in interiori homine, et interior homo a plerisque occultatur, ac exterior instruitur mentiri illa quae amoris publici et proximi sunt, ita contraria; et hoc quoque propter se: sciunt enim quod amare publicum et proximum interius afficiat omnes, et quod tantum amentur et aestimentur; quod afficiat, est quia caelum in illum amorem influit.

75. Mala quae illis sunt qui in amore sui, sunt in genere contemptus aliorum, invidia, inimicitia contra illos qui sibi non favent, hostilitas inde, odia varii generis, vindictae, astus, doli, immisericordia, et crudelitas; et ubi talia mala sunt, est etiam contemptus Divini, ac divinorum quae sunt vera et bona ecclesiae; quae si honorant, est solum ore et non corde. Et quia talia mala inde sunt, etiam sunt similia falsa, nam ex malis sunt falsa.

76. Amor mundi autem est velle aliorum opes ad se derivare quacunque arte, ac in divitiis cor ponere, et pati ut mundus retrahat et abducat illum ab amore spirituali, qui est amor erga proximum, ita a caelo. Illi in amore mundi sunt qui cupiunt aliorum bona in se derivare per varias artes, imprimis qui per astus et dolos, nihili facientes bonum proximi. Illi qui in illo amore sunt, concupiscunt aliorum bona, et quantum non timent leges et jacturam famae propter lucrum, deprivant, immo depraedantur.

77. Sed amor mundi non in tali gradu est oppositus amori caelesti, in quo est amor sui, quoniam non tanta mala in eo recondita sunt. Amor ille multiplex est: est amor opum, ut evehantur ad honores; est amor honorum et dignitatum, ut lucrentur opes; est amor opum propter varios usus, quibus delectantur in mundo; est amor opum propter solas opes (talis amor est avaris); et sic porro. Finis, propter quem opes, vocatur usus; ac finis seu usus est, a quo amor suum quale trahit; nam talis est amor, qualis est finis propter quem; reliqua ei serviunt ut media.

78. Verbo, amor sui et amor mundi sunt prorsus oppositi amori in Dominum et amori erga proximum; quare amor sui et amor mundi sunt amores infernales, regnant etiam in inferno, et quoque faciunt infernum apud hominem; amor autem in Dominum et amor erga proximum sunt amores caelestes, regnant etiam in caelo, et quoque faciunt caelum apud hominem.

79. Ex his quae nunc dicta sunt, videri potest quod in binis illis amoribus, et ex illis, sint omnia mala; nam illa mala quae enumerata sunt (n. 75), sunt communia; reliqua, quae non enumerata sunt, quia sunt specifica, derivantur et fluunt ex illis. Inde constare potest quod homo, quia nascitur in binos illos amores, nascatur in mala omnis generis.

80. Ut homo sciat mala, scire debet origines illorum; et nisi sciat mala, non scire potest bona, ita non potest scire qualis est. Inde est quod de binis illis originibus malorum hic actum sit.

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.)

81. *De Amoribus Sui et Mundi.*

Sicut amor in Dominum, et amor erga proximum seu charitas, faciunt caelum, ita amor sui et amor mundi, ubi regnant, faciunt infernum; quare sunt oppositi (n. 2041, 3610, 4225, 4776, 6210, 7366, 7369, 7480[? 7489], 7490, 8232, 8678, 10455, 10741–10743, 10745).

Quod ex amore sui et mundi omnia mala (n. 1307, 1308, 1321, 1594, 1691, 3413, 7255, 7376, 7480[? 7488], 7488[? 7489], 8318, 9335, 9348, 10038, 10742).

Quod ex amore sui et mundi sit contemptus aliorum, inimicitia, odium, vindicta, saevitia, doli, ita omne malum, et omnis malitia (n. 6667, 7372–7374, 9348, 10038, 10742).

Quod illi amores ruant, quantum eis laxantur frena; et quod amor sui usque ad thronum Dei (n. 7375, 8678).

Quod amor sui et amor mundi sint destructivi societatis humanae, et ordinis caelestis (n. 2045, 2057).

Quod genus humanum propter illos amores iniverit règimina, et se subjecerint imperiis, ut tuti essent (n. 7364, 10160, 10814).

Quod ubi illi amores regnant, bonum amoris et bonum fidei vel rejiciantur, vel suffocentur, vel pervertantur (n. 2041, 7491, 7492, 7643, 8487, 10455, 10743).

Quod in illis amoribus non sit vita, sed mors spiritualis (n. 7494, 10731, 10741).

Quales illi amores sunt, describitur (n. 1505, 2219, 2363, 2364, 2444, 4221, 4227, 4947[? 4948], 4949, 5721, 7366–7377, 8678).

Quod omnis cupiditas et concupiscentia sit amoris sui et mundi (n. 1668, 8910).

Quod amores sui et mundi inserviant pro mediis, et nullatenus pro fine (n. 7377, 7819, 7820).

Cum reformatur homo, quod invertantur illi amores, ut sint pro mediis et non pro fine, ita ut sint sicut plantae pedum et non sicut caput (n. 8995, 9210).

Quod apud illos qui in amoribus sui et mundi sunt, non internum sit, sed externum absque interno; quia internum est clausum versus caelum, at externum apertum versus mundum (n. 10396, 10400, 10409, 10412[? 10411], 10422, 10424[? 10429]).

Quod illi qui in amoribus sui et mundi sunt, non sciant quid charitas, quid conscientia, et quid vita caeli (n. 7490).

Quod quantum homo in amore sui et mundi est, tantum non recipiat bonum et verum fidei, quod a Domino continue apud hominem influit (n. 7491).

Quod illis qui in amoribus sui et mundi sunt, vincula externa sint, sed nulla interna; quare ablatis externis ruunt in omne nefas (n. 1744[? 10744], 10745, 10746).

Quod in mundo spirituali omnes se vertant secundum amores; illi qui in amore in Dominum et in amore erga proximum sunt, ad Dominum; at illi qui in amore sui et in amore mundi, retro a Domino (n. 10130, 10189, 10420, 10742).

Cultus in quo amor sui, qualis (n. 1304, 1306–1308, 1321, 1322).

Quod Dominus regat mundum per malos, ducendo illos per amores proprios, qui se referunt ad amorem sui et amorem mundi (n. 6481, 6495).

Quod aeque mali quam boni possint functiones obire, ac usus et bona praestare, quia spectant honores et lucra ut praemia, propter quae similiter in externa forma faciunt (n. 6481, 6495).

(Quod omnes qui in infernis sunt, in malis et inde falsis sint ex amoribus sui et mundi, in opere *De Caelo et Inferno*, n. 551–565.)

82. *De Proprio Hominis* (de quo supra in Doctrina, n. 70), *quod sit Amor Sui et Mundi.*

Quod hominis proprium non sit nisi quam densum malum (n. 210, 215, 731, 874–876, 987, 1047, 2307, 2318[? 2308], 3518, 3701, 3812, 8480, 8550, 10283, 10284, 10286, 10731).

Quod hominis proprium sit ejus voluntarium (n. 4328).

Quod proprium hominis sit se amare prae Deo, et mundum prae caelo, ac nihili facere proximum respective ad se; ita quod sit amor sui et mundi (n. 694, 731, 4317, 5660).

Quod ex proprio hominis non modo omne malum, sed etiam omne falsum scaturiat, et quod hoc falsum sit falsum mali (n. 1047, 10283, 10284, 10286).

Quod proprium hominis sit infernum apud illum (n. 694, 8480).

Quapropter qui ducitur a suo proprio, quod salvari non possit (n. 10731).

Quod bonum quod homo facit ex proprio, non sit bonum, sed in se malum, quia propter se et propter mundum (n. 8478).

Quod proprium hominis separandum sit, ut Dominus adesse queat (n. 1023, 1044).

Et quod actualiter separetur cum homo reformatur (n. 9334–9336, 9452–9454, 9938).

Quod hoc fiat a solo Domino (n. 9445).

Quod homo per regenerationem accipiat proprium caeleste (n. 1937, 1947, 2882[? 2881], 2883, 2891).

Quod hoc appareat homini sicut ejus proprium, verum quod non sit ejus, sed Domini apud illum (n. 8497).

Quod qui in hoc proprio sunt, in ipso libero sint, quia liberum est duci a Domino, et ab Ipsius proprio (n. 892, 905, 2872, 2886, 2890–2892, 4096, 9586, 9587, 9589–9591).

Quod omne liberum sit ex proprio, et quale ejus secundum id (n. 2880).

Quale proprium caeleste (n. 164, 5660, 8480).

Quomodo implantatur proprium caeleste (n. 1712, 1937, 1947).

83. *De Hereditario Hominis* (de quo supra in Doctrina, n. 70–79), *quod sit Amor Sui et Mundi.*

Quod homines, quotcunque sunt, nascantur in mala omnis generis, usque adeo ut proprium eorum non sit nisi quam malum (n. 210, 215, 731, 874–876, 987, 1047, 2307, 2308, 3701, 3812, 8480, 8550, 10283, 10284, 10286, 10731).

Quod homo ideo renascendus sit, hoc est, regenerandus, ut a Domino novam vitam accipiat (n. 3701).

Quod hereditaria mala a parentibus et avis longa retro serie deriventur, crescant, et cumulentur; et non, ut creditur, sint a primo homine propter esum ex arbore scientiae (n. 313, 494, 2910, 3469, 3701, 4317, 8550).

Quod ideo mala hereditaria hodie maligniora sint quam olim (n. 2122).

Quod infantes, qui moriuntur infantes, et educantur in caelo, non sint nisi quam mala ex hereditario (n. 2307, 2308, 4563).

Quod inde diversae indolis et inclinationis sint (n. 2300).

Quod cuivis mala interiora sint a patre, et exteriora a matre (n. [1815,] 3701).

Quod homo malis hereditariis superaddat nova ex se, quae mala actualia vocantur (n. 8551).

Quod in altera vita nemo luat poenam propter mala hereditaria, sed propter mala actualia, quae redeunt (n. 966, 2308).

Quod inferna maligniora teneantur separata, ne operentur in mala hereditaria apud homines et spiritus (n. 1667, 8806).

Quod mala hereditaria sint mala amoris sui et mundi; quae sunt quod homo se amet prae Deo, ac mundum prae caelo, et proximum nihili faciat (n. 694, 4317, 5660).

Et quia illa mala sunt contra bona caeli, et contra Divinum ordinem, quod homo non possit non in meram ignorantiam nasci (n. 1050, 1902, 1992, 3175).

Quod bonum naturale connascatur quibusdam, sed quod usque id non bonum sit, quia facile ad omnia mala et falsa; et quod id bonum non acceptetur in caelo, nisi fiat bonum spirituale (n. 2463, 2464, 2468, 3304, 3408, 3469, 3470, 3508, 3518, 7761).

[VI.]

DE AMORE ERGA PROXIMUM, SEU DE CHARITATE.

84. PRIMUM dicetur quid *Proximus*, ille enim est qui amandus, et erga quem charitas exercenda est: nisi enim scitur quid proximus, charitas potest exerceri simili modo absque distinctione, aeque erga malos quam erga bonos, unde charitas non fit charitas; mali enim ex benefactis malefaciunt proximo, sed boni benefaciunt.

85. Communis opinio hodie est quod omnis homo sit aeque proximus, et quod benefaciendum sit cuivis qui opis indiget; sed prudentiae Christianae interest, bene scrutari qualis hominis vita est, et charitatem secundum illam exercere. Internae ecclesiae homo cum discrimine, ita cum intelligentia, id agit; at externae ecclesiae homo, quia non ita discernere res potest, indiscriminatim facit.

86. Discrimina proximi, quae homo ecclesiae omnino scire debet, se habent secundum bonum, quod est apud unumquemvis; et quia omne bonum procedit a Domino, est Dominus in supremo sensu ac in supereminente gradu Proximus, a quo origo. Inde sequitur quod quantum Domini aliquis apud se habet, tantum sit proximus; et quia nullus simili modo recipit Dominum, hoc est, bonum quod ab Ipso, idcirco non unus simili modo est proximus quo alter: omnes enim qui in caelis sunt, et omnes qui boni sunt in terris, differunt bono; nusquam datur apud duos bonum prorsus unum et idem; varium erit ut unumquodvis per se subsistat. Sed omnia illa varia, ita omnia discrimina proximi, quae se habent secundum receptionem Domini, hoc est, secundum receptionem boni ab Ipso, nusquam aliquis homo, ne quidem angelus, scire potest, sed modo in communi, ita genera et horum species; nec Dominus

plus ab homine ecclesiae requirit, quam ut vivat secundum id quod scit.

87. Quia bonum apud unumquemvis est varium, inde sequitur quod quale boni determinet in quo gradu et in qua ratione aliquis est proximus. Quod ita sit, patet a Domini parabola de illo qui incidit in latrones, quem semimortuum sacerdos praeterivit, et quoque Levita; sed Samarita, postquam obligavit vulnera ejus, et infudit oleum et vinum, sustulit super proprium jumentum, et duxit in diversorium, et ordinavit ut cura ejus haberetur: hic quia bonum charitatis exercuit, proximus dicitur (*Luc.* x. 29–37). Inde sciri potest quod proximus sint qui in bono: "oleum et vinum," quae Samarita vulneribus infudit, etiam significant bonum et ejus verum.

88. Ex dictis nunc patet quod in universali sensu bonum sit proximus, quia homo est proximus secundum quale boni quod a Domino apud illum. Et quia bonum est proximus, est amor, nam omne bonum est amoris; ita quisque homo est proximus secundum quale amoris qui ei est a Domino.

89. Quod amor sit qui facit ut proximus sit, et quod quisque proximus sit secundum quale amoris ejus, patet manifeste ab illis qui in amore sui sunt. Illi pro proximo agnoscunt qui se maxime amant, hoc est, quantum sunt sui; hos amplectuntur, hos osculantur, his benefaciunt, et hos fratres vocant; immo, quia mali sunt, hos dicunt proximum esse prae aliis; reliquos, sicut se amant, pro proximo habent, ita secundum quale et quantum amoris: tales a se originem proximi ducunt, ex causa quia amor facit et determinat. Illi autem qui se non amant prae aliis, quemadmodum omnes qui e regno Domini sunt, originem proximi ducent ab Ipso quem super omnia amare debent, ita a Domino; et pro proximo habebunt unumquemvis secundum quale amoris in Ipsum et ab Ipso. Ex his liquet unde origo proximi ab homine ecclesiae ducenda est; et quod quisque proximus sit secundum bonum quod a Domino, ita ipsum bonum.

90. Quod ita sit, etiam Dominus docet apud *Matthaeum;*

Dixit enim illis qui in bono fuerunt, quod dederint Ipsi quod ederet, quod illi potaverint Ipsum, collegerint Ipsum, induerint Ipsum,

visitaverint Ipsum, et in carcere venerint ad Ipsum: et dein, quod quantum fecerint uni ex fratribus suis minimis, Ipsi fecerint (xxv. 34–40).

In illis sex bonis in spirituali sensu intellectis comprehenduntur omnia genera proximi. Inde etiam patet quod, cum amatur bonum, ametur Dominus, Dominus enim est a quo bonum, qui in bono, et qui ipsum Bonum.

91. Verum non modo homo in singulari est proximus, sed etiam homo in plurali; est namque societas minor et major, est patria, est ecclesia, est regnum Domini, et super omnes est Ipse Dominus: hi sunt proximus quibus benefaciendum est ex amore. Sunt etiam hi gradus proximi ascendentes; in superiori enim gradu est societas plurium quam homo singularis; in adhuc superiori gradu est patria; in adhuc superiori gradu est ecclesia; et in adhuc superiori gradu est regnum Domini; in supremo autem est Dominus. Gradus hi ascendentes sunt sicut gradus scalae, in cujus vertice est Dominus.

92. Societas est proximus prae singulari homine, quia illa consistit ex pluribus: erga illam charitas similiter exercenda est ut erga hominem in singulari, nempe secundum quale boni quod apud illam; ita prorsus aliter erga societatem proborum, quam erga societatem non proborum. Amatur societas quum bono ejus consulitur ex amore boni.

93. Patria est proximus prae societate, quia parentis instar est; ibi enim homo natus est, illum nutrit, et ab injuriis tutatur. Patriae ex amore benefaciendum est secundum necessitates ejus, quae imprimis spectant ejus victum, et eorum qui ibi sunt vitam civilem, et vitam spiritualem. Qui amat patriam, et ei ex benevelle benefacit, is in altera vita amat regnum Domini, nam ibi est regnum Domini ei patria; et qui amat regnum Domini, is amat Dominum, quia Dominus est omne in omnibus sui regni.

94. Ecclesia est proximus prae patria, nam qui consulit ecclesiae, consulit animabus et vitae aeternae hominum qui in patria; quare qui consulit ecclesiae ex amore, is amat proximum in superiori gradu, nam is caelum et felicitatem vitae in aeternum aliis optat et vult.

95. Regnum Domini est proximus in adhuc superiori gradu, nam regnum Domini consistit ex omnibus qui in

bono sunt, tam qui in terris quam qui in caelis; ita regnum Domini est Bonum cum omni ejus quali in complexu; hoc cum amatur, amantur singuli qui in bono sunt.

96. Hi gradus sunt proximi, et secundum hos gradus ascendit amor apud illos qui in amore erga proximum sunt. Sed hi gradus sunt gradus in ordine successivo, in quo praeferendum est prius seu superius posteriori seu inferiori; et quia Dominus est in supremo, et Ipse spectandus in singulis gradibus ut finis ad quem, ita est Ipse supra omnes et supra omnia amandus. Ex his nunc constare potest, quomodo amor in Dominum se conjungit cum amore erga proximum.

97. In communi sermone est, quod quisque sibi proximus sit, hoc est, quod quisque sibi primum consulet; sed doctrina charitatis docet quomodo hoc intelligendum est. Quisque sibi prospiciet ut habeat necessitates vitae, ut nempe victum, ut amictum, ut habitationem, et plura, quae in vita civili, in qua est, necessario requiruntur; et hoc non modo pro se sed etiam pro suis, nec modo pro tempore praesenti sed etiam pro venturo: nam nisi quis sibi comparat necessitates vitae, non potest esse in statu exercendi charitatem; in omnium enim egestate est.

98. Sed quomodo quisque sibi proximus esse debet, constare potest ex hoc simili:—Quisque prospicere debet corpori suo victu et amictu; hoc primum erit, sed ob finem ut mens sana sit in corpore sano; et quisque prospicere debet menti suo victu, nempe talibus quae sunt intelligentiae et sapientiae, ob finem ut illa inde in statu sit serviendi concivi, societati humanae, patriae et ecclesiae, ita Domino; qui hoc facit, is sibi prospicit bene in aeternum: inde patet quod primum sit, ubi finis propter quem, nam ad illum spectant omnia. Se quoque hoc habet sicut qui construit domum; primo ponet fundamentum, sed fundamentum erit pro domo, et domus pro habitatione: qui credit sibi proximum esse primo loco, is similis est ei qui spectat fundamentum ut finem, non domum et habitationem; cum tamen habitatio est ipse finis primus et ultimus, ac domus cum fundamento est modo medium ad finem.

99. Finis declarat quomodo quisque sibi proximus erit, ac sibi primum consulet; si finis sit ut ditescat prae aliis solum divitiarum causa, vel voluptatis causa, vel

eminentiae causa, et similium, est finis malus, et is non proximum amat, sed semet: at si finis [1]est, ut opes sibi comparet, ut in statu sit consulendi concivi, societati humanae, patriae et ecclesiae, similiter ut functiones sibi comparet ob eundem finem, is amat proximum. Ipse finis propter quem agit, facit hominem, nam finis est ejus amor; quisque enim pro fine primo et ultimo habet, quod super omnia amat.

Haec dicta sunt de Proximo; nunc dicetur de Amore erga illum, seu de Charitate.

100. Creditur a multis quod amor erga proximum sit dare pauperibus, opem ferre indigenti, et bonum facere cuicunque; sed charitas est prudenter agere, et propter finem ut inde bonum. Qui alicui pauperi aut indigenti malefico opem fert, is per illum malefacit proximo; nam per opem, quam fert, confirmat illum in malo, ac suppeditat ei copiam malefaciendi aliis. Aliter qui suppetias fert bonis.

101. Sed charitas multo latius se extendit quam ad pauperes et indigentes; charitas enim est rectum facere in omni opere, ac debitum in omni officio. Si judex justum facit propter justum, charitatem exercet; si punit sontem, et absolvit insontem, charitatem exercet, nam sic consulit concivi et consulit patriae. Sacerdos qui docet verum, et ducit ad bonum, propter verum et bonum, is charitatem exercet. Qui autem talia facit propter se et mundum, is charitatem non exercet, quia non amat proximum sed semet.

102. Simile est cum reliquis, sive in aliqua functione sint, sive non sint; ut cum liberis erga parentes, et cum parentibus erga liberos; cum servis erga dominos, et cum dominis erga servos; cum subditis erga regem, et cum rege erga subditos: qui ex illis debitum facit ex debito, et justum ex justo, is charitatem exercet.

103. Quod illa amoris erga proximum seu charitatis [2]sint, est quia, ut supra dictum est, unusquisque homo est proximus, sed diversimode; societas minor et major est magis proximus; patria adhuc magis proximus; regnum Domini adhuc magis; et Dominus supra omnes: et in sensu universali Bonum, quod procedit ex Domino, est proximus; consequentur etiam est sincerum et justum:

quapropter qui facit bonum quodcunque propter bonum, ac qui sincere et juste agit propter sincerum et justum, is amat proximum, et exercet charitatem; nam facit ex amore boni, sinceri et justi, ac inde ex amore illorum in quibus bonum, sincerum et justum sunt.

104. Charitas itaque est affectio interna, ex qua homo vult bonum facere, et hoc absque remuneratione; ejus jucundum vitae est id facere. Illi qui ex affectione interna bonum faciunt, in singulis quae cogitant et loquuntur, et quae volunt et agunt, est charitas; dici potest quod homo et angelus quoad interiora sua sit charitas, cum bonum ei est proximus. Tam late se extendit charitas.

105. Illi quibus amor sui et [amor] mundi pro fine sunt, nequaquam possunt in charitate esse; ne quidem sciunt quid charitas; et prorsus non comprehendunt quod velle et facere bonum proximo absque fine mercedis sit caelum in homine, et quod illi affectioni insit tanta felicitas quanta est angelorum caeli, quae ineffabilis; nam credunt, si privantur gaudio ex gloria honorum et opum, quod nihil gaudii amplius detur, cum tamen tunc primum incohat gaudium caeleste, quod infinite transcendit.

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.)

106. Quod caelum sit distinctum in duo regna, quorum unum vocatur regnum caeleste, alterum regnum spirituale: amor in regno caelesti est amor in Dominum, et vocatur amor caelestis, et amor in regno spirituali est amor erga proximum seu charitas, et vocatur amor spiritualis (n. 3325, 3653, 7257, 9002, 9833[? 9835], 9961).

(Quod caelum distinctum sit in duo illa regna, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 20–28. Et quod Divinum Domini in caelis sit amor in Ipsum, et charitas erga proximum, n. 13–19 ibi.)

Quod non sciatur quid bonum et quid verum, nisi sciatur quid amor in Dominum, et amor erga proximum, quoniam omne bonum est amoris, et omne verum est boni (n. 7255, 7366).

Quod scire vera, velle vera, et affici veris propter vera, hoc est, quia vera sunt, sit charitas (n. 3876, 3877).

Quod charitas consistat in affectione interna faciendi verum, et non in externa absque illa (n. 2430[? 2429], 2442, 3776, 4899, 4956, 8033).

Ita quod charitas consistat in usibus praestandis propter usus (n. 7038, 8253).

Quod charitas sit vita spiritualis hominis (n. 7081).

Quod totum Verbum sit doctrina amoris et charitatis (n. 6632, 7262).

Quod nesciatur hodie quid charitas (n. 2417, 3398, 4776, 6632).

Quod usque homo ex lumine rationis suae scire possit quod amor et charitas faciant hominem (n. 3957, 6273).

Tum quod bonum et verum concordent, ac unum sit alterius, ita amor et fides (n. 7627).

Quod Dominus in supremo sensu sit Proximus, quia Ille super omnia amandus est; inde quod omne id proximus sit, quod ab Ipso est, in quo Ipse, ita bonum et verum (n. 2425, 3419, 6706, 6819, 6823, 8124).

Quod discrimen proximi sit secundum quale boni, ita secundum praesentiam Domini (n. 6707-6710).

Quod omnis homo, et omnis societas, tum patria et ecclesia, ac in universali sensu regnum Domini, sint proximus, et quod illis benefacere ex amore boni secundum quale status eorum sit amare proximum; ita proximus est bonum illorum, cui consulendum est (n. 6818-6824, 8123).

Quod etiam bonum civile, quod est justum, et bonum morale, quod est bonum vitae in societate, et vocatur sincerum, sit proximus (n. 2915, 4730, 8120-8122).

Quod amare proximum non sit amare personam, sed id quod est apud illum ex quo ille, ita bonum et verum (n. 5025[? 5028], 10336).

Qui amant personam, et non quod est apud illum ex quo ille, quod ament aeque malum quam bonum (n. 3820).

Et quod benefaciant aeque malis quam bonis, cum tamen benefacere malis est malefacere bonis, quod non est amare proximum (n. 3820, 6703, 8120).

Judex qui punit malos ut emendentur, et ne contaminentur ab illis boni, is proximum amat (n. 3820, 8120, 8121).

Quod amare proximum sit facere bonum, justum et rectum in omni opere, et in omni functione (n. 8120, 8121, 8122).

Inde quod charitas erga proximum se extendat ad omnia et singula quae homo cogitat, vult, et facit (n. 8124).

Quod facere bonum et verum sit amare proximum (n. 10310, 10336).

Quod illi qui hoc faciunt, ament Dominum, qui in supremo sensu est Proximus (n. 9212[? 9210).

Quod vita charitatis sit vita secundum praecepta Domini, et quod vivere secundum Divina vera sit amare Dominum (n. 10143, 10153, 10310, 10578, 10648[? 10645]).

Quod genuina charitas non sit meritoria (n. 2340[? 2027], 2373[? 2343], 2400, 3887, 6388-6393).

Quia est ex affectione interna, ita ex jucundo vitae faciendi bonum (n. 2373, 2400, 3887, 6388 [ad] 6393).

Qui fidem separant a charitate, quod in altera vita faciant fidem, et bona opera, quae in externa forma fecerunt, meritoria (n. 2373).

Quod qui in malis ex amore sui aut mundi sunt, non sciant quid sit facere bonum absque remuneratione, ita quid sit charitas non meritoria (n. 8037).

Quod doctrina Antiquae Ecclesiae fuerit doctrina vitae, quae est doctrina charitatis (n. 2385, 2487[? 2417], 3419, 3420, 4844, 6628).

Quod illis inde intelligentia et sapientia (n. 2417, 6629, 7259-7262).

Quod intelligentia et sapientia crescant in immensum in altera vita apud illos qui vitam charitatis in mundo vixerunt (n. 1941, 5859).

Quod Dominus cum Divino Vero influat in charitatem, quia in ipsam vitam hominis (n. 2363[? 2063]).

Quod homo sit sicut hortus, apud quem charitas et fides conjunctae sunt; sed sicut desertum, apud quem non conjunctae (n. 7626).

Quod homo tantum recedat a sapientia, quantum a charitate; et quod in ignorantia de veris Divinis sint qui non in charitate, utcunque se credunt sapere (n. 2416[? 2417], 2435).

Quod vita angelica consistat in bonis charitatis, quae sunt usus, praestandis (n. 454).

Quod angeli spirituales, qui sunt qui in bono charitatis, sint formae charitatis (n. 553, 3804, 4735).

Quod omnia vera spiritualia spectent charitatem ut suum principium et finem (n. 4353).

Quod doctrinalia ecclesiae nihil faciant, nisi spectent charitatem ut finem (n. 2049, 2116).

Quod praesentia Domini apud homines et angelos se habeat secundum statum amoris et charitatis eorum (n. 649[? 549], 904).

Quod charitas sit imago Dei (n. 1013).

Quod intus in charitate sit amor in Dominum, ita Dominus, tametsi homo id nescit (n. 2227, 5066, 5067).

Quod qui charitatis vitam vivunt, accepti cives sint tam in mundo quam in caelo (n. 1121).

Quod non violandum sit bonum charitatis (n. 2359).

Quod qui non in charitate sunt, non possint agnoscere et colere Dominum, nisi ex hypocrisi (n. 2132, 4424, 9833).

Quod formae odii et charitatis non possint simul esse (n. 1860).

107. His adjicienda sunt aliqua de Doctrina Amoris in Dominum; et de Doctrina Charitatis, haec qualis fuerat antiquis, apud quos fuit ecclesia; ut sciatur qualis haec doctrina, quae hodie non est, prius fuerat: etiam ex *Arcanis Caelestibus* (n. 7257-7263):—

Bonum quod est amoris in Dominum, vocatur bonum caeleste; et bonum quod est amoris erga proximum, seu charitatis, vocatur bonum spirituale. Angeli qui in intimo seu tertio caelo sunt, in bono amoris in Dominum sunt; inde illi vocantur angeli caelestes: angeli autem qui in medio seu secundo caelo sunt, in bono amoris erga proximum sunt; inde illi vocantur angeli spirituales.

Doctrina boni caelestis, quae est amoris in Dominum, est amplissima et simul arcanissima, est enim doctrina angelorum intimi seu tertii caeli, quae talis est, ut, si daretur ex ore illorum, vix millesima pars intelligeretur; sunt quoque ineffabilia quae continet. Illa doctrina continetur in sensu intimo Verbi; doctrina autem amoris spiritualis in sensu interno.

Doctrina boni spiritualis, quae est amoris erga proximum, est quoque ampla et arcana; sed multo minus quam doctrina boni caelestis, quae est amoris in Dominum. Quod doctrina amoris erga proximum, seu charitatis, sit ampla, inde constare potest, quod se extendat ad omnia et singula quae homo cogitat et vult, ita ad omnia quae loquitur et agit; tum quod charitas non detur similis apud unum ut apud alterum; nec quod proximus sit similis unus sicut alter.

Quia tam ampla fuit doctrina charitatis, ideo antiqui, apud quos doctrina charitatis fuit ipsa doctrina ecclesiae, distinguebant charitatem erga proximum in plures classes, quas etiam subdividebant; et singulis classibus indebant nomina; et docebant quomodo charitas exercenda esset erga illos qui in una classe, et quomodo erga illos qui in altera: et sic redigebant doctrinam charitatis in ordinem, et exercitia charitatis ut distincte caderent in intellectum.

Nomina quae indebant illis erga quos charitatem exercerent, erant plura: quosdam vocabant "caecos," quosdam "claudos," quosdam "mancos," quosdam "pauperes," tum "miseros" et "afflictos," quosdam "pupillos," quosdam "viduas:" in genere autem vocabant "esurientes" quibus darent edere, "sitientes" quibus darent bibere, "peregrinos" quos colligerent, "nudos" quos induerent, "aegrotos" quos visitarent, et "vinctos in carcere" ad quos venirent.

(Quinam erant, quos per singulos intelligerent, expositum est in *Arcanis Caelestibus;* ut quos per "caecos," n. 2383, 6990; quos per "claudos," n. 4302; quos per "pauperes," n. 2129, 4459, 4958, 9209, 9253, 10227; quos per "miseros," n. 2129; quos per "afflictos," n. 6663, 6851, 9196; quos per "pupillos," n. 4844, 9198–9200; quos per "viduas," n. 4844, 9198, 9200; quos per "esurientes," n. 4958, 10227; quos per "sitientes," n. 4958, 8568; quos per "peregrinos," n. 4444, 7908, 8007, 8013, 9196, 9200; quos per "nudos," n. 1073, 5433, 9960; quos per "aegrotos," n. 4958, 6221, 8364, 9031; quos per "vinctos in carcere," n. 5037, 5038, 5086, 5096. Quod per officia erga "esurientes," "sitientes," "peregrinos," "nudos," "aegrotos," et "vinctos in carcere," qui a Domino dicuntur (*Matth.* xxv. 34–36, seq.), comprehendatur tota doctrina charitatis, videatur n. 4954–4959.)

Haec nomina e caelo data fuerunt antiquis qui ab ecclesia, et per illos qui ita nominabantur, intelligebant qui spiritualiter tales erant: doctrina illorum charitatis docebat non modo quinam erant, sed etiam qualis esset erga unumquemvis charitas. Inde est quod eadem illa nomina in Verbo sint, et significent illos qui tales in spirituali sensu sunt. Verbum in se non est nisi quam doctrina amoris in Dominum, et charitatis erga proximum, ut quoque Dominus docet,

> "Amabis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, . . in tota anima tua, et in tota mente tua; hoc est primum et magnum mandatum: secundum . . est simile illi, Amabis proximum tuum sicut teipsum; ex his duobus mandatis . . Lex et Prophetae pendent" (*Matth.* xxii. [1]37–40).

"Lex et Prophetae" sunt totum Verbum (n. 2606, 3382, 6752, 7462[? 7463]).

Quod eadem illa nomina in Verbo sint, est ut Verbum, quod in se spirituale est, in suo ultimo esset naturale: et quia illi qui in externo cultu erant, erga tales qui ita nominabantur, charitatem exercerent; at qui in interno cultu, erga tales spiritualiter intellectos; ita ut simplices simpliciter intelligerent et facerent Verbum, ac ut sapientes sapienter; tum quoque ut simplices per externa charitatis initiarentur in interna ejus.

[VII.]

DE FIDE.

108. NEMO scire potest quid fides in sua essentia nisi sciat quid charitas, quoniam ubi non charitas ibi non fides, nam charitas unum facit cum fide sicut bonum cum vero; quod enim homo amat seu quod carum habet, hoc ei est bonum, et quod homo credit, hoc ei est verum: inde patet quod similis unio sit charitatis et fidei, qualis est boni et veri; quae unio qualis est, constare potest ex illis quae prius de Bono et Vero dicta sunt.

109. Talis quoque unio est charitatis et fidei, qualis est voluntatis et intellectus apud hominem: binae enim illae facultates sunt quae recipiunt bonum et verum, voluntas bonum et intellectus verum; ita quoque binae illae facultates recipiunt charitatem et fidem, quoniam bonum est charitatis et verum est fidei. Quod charitas et fides sint apud hominem, et in illo, nullus non scit; et quia sunt apud illum et in illo, non alibi sunt quam in ejus voluntate et intellectu, omnis enim vita hominis ibi est, et inde est. Est quoque homini memoria; sed haec modo est atrium, ubi colliguntur illa quae in intellectum et voluntatem intrabunt. Inde patet quod similis unio sit charitatis et fidei, qualis est voluntatis et intellectus; quae unio qualis est, constare potest ex illis quae de Voluntate et Intellectu prius dicta sunt.

110. Charitas cum fide se conjungit apud hominem cum homo vult id quod scit et percipit; velle est charitatis, ac scire et percipere est fidei. Fides intrat hominem, et fit ejus, cum vult et amat id quod scit et percipit; interea est extra illum.

111. Fides non fit fides apud hominem, nisi fiat spiritualis; et non fit spiritualis nisi fiat amoris; et tunc fit

amoris, cum homo amat vivere verum et bonum, hoc est, vivere secundum illa quae in Verbo praecepta sunt.

112. Fides est affectio veri ex velle verum quia est verum; et velle verum quia est verum, est ipsum spirituale hominis; est enim abstractum a naturali, quod est velle verum non propter verum, sed propter sui gloriam, famam, aut lucrum: verum abstracte a talibus est spirituale, quia est a Divino; quod procedit a Divino est spirituale, et hoc conjungitur homini per amorem; nam amor est conjunctio spiritualis.

113. Homo multum potest scire, cogitare et intelligere, sed illa quae non concordant cum amore ejus, rejicit a se, cum sibi soli relictus meditatur: et ideo quoque illa rejicit post vitam corporis, cum in spiritu est; nam id solum manet in spiritu hominis, quod intravit in ejus amorem; cetera post mortem spectantur ut aliena, quae quia non amoris ejus sunt, ejicit domo. In spiritu hominis dicitur, quia homo vivit spiritus post mortem.

114. Idea de bono quod charitatis et de vero quod fidei, formari potest ex solis luce et calore. Lux, quae procedit a sole, cum conjuncta est calori, quod fit tempore veris et aestatis, tunc omnia telluris germinant et florent; at cum in luce non est calor, ut tempore hiemis, tunc omnia telluris torpent et emoriuntur: etiam lux spiritualis est verum fidei, et calor spiritualis est amor. Ex his idea formari potest de homine ecclesiae, qualis ille est, quando apud illum conjuncta est fides charitati, quod nempe sit sicut hortus et paradisus; et qualis ille, quando apud illum non conjuncta est fides charitati, quod sit sicut desertum et terra nive objecta.

115. Confidentia seu fiducia, quae dicitur fidei, et vocatur ipsa fides salvans, non est confidentia seu fiducia spiritualis sed naturalis, cum est solius fidei. Confidentia seu fiducia spiritualis essentiam et vitam suam habet ex bono amoris, non autem a vero fidei separatae; confidentia fidei separatae est mortua; quapropter vera confidentia non dabilis est apud illos qui vitam malam agunt: etiam confidentia quod salvatio sit propter meritum Domini apud Patrem, utcunque vita hominis fuerat, nec est ex vero. Omnes qui in spirituali fide sunt, confidentiam habent quod salventur a Domino, credunt enim quod Dominus in

mundum venerit ad dandum vitam aeternam illis qui credunt et vivunt secundum praecepta quae docuit, et quod hos regeneret, et aptos reddat caelo; et quod hoc faciat Ipse solus absque ope hominis, ex pura misericordia.

116. Credere illa quae docet Verbum, seu quae doctrina ecclesiae, et non vivere secundum illa, apparet sicut sit fides; et quoque autumant quidam quod salventur per illam: sed per illam solam nemo salvatur, est enim fides persuasiva; quae qualis est, nunc dicetur.

117. Fides persuasiva est, cum creditur et amatur Verbum et doctrina ecclesiae, non propter verum, et vitam secundum id, sed propter lucrum, honorem, et eruditionis famam, ut fines: quapropter illi qui in ea fide sunt, non spectant ad Dominum et ad caelum, sed ad se et ad mundum. Qui in mundo magna spirant et multa cupiunt, in persuasivo, quod verum sit quod doctrina ecclesiae docet, fortiori sunt, quam qui non magna spirant et multa cupiunt; causa est, quia doctrina ecclesiae est illis modo medium ad suos fines, et quantum cupiuntur fines, tantum amantur media, et quoque creduntur. Sed res in se talis est; quantum in igne amorum sui et mundi sunt, et ex igne illo loquuntur, praedicant, et agunt, tantum in illo persuasivo sunt; et tunc non aliter sciunt quam quod ita sit: cum autem non in illorum amorum igne sunt, tunc parum credunt, et plures non credunt. Inde patet quod fides persuasiva sit fides oris et non cordis; ita quod in se non sit fides.

118. Qui in fide persuasiva sunt, non sciunt ex aliqua illustratione interna num vera sint vel falsa quae docent, immo nec curant, modo a vulgo credantur; sunt enim in nulla affectione veri propter verum. Quapropter recedunt a fide si privantur honoribus et lucris, modo fama non periclitetur; nam fides persuasiva non est intus apud hominem, sed stat foris, solum in memoria, e qua depromitur cum docetur: quare etiam illa fides cum suis veris post mortem evanescit; nam tunc manet solum illud fidei quod intus in homine est, hoc est, quod radicatum est in bono, ita quod factum est vitae.

119. Illi qui in fide persuasiva sunt, intelliguntur per hos apud *Matthaeum*,

> "Multi dicent mihi in die illo, Domine, Domine, nonne per nomen tuum prophetavimus, et per nomen tuum daemonia ejecimus, et in nomine tuo multas virtutes fecimus? Sed tunc confitebor illis, Non novi vos,...operarii iniquitatis" (vii. 22, 23);

tum apud *Lucam*,

> "Tunc incipietis dicere, Edimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti; sed dicet, Dico vobis, Non novi vos unde estis; discedite a Me, omnes operarii iniquitatis" (xiii. 26, 27):

intelliguntur etiam per quinque virgines stultas, quae non habebant oleum in lampadibus apud *Matthaeum*,

> "Tandem..venerunt illae virgines, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis; ille vero respondens dicet, Amen, dico vobis, non novi vos" (xxv. 11, 12):

"oleum in lampadibus" est bonum amoris in fide.

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.)

120. Qui non sciunt quod omnia in universo se referant ad Verum et Bonum, et ad conjunctionem utriusque ut producatur aliquid, quod non sciant quod omnia ecclesiae se referant ad Fidem et Amorem, et ad conjunctionem utriusque, ut sit ecclesia apud hominem (n. 7752–7762, 9186, 9224).

Quod omnia in universo, quae sunt secundum Divinum ordinem, se referant ad bonum et verum, et ad conjunctionem utriusque (n. 2451[? 2452], 3166, 4390, 4409, 5232, 7256, 10122, 10555).

Quod vera sint fidei, et bona sint amoris (n. 4353[? 4352], 4997, 7178, 10367).

Haec causa est quod de Bono et Vero, in hac Doctrina actum sit; quare ex illis quae ibi allata sunt, concludi potest ad fidem et amorem, et sciri quales sunt cum conjuncti et quales cum non conjuncti, ponendo amorem loco boni, ac fidem loco veri, et applicando.

Qui non sciunt quod omnia et singula apud hominem se referant ad Intellectum et Voluntatem, et ad conjunctionem utriusque ut homo sit homo, quod non clare sciant quod omnia ecclesiae se referant ad Fidem et Amorem, et ad conjunctionem utriusque, ut in homine sit ecclesia (n. 2231, 7752–7754, 9224, 9995, 10122).

Quod binae facultates homini sint, una quae vocatur intellectus, et altera quae voluntas (n. 641, 803, 3623, 3939[? 3539]).

Quod intellectus dicatus sit recipiendis veris, ita quae fidei sunt, et voluntas dicata recipiendis bonis, ita quae amoris sunt (n. 9300, 9930, 10064).

Haec causa est, quod de Voluntate et Intellectu in hac Doctrina etiam actum sit; nam ex illis quoque, quae ibi allata sunt, concludi potest ad fidem et amorem, et sciri quales sunt cum conjuncti et quales cum non conjuncti, cogitando amorem in voluntate, et fidem in intellectu.

Qui non sciunt quod homini sit Internum et Externum, seu Internus et Externus Homo, et quod omnia caeli ad internum hominem

se referant, et omnia mundi ad externum, et quod conjunctio eorum sit sicut est conjunctio mundi spiritualis et mundi naturalis, quod non sciant quid fides spiritualis et amor spiritualis (n. 4292, 5132, 8610).

Quod sit homo internus et externus, et quod homo internus sit spiritualis homo, et externus naturalis (n. 978, 1015, 4459, 6309, 9701–9709).

Quod fides sit spiritualis, ita quod fides sit fides, quantum in interno homine est, similiter amor (n. 1504[? 1594], 3987, 8444[? 8443]).

Et quod quantum amantur vera quae sunt fidei, tantum spiritualia fiant (n. 1594, 3987).

Haec causa est quod de Interno et Externo Homine actum sit; nam ex illis quae ibi allata sunt, concludi potest ad fidem et amorem, quales sunt cum spirituales, et quales cum non spirituales sunt; ita quantum sunt ecclesiae, et quantum non ecclesiae.

121. Quod fides separata ab amore seu charitate, sit sicut lux hiemis, in qua omnia telluris torpent, et nihil messis, fructus, et floris producitur; at quod fides cum amore seu charitate sit sicut lux veris et aestatis, in qua omnia florent et producuntur (n. 2231, 3146, 3412, 3413).

Quod lux hiemalis, quae est fidei separatae a charitate, vertatur in densas tenebras, cum influit lux e caelo; et quod illi qui in ea fide sunt, tunc in caecitatem et stupiditatem veniant (n. 3412, 3413).

Quod qui fidem a charitate separant doctrina et vita, in tenebris sint, ita in ignorantia veri, et in falsis, nam haec sunt tenebrae (n. 9186).

Quod se conjiciant in falsa et inde mala (n. 3325, 8094).

Errores et falsa, in quae se conjiciunt (n. 4721, 4730, 4776, 4783, 4925, 7779, 8313, 8765, 9224).

Quod Verbum illis sit occlusum (n. 3773, 4783, 8780).

Quod non videant et attendant ad omnia illa quae Dominus toties locutus est de amore et charitate, deque eorum fructibus seu bonis actu (de quibus, n. 1017, 3416).

Quod nec sciant quid bonum, ita nec quid caelestis amor, et quid charitas (n. 2507[? 2517], 3603, 4136, 9995).

Quod fides separata a charitate sit nulla fides (n. 654, 724, 1162, 1176, 2049, 2116, 2340[? 2343], 2349, 2419[? 2417, 3419], 3849, 3868, 6348, 7039, 7842[? 7342], 9782[? 9783]).

Quod talis fides in altera vita pereat (n. 2228, 5820).

Quum pro principio ponitur sola fides, quod vera contaminentur falso principii (n. 2433[? 2435]).

Quod nec persuaderi se patiantur, quia contra principium (n. 2385).

Quod doctrinalia de sola fide destruant charitatem (n. 6353, 8094).

Quod illi qui fidem separant a charitate, repraesentati sint per Cainum, per Chamum, per Reubenem, per Aegyptiorum primogenitos, et per Philisthaeos (n. 3325, 7097, 7317, 8093).

Qui solam fidem salvificam faciunt, quod vitam mali excusent; et quod illis qui in vita mali sunt, sit nulla fides quia non charitas (n. 3865, 7766, 7778, 7790, 7950, 8094).

Quod illi intus in falsis sui mali sint, tametsi hoc non sciunt (n. 7790, 7950).

Quod ideo illis non possit conjungi bonum (n. 8981, 8983).

Quod etiam in altera vita sint contra bonum, et contra illos qui in bono sunt (n. 7097, 7127, 7317, 7502, 7945[? 7545], 8096, 8313).

Quod simplices corde, et usque sapientes, sciant quid bonum vitae, ita quid charitas, et non quid fides separata (n. 4741, 4754).

Quod omnia ecclesiae se referant ad bonum et verum, ita ad charitatem et fidem (n. 7752–7754).

Quod non prius ecclesia sit apud hominem quam cum vera implantata sunt vitae, et sic facta bonum charitatis (n. 3310).

Quod charitas faciat ecclesiam, et non fides separata a charitate (n. 809, 916, 1798, 1799, 1894[? 1834], 1844).

Quod internum ecclesiae sit charitas (n. 1899[? 1799], 7755).

Inde quod non ecclesia sit ubi non charitas (n. 4766, 5826).

Quod una ecclesia foret si spectarentur omnes ex charitate, tametsi quoad doctrinalia fidei, et quoad cultus ritualia, differrent (n. 1286[? 1285], 1316, 1798, 1799, 1834, 1844, 2385, 2982, 3267, 3451).

Quantum boni in ecclesia, si charitas spectaretur primo loco, et fides secundo (n. 6269, 6272).

Quod omnis ecclesia incipiat a charitate, sed quod temporis successu deflectat ad fidem, et tandem ad solam fidem (n. 1834, 1835, 2231, 4683, 8094).

Quod nulla fides ultimo tempore ecclesiae sit, quia nulla charitas (n. 1843).

Quod cultus Domini consistat in vita charitatis (n. 8254, 8256).

Quod quale cultus sit secundum quale charitatis (n. 2190).

Quod externae ecclesiae homines internum habeant, si sint in charitate (n. 1100, 1102, 1151, 1153).

Quod doctrina in antiquis ecclesiis fuerit doctrina vitae, quae est doctrina charitatis, et non doctrina fidei separatae (n. 2385, 2417, 3419, 3420, 4844, 6628, 7259–7262).

Quod Dominus inseminet et implantet verum bono charitatis, cum regenerat hominem (n. 2663[? 2063], 2189, 3310).

Quod aliter semen, quod est verum fidei, non radicem agere possit (n. 880).

Quod bona et vera dein crescant secundum charitatis receptae quale et quantum (n. 1016).

Quod lumen regenerati non sit ex fide, sed ex charitate per fidem (n. 854).

Quod vera fidei, cum regeneratur homo, intrent cum jucundo affectionis, quia amat facere illa, et quod reproducantur cum eadem affectione, quia cohaerent (n. 2484, 2487, 3040, 3066, 3074, 3336, 4018, 5893).

Quod qui in amore in Dominum, et in charitate erga proximum, vivunt, nihil perdant in aeternum, quia conjuncti Domino; aliter qui in fide separata (n. 7506, 7507).

Quod homo talis maneat qualis ejus vita charitatis, non qualis ejus fides separata (n. 8256).

Qui in charitate vixerunt, quod eorum omnes status jucundi redeant in altera vita, ac immensum augeantur (n. 823).

Quod beatitudo caelestis influat a Domino in charitatem, quia in ipsam vitam hominis, et non in fidem absque charitate (n. 2363).

Quod in caelo spectentur omnes ex charitate, et nullus ex fide separata (n. 1258, 1394).

Quod etiam omnes in caelis consocientur secundum amores (n. 7085).

Quod nemo in caelum admittatur per cogitare, sed per velle bonum (n. 2401, 3459).

Nisi facere bonum sit conjunctum cum velle bonum et cum cogitare bonum, quod nulla salvatio, nec conjunctio hominis interni cum externo (n. 3987).

Quod Dominus, et quod fides in Ipsum, non ab aliis recipiatur in altera vita, quam ab illis qui in charitate sunt (n. 2340[? 2343]).

Quod bonum in perpetuo desiderio et inde conatu sit se conjungendi cum veris, ita charitas cum fide (n. 9206, 9207, 9495).

Quod bonum charitatis agnoscat suum verum fidei, ac verum fidei suum bonum charitatis (n. 2429, 3101, 3102, 3161, 3179, 3180, 4358, 5407[? 5807], 5835, 9637).

Quod inde conjunctio veri fidei et boni charitatis (*de qua*, n. 3834, 4096, 4097, 4301, 4345, 4353, 4364, 4368, 5365, 7623–7627, 7752–7762, 8530, 9258, 10555).

Quod conjunctio illorum sit instar conjugii (n. 1094[? 1904], 2173, 2503[? 2508]).

Quod lex conjugii sit quod duo unum sint, secundum Verbum Domini (n. 10130, 10168, 10169).

Ita fides et charitas (n. 1094, 2173, 2503).

Quod ideo fides quae fides quoad essentiam suam sit charitas (n. 2228, 2839, 3180, 9783).

Quod sicut bonum est esse rei, ac verum existere inde, ita [1]charitas sit esse ecclesiae, ac fides existere inde (n. 3049, 3180, 4574, 5002, 9144[? 9145]).

Quod verum fidei vivat ex bono charitatis, ita quod vita secundum vera fidei sit charitas (n. 1589, 1947, 2579[? 2571], 4070, 4096, 4097, 4736, 4757, 4884, 5147, 5928, 9154, 9667, 9841, 10729).

Quod fides non dari queat nisi in charitate; si non in charitate quod in fide non sit bonum (n. 2261, 4368).

Quod fides non vivat apud hominem, cum modo scit et cogitat illa quae fidei sunt, sed cum vult illa et ex velle facit illa (n. 9224).

Quod nulla salvatio sit per fidem, sed per vitam secundum vera fidei, quae vita est charitas (n. 379, 389, 2228, 4663, 4721).

Quod salventur qui ex doctrina ecclesiae cogitant quod sola fides salvet, si justum faciunt propter justum, et bonum propter bonum, nam sic usque in charitate sunt (n. 2442, 3242, 3459, 3463, 7506, 7507).

Si solum fides cogitativa salvaret, quod omnes salvarentur (n. 2364[? 2361], 10659).

Quod charitas faciat caelum apud hominem, et non fides absque illa (n. 3513, 3584, 3815, 9832, 10714, 10715, 10721, 10724).

Quod spectentur omnes ex charitate in caelo, et non ex fide (n. 1258, 1394, 2364[? 2361], 4802).

Quod conjunctio Domini cum homine non sit per fidem, sed per vitam secundum vera quae fidei sunt (n. 9380, 10143, 10153, 10310, 10578, 10645, 10648).

Quod Dominus sit arbor vitae, bona charitatis fructus, et fides folia (n. 3427, 9337).

Quod fides sit "luminare minus," et amor "luminare majus" (n. 30–38).

Quod angeli ex regno caelesti Domini non sciant quid fides, usque adeo ut ne quidem nominent illam; at quod angeli ex regno spirituali Domini loquantur de fide, quia ratiocinantur de veris (n. 202, 203, 337, 2215[? 2715], 3246, 4448, 9166, 10786).

Quod angeli in regno caelesti Domini dicant modo, Ita ita, vel Non non; at quod angeli e regno spirituali Domini ratiocinentur num ita sit vel non ita, quando sermo est de veris spiritualibus, quae sunt fidei (n. 2715, 3246, 4448, 9166, 10786, ubi explicantur Domini verba,

> "Esto sermo vester, Ita ita, Non non; quod ultra haec est ex malo est" (*Matth.* v. 37):)

quod angeli caelestes tales sint, est quia vera fidei statim in vitam immittunt, et non sicut angeli spirituales prius in memoriam; et quod angeli caelestes inde in perceptione omnium quae fidei sint (n. 202, 585, 597, 607, 784, 1121, 1387, 1398, 1442, 1919, 5113, 5897, 6367, 7680, 7877, 8521, 8780, 9935[? 9936], 9995, 10124).

Quod fiducia seu confidentia, quae in eminenti sensu vocatur fides salvans, non detur nisi quam apud illos qui in bono sunt quoad vitam, ita apud illos qui in charitate (n. 2982, 4352, 4683, 4689, 7762, 8240, 9239–9245).

Quod pauci sciant quid confidentia illa (n. 3868, 4352).

Quae differentia est inter credere illa quae a Deo, et credere in Deum (n. 9239, 9243).

Quod aliud sit scire, aliud agnoscere, et aliud fidem habere (n. 896, 4319, 5664[½]).

Quod sint scientifica fidei, rationalia fidei, et spiritualia fidei (n. 2504, 8076[? 8078]).

Quod primum sit agnitio Domini (n. 10083).

Quod omne id sit bonum, quod influit a Domino apud hominem (n. 1614, 2016, 2751, 2882, 2883, 2891, 2892, 2904, 6193, 7643, 9128).

Quod detur fides persuasiva, quae usque non est fides (n. 2340[? 2343], 2682, 2689, 3417[? 3427], 3865, 8148).

Quod ex variis ratiociniis appareat sicut fides sit prior charitate, sed quod sit fallacia (n. 3324).

Quod ex solo lumine rationis sciri possit quod bonum sit primo loco, ita charitas, et verum secundo, ita fides (n. 6273).

Quod bonum, ita charitas, sit actualiter primo loco, seu primum ecclesiae, ac verum, ita fides, secundo loco, seu secundum ecclesiae, tametsi aliter apparet (n. 3324, 3325, 3330, 3336, 3494, 3589[? 3539], 3548, 3556, 3570, 3576, 3603, 3701, 3995, 4337, 4610[? 4601], 4925, 4926, 4928, 4930, 5351, 6256, 6269, 6272, 6273, 8042, 8080, 10110).

Quod apud antiquos etiam disceptatum fuerit de primo seu primogenito ecclesiae, num sit fides vel num charitas (n. 367, 2435, 3324).

122. Quod duodecim discipuli Domini repraesentaverint ecclesiam quoad omnia fidei et charitatis in complexu, similiter ac duodecim tribus Israelis (n. 2129, 3354, 3488, 3858, 6397).

Quod Petrus, Jacobus, et Johannes repraesentaverint fidem, charitatem, et bona charitatis, in suo ordine (n. 3750).

Quod Petrus fidem (n. 4738, 6000, 6073, 6344, 10087, 10580).

Et quod Johannes bona charitatis (praefatio ad cap. xviii. et ad cap. xxii. *Geneseos*).

Quod ultimo tempore ecclesiae nulla esset fides in Dominum, quia non charitas, repraesentatum est per quod Petrus ter abnegaverit Dominum, antequam gallus [1]secundo cecinit; Petrus enim in sensu repraesentativo ibi est fides (n. 6000, 6073).

Quod "gallicinium" aeque ac "diluculum" in Verbo significet ultimum tempus ecclesiae (n. 10134).

Et quod "tria" vel "ter" significent completum ad finem (n. 2788, 4495, 5159, 5198[? 9198], 10127).

Simile significatur per quod Dominus dixerit ad Petrum, cum Petrus videret Johannem sequi Dominum,

> "Quid ad te," Petre? "Tu sequere Me," Johannes. Petrus enim dixit de Johanne, "Hic quid?" (*Joh.* xxi. 21, 22;)

(n. 10087.)

Quia Johannes repraesentavit bonum charitatis, quod accubuerit ad pectus Domini (n. 3934, 10081).

Quod bonum charitatis faciat ecclesiam, etiam significatur per verba Domini e cruce ad Johannem,

> Jesus vidit matrem suam, et dixit ad discipulum quem amabat, qui adstabat: "et dixit matri suae, Mulier ecce filius tuus; et dixit discipulo illi, Ecce mater tua; et ex illa hora accepit illam discipulus ille ad se" (*Joh.* xix. 26, 27);

per "Johannem" intelligitur bonum charitatis, ac per "mulierem" et per "matrem" ecclesia; et per illa omnia, quod ecclesia erit ubi bonum charitatis: quod per "mulierem" in Verbo intelligatur ecclesia (n. 252, 253, 749, 770, 3160, 6014, 7337, 8994).

Quod similiter per "matrem" (n. 289, 2691, 2717, 3703, 4257, 5580, 8897, 10490).

Quod omnia nomina personarum et locorum in Verbo significent res abstracte ab illis (n. 768, 1888, 4310, 4442, 10329).

[VIII.]

DE PIETATE.

---

123. CREDITUR a multis quod vita spiritualis, seu vita quae ducit ad caelum, consistat in pietate, in sancto externo, et in abdicatione mundi; sed pietas absque charitate, et sanctum externum absque sancto interno, et abdicatio mundi absque vita in mundo, non faciunt vitam spiritualem; verum pietas ex charitate, sanctum externum ex sancto interno, et abdicatio mundi cum vita in mundo, faciunt.

124. Pietas est pie cogitare et loqui, multum vacare precibus, humiliter se tunc gerere, frequentare templa, et ibi praedicationes devote auscultare, et saepe quotannis obire Sacramentum Cenae, et similiter reliqua cultus secundum ecclesiae statuta. Vita autem charitatis est bene velle et bene facere proximo, in omni opere agere ex justo et aequo, ex bono et vero, similiter in omni functione; verbo, vita charitatis consistit in usibus praestandis. In hac vita primario consistit cultus Divinus, in illa autem secundario. Quapropter qui separat unam ab altera, nempe, qui vitam pietatis agit, et non simul vitam charitatis, non colit Deum. Cogitat quidem de Deo, verum non ex Deo sed ex se, nam de se cogitat jugiter, et nihil de proximo; et si de proximo, eum vilipendit si non etiam talis sit: et quoque cogitat de caelo ut mercede; inde in animo ejus est meritum, et quoque amor sui, ut et contemptus aut neglectus usuum, et sic proximi, et simul est fides inculpati. Inde constare potest, quod pietatis vita separata a charitatis vita non sit vita spiritualis, quae erit in cultu Divino. (Confer *Matth.* vi. 7, 8.)

125. Sanctum externum est simile pio tali,[1] et praecipue consistit in eo, quod homo ponat omnem cultum Divinum in sancto cum est in templis; sed hoc apud

hominem non sanctum est, nisi internum ejus sanctum sit, nam qualis homo quoad internum suum est, talis est quoad externum, hoc enim procedit ab illo sicut actio a suo spiritu ; quare sanctum externum absque sancto interno est naturale et non spirituale. Inde est quod detur aeque apud malos ac apud bonos ; et illi qui in eo omnem cultum ponunt, sunt utplurimum vacui, hoc est, absque cognitionibus boni et veri, et tamen bona et vera sunt ipsa sancta, quae scienda, credenda, et amanda, quia sunt a Divino, et sic Divinum in illis. Sanctum itaque internum est amare bonum et verum propter bonum et verum, ac justum et sincerum propter justum et sincerum ; quantum homo haec ita amat, tantum est spiritualis, et quoque ejus cultus, nam tantum etiam vult scire illa et facere illa ; at quantum homo illa non ita amat, tantum est naturalis, et quoque ejus cultus, et quoque tantum non vult scire illa et facere illa. Comparari potest cultus externus absque interno cum vita respirationis absque vita cordis, at cultus externus ex interno cum vita respirationis conjuncta vitae cordis.

126. Quod autem abdicationem mundi attinet : creditur a multis quod abdicare mundum, ac vivere spiritu et non carne, sit rejicere mundana, quae sunt praecipue divitiae et honores, ac ire continue in pia meditatione de Deo, de salute, et de vita aeterna, ac vitam agere in precibus, in lectione Verbi ac piorum librorum, et quoque affligere se : sed haec non sunt abdicare mundum ; verum abdicare mundum est amare Deum et amare proximum ; et amatur Deus cum vivitur secundum praecepta Ipsius, et amatur proximus cum homo usus praestat ; quare ut homo vitam caeli recipiat, omnino vivet in mundo, ac in officiis et negotiis ibi. Vita abstracta a mundanis est vita cogitationis et fidei separatae a vita amoris et charitatis, in qua vita perit velle bonum et facere bonum proximo ; et cum hoc perit, est vita spiritualis sicut domus absque fundamento, quae successive vel subsidet, vel rimas ducit et hiat, vel nutat usque dum dilabitur.

127. Quod facere bonum sit colere Dominum, constat a Domini verbis,

"Omnis..qui audit verba mea..et facit ea, assimilabo viro prudenti, qui aedificavit domum super petra :....at..qui audit verba mea.., et

non facit ea, assimilabo viro stulto, qui aedificavit domum..super arena ;" aut "super humo absque fundamento" (*Matth.* vii. 24–27 ; *Luc.* vi. 47–49).

128. Ex his nunc patet quod vita pietatis tantum valeat et Domino accepta sit, quantum ei conjuncta est vita charitatis ; haec enim primaria est, et qualis haec talis illa. Tum, quod sanctum externum tantum valeat, et Domino acceptum sit, quantum procedit ex sancto interno, nam quale hoc tale illud. Ut et, quod abdicatio mundi tantum valeat, et Domino accepta sit, quantum haec fit in mundo ; nam illi abdicant mundum qui removent amorem sui et mundi, ac juste et sincere agunt in omni functione, in omni negotio, et in omni opere, ex interiori, ita ex caelesti origine, quae origo illi vitae inest cum homo bene, sincere et juste agit, quia est secundum leges Divinas.

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.)

129. Quod vita pietatis absque vita charitatis non valeat, sed quod cum hac conducat (n. 8252, seq.).

Quod sanctum externum absque sancto interno non sanctum sit (n. 2190, 10177).

De illis qui in externo sancto vixerunt, et non ex interno, quales in altera vita (n. 951, 952).

Quod sit ecclesiae internum et externum (n. 1098).

Quod sit cultus internus, et cultus externus ; qualis unus et alter (n. 1083, 1098, 1100, 1151, 1153).

Quod interna sint, quae faciunt cultum (n. 1175).

Quod cultus externus absque interno sit nullus cultus (n. 1094, 7724).

Quod internum sit in cultu, si hominis vita est vita charitatis (n. 1100, 1151, 1153).

Quod homo sit in vero cultu, cum in amore et charitate, hoc est, cum in bono quoad vitam (n. 1618, 7724, 10242).

Quod quale cultus sit secundum bonum (n. 2190).

Quod ipse cultus sit vita secundum praecepta ecclesiae quae ex Verbo sunt (n. 7884, 9921, 10143, 10153, 10195[? 10196], 10645).

Quod verus cultus sit a Domino apud hominem, et non ab ipso homine (n. 10203, 10299).

Quod Dominus velit cultum ab homine propter hominis salutem, et non propter suam gloriam (n. 4593, 8263, 10646).

Quod homo credat quod Dominus velit cultum ab homine, propter gloriam ; sed quod illi qui ita credunt, nesciant quid gloria Divina, et quod gloria Divina sit salus generis humani, quae homini est cum nihil sibi tribuit, et cum per humiliationem removet suum proprium, quia tunc primum Divinum influere potest (n. 4347, 4593, 5957, 7550, 8263, 10646).

Quod humiliatio cordis apud hominem existat ex agnitione sui, quae est quod non sit nisi quam malum, et quod ex se nihil possit; et ex agnitione Domini tunc, quae est quod ab Ipso non nisi quam bonum, et quod Dominus omnia possit (n. 2327, 3994, 7478).

Quod Divinum influere nequeat nisi in cor humile; quoniam homo, quantum in humiliatione est, tantum a suo proprio absens est, ita ab amore sui (n. 3994, 4347, 5957).

Inde, quod Dominus non velit humiliationem propter Se, sed propter hominem, ut homo sit in statu recipiendi Divinum (n. 4357[? 4347], 5957).

Quod cultus non sit cultus absque humiliatione (n. 2327, 2423, 8873).

Humiliatio externa absque interna, qualis (n. 5420, 9377).

Humiliatio cordis quae interna, qualis (n. 7478).

Quod non detur humiliatio cordis apud malos (n. 7640).

Quod cultus externus absque cultu interno sit illis qui non charitatem et fidem habent (n. 1200).

Si interius apud hominem regnat amor sui et mundi, quod cultus ejus sit externus absque interno, utcunque in externa forma apparet (n. 1182, 10307–10309).

Quod cultus externus in quo intus amor sui regnat, qualiter apud illos qui e Babylonia, sit profanus (n. 1304, 1306–1308, 1321, 1322, 1326).

Imitari affectiones caelestes in cultu, cum homo est in malis ex amore sui, quod sit infernale (n. 10309).

De cultu externo, qualis est cum ex interno, et qualis cum non ex interno, videri et concludi potest ex illis quae prius de Interno et Externo Homine dicta et allata sunt.

(De illis qui abdicant mundum, ac de illis qui non abdicant, quales sunt, et qualis sors eorum in altera vita, videantur plura in opere *De Caelo et Inferno*, ac in binis ibi articulis; in uno, ubi De Divitibus et Pauperibus in Caelo, n. 357–365, et in altero, ubi De Vita quae ducit ad Caelum, n. 528–535, agitur.)

[IX.]

DE CONSCIENTIA.

---

130. CONSCIENTIA formatur apud hominem ex religioso in quo est, secundum receptionem ejus intus in se.

131. Conscientia apud hominem ecclesiae formatur per vera fidei ex Verbo, aut ex doctrina e Verbo, secundum receptionem illorum in corde; nam cum homo scit vera fidei, et capit illa suo modo, ac dein vult illa, et facit illa, tunc fit ei conscientia: receptio in corde est in voluntate, nam voluntas hominis est quae vocatur cor. Inde est, quod illi qui conscientiam habent, ex corde loquantur quae loquuntur, et ex corde faciant quae faciunt: habent etiam illi mentem non divisam; nam secundum id quod intelligunt et credunt verum et bonum esse, faciunt.

132. Conscientia perfectior potest dari apud illos qui in veris fidei illustrati sunt prae aliis, et qui in clara perceptione sunt prae aliis, quam apud illos qui minus illustrati sunt, et in obscura perceptione sunt.

133. In vera conscientia est ipsa vita spiritualis hominis, est enim ibi ejus fides conjuncta charitati; quapropter facere ex conscientia est illis facere ex vita sua spirituali, et facere contra conscientiam est illis facere contra illam suam vitam. Inde est quod in tranquillitate pacis sint, et in beatitudine interna, cum faciunt secundum conscientiam, ac in intranquillitate et dolore cum faciunt contra illam: hic dolor est qui vocatur morsus conscientiae.

134. Est homini conscientia boni et conscientia justi. Conscientia boni est conscientia interni hominis, et conscientia justi est conscientia externi hominis. Conscientia boni est facere secundum praecepta fidei ex affectione interna, at conscientia justi est facere secundum leges civiles et morales ex affectione externa. Qui conscientiam

boni habent, illi quoque conscientiam justi habent; at qui modo conscientiam justi habent, illi in facultate sunt recipiendi conscientiam boni; et quoque recipiunt cum instructi.

135. Conscientia apud illos qui in charitate erga proximum sunt, est conscientia veri, quia formatur per fidem veri; apud illos autem qui in amore in Dominum sunt, est conscientia boni, quia formatur per amorem veri: horum conscientia est conscientia superior, et vocatur perceptio veri ex bono. Illi qui conscientiam veri habent, sunt e regno spirituali Domini; at illi qui conscientiam superiorem, quae vocatur perceptio, habent, sunt e regno caelesti Domini.

136. Sed exempla illustrent quid conscientia. Qui alterius bona apud se habet, nesciente altero, et sic absque timore legis, jacturae honoris et famae, potest lucrari illa, si usque alteri reddit, quia sua non sunt, is conscientiam habet; nam facit bonum propter bonum, et justum propter justum. Sit quoque qui potest venire ad functionem, sed scit quod alter, qui etiam ambit, patriae utilior sit; is si cedit alteri locum propter bonum patriae, is bonam conscientiam habet. Ita in reliquis.

137. Ex his concludi potest quales sunt illi qui non conscientiam habent: cognoscuntur ex opposito. Ut, qui propter lucrum quodcunque faciunt ut injustum appareat justum, ac ut malum appareat bonum, ac vice versa, illi conscientiam non habent: illi nec sciunt quid conscientia; et si instruuntur quid est, non credunt, et quidam non volunt scire. Tales sunt, qui propter se et mundum omnia agunt.

138. Qui conscientiam non receperunt in mundo, illi conscientiam non recipere possunt in altera vita, ita non possunt salvari. Causa est, quia illis non est planum in quod influat et per quod operetur caelum, hoc est, per caelum Dominus, et illos adducat ad Se; nam conscientia est planum et receptaculum influxus caeli.

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.)

139. *De Conscientia.*

Quod qui conscientiam non habent, non sciant quid conscientia (n. 7490, 9121).

Quod sint quidam qui rident ad conscientiam, cum audiunt quid sit (n. 7217).

Quod quidam credant quod conscientia nihil sit; quidam quod aliquid triste dolorificum naturale, vel ex causis in corpore, vel ex causis in mundo; quidam quod aliquid apud vulgus ex religioso (n. 950).

Quod quidam nesciant quod conscientiam habeant, cum tamen habent (n. 2380).

Quod bonis sit conscientia, non autem malis (n. 831, 965, 7490).

Quod conscientia illis sit qui in amore in Deum, et in amore erga proximum (n. 2380)

Quod conscientia praecipue sit illis qui a Domino regenerati sunt (n. 977).

Quod illis qui in solis veris sunt, et non in vita secundum illa, conscientia non sit (n. 1076, 1077, 1919).

Quod illis qui ex bono naturali faciunt bonum, et non ex religione, conscientia non sit (n. 6208).

Quod sit homini conscientia ex suae ecclesiae doctrina, aut ex religioso, et secundum id (n. 9112).

Quod conscientia apud hominem formetur ex illis quae sunt ejus religionis, et credit vera esse (n. 1077, 2053, 9113).

Quod conscientia sit vinculum internum, quo tenetur homo ad cogitandum, loquendum, et faciendum bonum; et quo detinetur a cogitando, loquendo et faciendo malum; et hoc non propter se et mundum, sed propter bonum, verum, justum et rectum (n. 1919, 9120).

Quod conscientia sit dictamen internum, quod ita vel non ita sit faciendum (n. 1919, 1935).

Quod conscientia sit conscientia veri et recti in sua essentia (n. 986, 8081).

Quod nova voluntas apud hominem spiritualem regeneratum sit conscientia (n. 928[? 927], 1025, 1043, 1044, 4299, 4328, 4493, 9115, 9596).

Quod ex conscientia sit vita spiritualis homini (n. 9117).

Quod sit conscientia vera, conscientia spuria, et conscientia falsa (de quibus, n. 1033).

Quod conscientia eo magis vera sit, quo ex veris magis genuinis formata est (n. 2053, 2063, 9114).

Quod conscientia in genere sit duplex, interior et exterior; quod interior sit boni spiritualis, quod in sua essentia est verum, et quod exterior sit boni moralis et civilis, quod in sua essentia est sincerum et justum, in genere rectum (n. 8042[? 5140, 6207], 10296).

Quod dolor conscientiae sit anxietas mentis, propter injustum, insincerum, et quodcunque malum, quod homo credit esse contra Deum, et contra bonum proximi (n. 7217).

Si anxium sentitur cum homo cogitat male, quod ex conscientia sit (n. 5470).

Quod conscientiae dolor sit angi propter malum quod homo facit, ut et propter privationem boni et veri (n. 7217).

Quia tentatio est pugna veri et falsi in interioribus hominis, et quia in tentationibus est dolor et anxietas, quod ideo non alii in tentationes spirituales admittantur quam qui conscientiam habent (n. 847).

Qui conscientiam habent, quod ex corde loquantur et agant (n. 7935, 9114).

Qui conscientiam habent, quod in vanum non jurent (n. 2842).

Qui conscientiam habent, quod in beatitudine interiore sint, quando faciunt bonum et justum secundum conscientiam (n. 9118).

Qui conscientiam in mundo habent, quod etiam conscientiam in altera vita habeant, ac ibi inter felices sint (n. 965).

Quod influxus caeli sit in conscientiam apud hominem (n. 6207, 6213, 9122).

Quod Dominus regat hominem spiritualem per conscientiam, quae ei est vinculum internum (n. 1835, 1862).

Qui conscientiam habent, quod interiorem cogitationem habeant; qui autem non conscientiam habent, quod modo cogitationem exteriorem habeant (n. 1919, 1935).

Qui conscientiam habent, quod ex spirituali cogitent; qui autem non conscientiam habent, quod modo ex naturali cogitent (n. 1820).

Qui non conscientiam habent, quod modo externi homines sint (n. 4459).

Quod Dominus illos, qui non conscientiam habent, regat per vincula externa, quae sunt omnia quae sunt amoris sui et mundi, ac inde timoris jacturae famae, honoris, functionis, lucri, opum, ac timoris legis et vitae (n. 1077, 1080, 1835).

Quod qui conscientiam non habent, et usque se patiuntur regi per vincula illa externa, quod usque fungi queant officiis eminentibus in mundo, ac bonum facere aeque ac qui conscientiam habent; sed illi in externa forma ex vinculis externis, hi autem in interna forma ex vinculis internis (n. 6707[? 6207]).

Qui conscientiam non habent, quod velint destruere conscientiam apud illos qui habent (n. 1820).

Qui non conscientiam in mundo habent, quod nec conscientiam in altera vita habeant (n. 965, 9122).

Inde, quod apud illos qui in inferno sunt, non sit aliquis cruciatus conscientiae propter mala sua in mundo (n. 965, 9122).

Conscientiosi quinam et quales sunt, et quam molesti, et quibus correspondent in mundo spirituali (n. 5386, 5724).

Quod illi qui e regno spirituali Domini sunt, conscientiam habeant, et quod ea formata sit in parte eorum intellectuali (n. 863, 865, 875, 895, 927, 1043, 1044, 1555, 2256, 4328, 4493, 5113, 6367, 8521, 9506[? 9596], 9935[? 9915], 9995, 10124).

Quod aliter se habeat cum illis qui in regno caelesti Domini sunt (n. 927, 2256, 5113, 6367, 8521, 9935[? 9915], 9995, 10124).

140. *De Perceptione.*

Quod perceptio sit videre quid verum et bonum per influxum a Domino (n. 202, 895, 7680, 9128).

Quod perceptio solum detur apud illos qui in bono amoris a Domino in Dominum sunt (n. 202, 371, 1442, 5227[? 5228]).

Quod perceptio detur apud illos in caelo, qui, cum vixerunt homines in mundo, doctrinalia ecclesiae quae ex Verbo statim immiserunt in vitam, et non prius mandaverunt memoriae; quod sic interiora quae mentis eorum formata sint ad receptionem influxus Divini; et quod ideo intellectus eorum in caelo sit in illustratione continue (n. 104, 495, 503, 521, 536, 1616, 1791, 5145).

Quod innumerabilia sciant, ac immensum sapiant (n. 2718, 9543).

Quod illi qui in perceptione sunt, non ratiocinentur de veris fidei; et si ratiocinarentur, quod illis periret perceptio (n. 585[? 586], 1398, 5897).

Qui credunt ex semet scire et sapere, quod perceptionem habere non possint (n. 1386).

Quod eruditi non capiant quid haec perceptio (*ab experientia*, n. 1387).

Quod illi qui in regno caelesti Domini sunt, habeant perceptionem; illi autem qui in regno spirituali sunt, non habeant perceptionem, sed loco ejus, conscientiam (n. 805, 2144, 2155[? 2145, 2157], 8081).

Quod illi qui [in] regno caelesti Domini sunt, non cogitent ex fide, quemadmodum illi qui in regno spirituali Domini sunt, quoniam illi qui in regno caelesti sunt, in perceptione omnium quae fidei sunt a Domino (n. 202, 597, 607, 784, 1121, 1387, 1398, 1442, 1919, 7680, 7877, 8780).

Quapropter angeli caelestes de veris fidei dicunt modo, Ita ita, Non non, quia percipiunt illa ac vident illa; at angeli spirituales de veris fidei ratiocinantur num ita sit, vel non ita (n. 2715, 3246, 4448, 9166, 10786; ubi explicantur Domini verba,

> "Esto. .sermo vester, Ita ita, Non non; quod ultra haec est, ex malo est" (*Matth.* v. 37)).

Quod angeli caelestes, quia ex perceptione sciunt vera fidei, ne quidem nominare velint fidem (n. 202, 337).

Discrimen inter angelos caelestes et angelos spirituales (n. 2088, 2669, 2708, 2715, 3235, 3240, 4788, 7068, 8521, 9277, 10295).

De perceptione eorum qui fuerunt ab Ecclesia Antiquissima, quae fuit ecclesia caelestis (n. 125, 597, 607, 784, 895, 1121, 5121).

Quod detur perceptio interior et exterior (n. 2145, 2171, 2831, 5920).

Quod detur in mundo perceptio justi et aequi, sed raro perceptio veri et boni spiritualis (n. 2831, 5937, 7977).

Quod lux perceptionis prorsus alia sit quam lux confirmationis, et quod non similis sit, tametsi quibusdam apparere possit sicut similis (n. 8521, 8780).

[x.]

DE LIBERO.

---

141. OMNE liberum est amoris, nam quod homo amat hoc libere facit; inde quoque omne liberum est voluntatis, nam quod homo amat hoc quoque vult; et quia amor et voluntas faciunt vitam hominis, etiam liberum facit illam. Ex his constare potest quid liberum, quod nempe sit id quod est amoris et voluntatis et inde vitae hominis. Inde est quod id quod homo ex libero facit, appareat ei sicut ex suo proprio.

142. Facere ex libero malum apparet ut liberum, sed est servum, quia id liberum est ex amore sui et ex amore mundi, et hi amores sunt ex inferno: tale liberum etiam vertitur actualiter in servum post mortem; nam homo cui tale liberum fuit, fit tunc in inferno vilis servus. At facere ex libero bonum est ipsum liberum, quia est ex amore in Dominum et ex amore erga proximum, et hi amores sunt ex caelo. Hoc liberum etiam manet post mortem, et fit tunc vere liberum; nam homo cui tale liberum fuit, fit in caelo sicut filius domus. Hoc ita Dominus docet,

> "Omnis faciens peccatum, servus est peccati. Servus..non manet in domo in perpetuum; filius manet in perpetuum. Si..Filius vos liberos fecerit, vere liberi eritis" (*Joh.* viii. 34–36).

Nunc quia omne bonum est a Domino, et omne malum ab inferno, sequitur quod liberum sit duci a Domino, ac servum duci ab inferno.

143. Quod homini sit liberum cogitandi malum et falsum, et quoque faciendi, quantum non leges detinent, est ob causam ut possit reformari; bona enim et vera implantanda sunt ejus amori et voluntati, ut fiant vitae ejus; et hoc fieri nequit nisi ei liberum sit tam cogitandi malum et falsum quam bonum et verum: hoc liberum unicuivis homini a Domino datur; et cum cogitat bonum et verum,

quantum tunc non amat malum et falsum, tantum Dominus illa implantat amori et voluntati ejus, ita vitae ejus, et sic eum reformat. Quod inseminatur in libero, hoc quoque manet; at quod inseminatur in coacto, hoc non manet, quia coactum non est ex voluntate hominis, sed ex voluntate ejus qui cogit. Inde etiam est quod cultus ex libero placeat Domino, non autem cultus ex coacto; cultus enim ex libero est cultus ex amore, at cultus ex coacto non ita.

144. Liberum faciendi bonum, et liberum faciendi malum, inter se tantum differunt ac distant, quamvis in externa specie similia apparent, quantum caelum et infernum; est quoque liberum faciendi bonum ex caelo, et vocatur liberum caeleste; at liberum faciendi malum est ex inferno, et vocatur liberum infernale: quantum etiam homo est in uno, tantum non est in altero; nemo enim duobus dominis servire potest (*Matth.* vi. 24): quod etiam inde patet, quod qui in libero infernali sunt, credant quod servum et coactum sit non licere velle malum et cogitare falsum ex lubitu; at quod qui in libero caelesti sunt, horreant velle malum et cogitare falsum, et si cogerentur ad illa, cruciarentur.

145. Quia ex libero facere apparet homini sicut ex suo proprio, inde liberum caeleste etiam vocari potest proprium caeleste; et liberum infernale vocari potest proprium infernale. Proprium infernale est in quod homo nascitur, et id est malum; at proprium caeleste est in quod homo reformatur, et id est bonum.

146. Ex his constare potest quid sit *liberum arbitrium;* quod nempe sit ex arbitrio seu ex voluntate facere bonum; et quod illi in eo libero sint qui ducuntur a Domino: et illi ducuntur a Domino qui amant bonum et verum propter bonum et verum.

147. Homo, quale ei liberum est, cognoscere potest ex jucundo, dum cogitat, loquitur, facit, audit et videt; nam omne jucundum est amoris.

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.

148. Quod omne liberum sit amoris seu affectionis, quoniam quod homo amat hoc libere facit (n. 2870, 3158, 8907[? 8987], 8990, 9585, 9591).

Quia liberum est amoris, quod sit vita cujusvis (n. 2873).

Quod sit liberum caeleste, et liberum infernale (n. 2870, 2873, 2874, 9589, 9590).

Quod liberum caeleste sit amoris boni et veri (n. 1947, 2870, 2872).

Et quia amor boni et veri est a Domino, quod ipsum liberum sit duci a Domino (n. 892, 905, 2872, 2886, 2890–2892, 9096, 9586, 9587–9591).

Quod homo in liberum caeleste introducatur a Domino per regenerationem (n. 2874, 2875, 2882, 2892).

Quod liberum homini esse debeat, ut possit regenerari (n. 1937, 1947, 2876, 2881, 3145, 3158, 4031, 8700).

Quod alioqui amor boni et veri non implantari possit homini, ac ei appropriari apparenter ut suum (n. 2877, 2879, [1]2880, 2888).

Quod nihil conjungatur homini, quod fit in coacto (n. 2875, 8700).

Si homo ex coacto reformari posset, quod omnes salvarentur (n. 2881).

Quod coactum in reformatione sit damnosum (n. 4031).

Quod cultus ex libero sit cultus, non autem qui ex coacto (n. 1947, 2880, 7349, 10097).

Quod paenitentia fieri debeat in statu libero, et quod quae fit in statu coacto non valeat (n. 8392); status coacti, quinam (n. 8392).

Quod datum sit homini ex libero rationis agere, ut ei provideatur bonum; et quod ideo homo in libero sit cogitandi et volendi etiam malum, et quoque faciendi quantum non leges vetant (n. 10777).

Quod homo teneatur a Domino inter caelum et infernum, et sic in aequilibrio, ut sit in libero propter reformationem (n. 5982, 6477, 8209, 8907[? 8987]).

Quod id maneat quod inseminatur in libero, non autem quod in coacto (n. 9588, 10777).

Quod ideo nusquam alicui auferatur liberum (n. 2876, 2881).

Quod nullus a Domino cogatur (n. 1937, 1947).

Quomodo Dominus ducit hominem per liberum in bonum; quod nempe per liberum deflectat illum a malo, et flectat ad bonum, tam leniter et tacite ducendo ut homo non aliter sciat quam quod omne procedat a se (n. 9587).

Quod se cogere sit ex libero, non autem cogi (n. 1937, 1947).

Quod homo se cogere debeat ad resistendum malo (n. 1937, 1947, 7914).

Et quoque ad faciendum bonum sicut a se, sed usque agnoscere quod sit a Domino (n. 2883, 2891, 2892, 7914).

Quod homini fortius liberum sit in pugnis tentationum, in quibus vincit, quoniam tunc se homo interius cogit ad resistendum malis, tametsi aliter apparet (n. 1937, 1947, 2881).

Quod in omni tentatione sit liberum, sed quod id liberum sit interius apud hominem a Domino, et quod ideo pugnet et velit vincere et non vinci, quod absque libero non faceret (n. 1937, 1947, 2881).

Quod Dominus per affectionem veri et boni impressam interno homini id faciat, inscio homine (n. 5044).

Quod liberum infernale sit duci ab amoribus sui et mundi, et eorum concupiscentiis (n. 2870, 2873).

Quod illi qui in inferno sunt, non sciant aliud liberum (n. 2871).

Quod liberum caeleste tantum distet a libero infernali, quantum caelum ab inferno (n. 2873, 2874).

Quod liberum infernale in se spectatum sit servum (n. 2884, 2890).

Quoniam servum est duci ab inferno (n. 9586, 9589–9591).

Quod omne liberum sit ut proprium, et secundum id (n. 2880).

Quod homo per regenerationem a Domino accipiat proprium caeleste (n. 1937, 1947, 2882, 2883, 2891).

Quale proprium caeleste (n. 164, 5660, 8480).

Quod hoc proprium appareat homini sicut ejus proprium, at quod non sit ejus, sed Domini apud illum (n. 8497).

Quod illi qui in hoc proprio sunt, in ipso libero sint, quia liberum est duci a Domino et ab Ipsius proprio (n. 892, 905, 2872, 2886, 2890–2892, 4096, 9586, 9587, 9589–9591).

149. Quod liberum sit ex aequilibrio inter caelum et infernum, et quod homo, nisi ei liberum sit, non reformari possit, ostensum est in opere *De Caelo et Inferno:* (de ipso aequilibrio, n. 589–596, et de libero, n. 597 ad fin.:) sed instructionis causa quid liberum, et quod homo per id reformetur, velim inde haec afferre :—

"Ostensum est quod aequilibrium inter caelum et infernum sit aequilibrium inter bonum quod e caelo et malum quod ex inferno, ita quod sit aequilibrium spirituale, quod in sua essentia est liberum. Quod aequilibrium spirituale in sua essentia sit liberum, est quia est inter bonum et malum, ac inter verum et falsum, et haec sunt spiritualia; quapropter posse velle bonum aut malum, aut cogitare verum aut falsum, ac eligere unum prae altero, est liberum.... Hoc liberum datur unicuivis homini a Domino, nec usquam aufertur; est quidem ex sua origine non hominis sed Domini, quia est a Domino; at usque cum vita donatur homini sicut suum, et hoc ex causa ut homo possit reformari et salvari, nam absque libero nulla reformatio et salvatio. Quisque ex intuitione aliqua rationali videre potest quod in hominis libero sit cogitare male vel bene, sincere vel insincere, juste vel injuste; et quoque quod possit loqui et agere bene, sincere et juste, sed non male, insincere et injuste propter leges.. morales et civiles, per quas externum ejus tenetur in vinculis. Ex his patet quod spiritus hominis, qui est qui cogitat et vult, sit in libero; non ita externum hominis, quod loquitur et agit, nisi hoc sit secundum supradictas leges.

"Quod homo non possit reformari nisi sit in libero, est quia nascitur in omnis generis mala, quae tamen removenda sunt ut salvari possit; nec removeri possunt nisi videat illa in se, et agnoscat illa, et dein nolit illa, et tandem aversetur illa; tunc primum removentur. Hoc non fieri potest, nisi homo tam in bono quam in malo sit; ex bono enim potest videre mala, sed non a malo bona. Bona spiritualia, quae homo cogitare potest, discit ab infantia ex lectione Verbi, et ex praedicatione; ac bona moralia et civilia ex vita in mundo. Hoc primum est cur homo in libero esse debet. Alterum est, quod nihil approprietur homini nisi quod fit ex affectione quae amoris; reliqua quidem intrare possunt, sed non ultra quam in cogitationem,

et non in voluntatem; et quod non intrat usque in voluntatem hominis non fit ejus, nam cogitatio trahit suum ex memoria, sed voluntas ex ipsa vita. Nihil usquam liberum est quod non est ex affectione quae amoris; quicquid enim homo vult seu amat, hoc libere facit: inde est quod liberum hominis et affectio quae est amoris seu voluntatis ejus, unum sint; ideo itaque homini liberum, ut possit affici vero et bono, seu amare illa, et sic fieri sicut ejus propria. Verbo, quicquid non intrat in libero apud hominem, non manet, quia non est amoris seu voluntatis ejus; et quae non sunt amoris seu voluntatis hominis, non sunt ejus spiritus; esse enim spiritus hominis est amor seu voluntas.......

"Ut homo in libero sit, ex causa ut reformetur, ideo conjungitur ille quoad spiritum suum cum caelo et cum inferno. Sunt enim apud unumquemvis hominem spiritus ex inferno, et angeli e caelo; per spiritus ex inferno est homo in suo malo, per angelos autem e caelo est homo in bono a Domino; ita in aequilibrio spirituali, hoc est, in libero. Quod cuivis homini sint adjuncti angeli e caelo, et spiritus ex inferno, videatur in articulo De Conjunctione Caeli cum Humano Genere (n. 291–302)."

[XI.]

DE MERITO.

---

150. QUI bona faciunt ut mereantur, non faciunt bona ex amore boni, sed ex amore mercedis; nam qui vult mereri is vult remunerari: illi qui ita faciunt, jucundum spectant et ponunt in mercede, et non in bono; quare non spirituales sunt, sed naturales.

151. Facere bonum quod est bonum, erit ex amore boni, ita propter bonum. Illi qui in eo amore sunt, non volunt audire de merito, nam amant facere, et in eo faustum percipiunt; et vice versa contristantur, si credatur quod fiat propter aliquod sui. Se habent illa paene sicut qui bonum faciunt amicis amicitiae causa, fratri fraternitatis causa, uxori et liberis uxoris et liberorum causa, patriae patriae causa, ita ex amicitia et amore; illi, qui bene cogitant, etiam dicunt et persuadent quod non benefaciant propter se sed propter illos.

152. Illi qui bonum faciunt mercedis causa, non bonum faciunt a Domino, sed a semet; nam spectant se primario, quia suum bonum; ac bonum proximi, quod est bonum concivis, societatis humanae, patriae, et ecclesiae, non spectant nisi quam ut medium ad finem. Inde est quod in bono meriti lateat bonum amoris sui et mundi, et id bonum est ab homine et non a Domino; et omne bonum quod est ab homine non est bonum; immo, quantum sui et mundi in illo latet, est malum.

153. Genuina charitas et genuina fides est absque omni merito, nam jucundum charitatis est ipsum bonum, et jucundum fidei est ipsum verum; quapropter illi qui in ea charitate et fide sunt, sciunt quid bonum non meritorium, non autem illi qui non in charitate et fide sunt.

154. Quod non faciendum sit bonum mercedis causa, docet Ipse Dominus apud *Lucam*,

"Si..amatis eos qui vos amant, quae vobis gratia est?....nam..peccatores idem faciunt. ....Potius amate inimicos vestros, et benefacite, atque mutuo date, nihil..sperantes; tunc erit merces vestra magna, et eritis filii Altissimi" (vi. 32–35).

Quod homo non possit facere bonum ex se ut sit bonum, etiam docet Dominus, apud *Johannem*,

"Non potest homo sumere quicquam, nisi sit datum illi e caelo" (iii. 27):

et alibi,

Jesus dixit, "Ego sum Vitis, vos palmites;"...."sicut palmes non potest ferre fructum a semet, nisi manserit in vite, ita nec vos nisi in Me manseritis:....[1]qui manet in Me et Ego in illo, is fert fructum multum; nam nisi a Me non potestis facere quicquam" (xv. 4–8).

155. Quia omne bonum et verum est a Domino, et nihil ab homine, et quia bonum ab homine non est bonum, sequitur quod nulli homini sit meritum, sed soli Domino. Meritum Domini est, quod ex propria potentia salvaverit genus humanum, et quoque quod salvet illos qui bonum ab Ipso faciunt. Inde est quod in Verbo "justus" dicatur, cui addicatur meritum et justitia Domini, ac "injustus" cui justitia propria et meritum sui.

156. Ipsa jucunditas, quae inest amori faciendi bonum absque fine remunerationis, est merces quae manet in aeternum, nam in id bonum insinuatur caelum et felicitas aeterna a Domino.

157. Cogitare et credere quod in caelum veniant qui bonum faciunt, et quoque quod bonum faciendum sit ut in caelum veniant, non est spectare mercedem ut finem, ita nec ponere meritum in operibus, nam id cogitant et credunt etiam illi qui bonum faciunt a Domino; sed qui ita cogitant, credunt et faciunt, et non in amore boni propter bonum sunt, illi spectant et ponunt.

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.)

158. Quod soli Domino meritum et justitia (n. 9715, 9979).

Quod meritum et justitia Domini sit, quod ex propria potentia salvaverit genus humanum (n. 1813, 2025–2027, 9715, 9809, 10019).

Quod bonum justitiae et meriti Domini sit bonum quod regnat in caelo, et quod id bonum sit bonum Divini Amoris Ipsius, ex quo salvavit genus humanum (n. 9486, 9986[? 9979]).

Quod nullus homo possit ex se justitia fieri, nec illam sibi ullo jure vindicare (n. 1813).

Quales illi in altera vita qui sibi justitiam vindicant (n. 942, 2027).

Quod in Verbo "justus" dicatur cui addicitur justitia et meritum Domini, et quod "injustus" cui justitia propria et meritum sui (n. 5069, 9263).

Qui semel justus a Domino, continue justus erit ab Ipso; nam justitia nusquam fit propria hominis, sed continue Domini (n. 3648[? 9486]).

Quod qui credunt justificationem in ecclesia, parum sciant de regeneratione (n. 5398).

Quod homo tantum sapiat, quantum addicit omnia bona et vera Domino, et non sibi (n. 10227).

Quia omne bonum et verum, quod est bonum et verum, est a Domino, et nihil ab homine; et quia bonum ab homine non est bonum, quod inde sequatur quod nulli homini meritum, sed soli Domino (n. 9975, 9981, 9988).

Quod illi qui intrant caelum, exuant omne meritum sui (n. 4007).

Et quod non cogitent de remuneratione propter bona quae fecerunt (n. 6478, 9174).

Quod qui cogitant ex merito, tantum non agnoscant omnia esse misericordiae (n. 6478, 9174).

Quod illi qui cogitant ex merito, cogitent de mercede et remuneratione; quare velle mereri est velle remunerari (n. 5660, 6392, 9975).

Quod tales caelum in se non recipere possint (n. 1835, 8478, 9977).

Quod felicitas caelestis consistat in affectione faciendi bonum absque fine remunerationis (n. 6388, 6478, 9174, 9984).

Quod in altera vita quantum quis bonum facit absque fine remunerationis, tantum influat beatum cum augmento a Domino, et quod id statim dissipetur cum cogitatur de remuneratione (n. 6478, 9174).

Quod bonum faciendum sit absque fine remunerationis (n. 6392, 6478; *illustratum*, n. 9981).

Quod genuina charitas sit absque omni meritorio (n. 2340[? 2343], 2373[? 2371], 2400, 3887, 6388–6393): quia est ex amore, ita ex jucundo faciendi bonum (n. 3816, 3887, 6388, 6478, 9174, 9984).

Quod per "mercedem" in Verbo intelligatur jucundum et beatum in benefaciendo aliis absque fine mercedis, et quod id jucundum et beatum sentiant et percipiant illi qui in genuina charitate sunt (n. 3816, 3956, 6388).

Quod illi qui bonum faciunt mercedis causa, semet ament, non proximum (n. 8002, 9210).

Quod in Verbo per "mercenarios" in sensu spirituali intelligantur qui bonum faciunt propter mercedem (n. 8002).

[1]Qui bonum faciunt remunerationis causa, quod in altera vita velint serviri, et nusquam contenti sint (n. 6393).

Quod contemnant proximum, et irascantur Ipsi Domino, quod non mercedem recipiant, dicentes quod meruerint (n. 9976).

Qui apud se fidem separaverunt a charitate, quod in altera vita faciant fidem, et quoque bona opera, quae in externa forma fecerunt, ita propter se, meritoria (n. 2373[? 2371]).

Quales porro sunt in altera vita, qui meritum posuerunt in operibus (n. 942, 1774, 1877, 2027).

Quod ibi sint in terra inferiore, et sibi appareant lignum secare (n. 1110, 4943, 8740): ex causa quia "lignum" in specie significat

bonum meriti, imprimis "lignum schittim" (n. 2784, 2812, 9472, 9486, 9715, 10178).

Quod illi qui bonum fecerunt remunerationis causa, in regno Domini sint servitia (n. 6389, 6390).

Qui meritum ponunt in operibus, quod succumbant in tentationibus (n. 2273, 9978).

Quod qui in amoribus sui et mundi sunt, non sciant quid sit facere bonum absque remuneratione (n. 6392).

[XII.]

DE PAENITENTIA, ET REMISSIONE PECCATORUM.

---

159. QUI vult salvari, confitebitur peccata sua, et paenitentiam aget.

160. *Confiteri peccata*, est cognoscere mala, videre illa apud se, agnoscere illa, se reum facere, et propter illa se damnare: hoc cum fit coram Deo, est confiteri peccata.

161. *Paenitentiam agere*, est, postquam ita confessus est peccata, et ex humili corde supplicavit de remissione, desistere ab illis, et vitam novam secundum praecepta charitatis et fidei agere.

162. Qui solum universaliter agnoscit quod peccator sit, et se reum omnium malorum facit, et non explorat se, hoc est, videt sua peccata, is confessionem facit, sed non confessionem paenitentiae: is quia non novit sua mala, vivit postea sicut prius.

163. Qui vitam charitatis et fidei vivit, is cottidie paenitentiam agit, reflectit super mala quae apud se, agnoscit illa, cavet ab illis, supplicat Dominum de ope. Homo enim continue ex se labitur, sed a Domino continue erigitur, et ducitur ad bonum; talis status est illis qui in bono sunt. Qui autem in malo sunt, labuntur continue, et quoque a Domino elevantur continue, sed modo abducuntur ne cadant in gravissima mala, ad quae ex se omni nisu tendunt.

164. Homo qui explorat se, ut paenitentiam agat, explorabit cogitationes suas et intentiones voluntatis suae; et ibi, quid facturus esset si, ei liceret, hoc est, si non timeret leges ac jacturam famae, honoris et lucri: ibi sunt mala hominis; mala quae homo corpore facit, sunt omnia

inde. Illi qui non explorant mala cogitationis et voluntatis suae, non possunt paenitentiam agere, nam cogitant et volunt postea sicut prius; et tamen velle mala est facere illa. Hoc est explorare se.

165. Paenitentia oris et non vitae non est paenitentia. Per paenitentiam oris non remittuntur peccata, sed per paenitentiam vitae. Remittuntur homini continue peccata a Domino, nam est ipsa misericordia; sed peccata adhaerent homini, utcunque putat quod remissa sint, nec ab ipso removentur nisi quam per vitam secundum praecepta verae fidei; quantum secundum illa vivit, tantum peccata removentur, et quantum removentur tantum remissa sunt.

166. Creditur quod peccata abstergantur, seu, quasi solent sordes aquis, abluantur, cum remittuntur; sed peccata non absterguntur, verum removentur; hoc est, homo detinetur ab illis cum tenetur in bono a Domino; et cum tenetur in bono, apparet sicut absque illis sit, ita sicut forent abstersa; et homo tantum teneri in bono potest, quantum reformatur. Quomodo homo reformatur, dicetur in sequente doctrinali de regeneratione. Qui credit quod aliter remittantur peccata, multum fallitur.

167. Signa quod peccata sint remissa, hoc est, remota, sunt quae sequuntur:—Percipiunt jucundum in colendo Deum propter Deum, et in serviendo proximo propter proximum, ita in faciendo bonum propter bonum, et in loquendo verum propter verum; nolunt mereri per aliquid charitatis et fidei, fugiunt et aversantur mala, ut inimicitias, odia, vindictas, adulteria, et ipsas cogitationes cum intentione de talibus. Signa autem quod peccata non sint remissa, hoc est, remota, sunt quae sequuntur:—Colunt Deum non propter Deum, et serviunt proximo non propter proximum; ita non faciunt bonum et loquuntur verum propter bonum et verum, sed propter se et mundum; per facta volunt mereri; percipiunt non injucundum in malis, ut in inimicitia, in odio, in vindicta, in adulteriis, et ex illis de illis in omni licentia cogitant.

168. Paenitentia quae fit in statu libero valet, at quae fit in statu coacto non valet. Status coacti sunt status morbi, status dejecti animi ex infortunio, status imminentis mortis, tum omnis status timoris qui demit rationis usum. Qui malus est, et in statu coacto paenitentiam pol-

licetur, et quoque bonum facit, is cum venit in statum liberum, in vitam mali priorem redit: aliter bonus.

169. Postquam homo se exploraverat, et agnoverat sua peccata, et paenitentiam egerat, manebit constans in bono usque ad finem vitae; si enim dein relabitur in vitam mali priorem, et hanc amplectitur, tunc profanat, nam tunc malum conjungit bono; inde status ejus posterior fit pejor priori; secundum Domini verba,

> "Quando..immundus spiritus exit ab homine, perambulat arentia loca, quaerens requiem sed non invenit; tunc dicit, Revertar in domum meam, unde exivi; cumque venit et reperit illam vacuam, et scopis purgatam, et ornatam sibi, tunc abit et adjungit sibi septem alios spiritus pejores se, et ingressi habitant ibi; et fiunt posteriora hominis pejora primis" (*Matth.* xii. 43–45).

Quid profanatio, videatur in subsequentibus.

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.)

170. *De Peccato seu Malo.*

Quod innumerabilia genera mali et falsi dentur (n. 1188, 1212, 4818, 4822, 7574).

Quod sit malum ex falso, quod sit falsum ex malo, ac iterum inde malum et falsum (n. 1679, 2243, 4818).

Quid et quale malum falsi (n. 2408, 4818, 7272, 8266[? 8265], 8279).

Et quid et quale falsum mali (n. 6359, 7272, 9304, 10302).

De malis sua culpa, et de malis non sua culpa (n. 4171, 4172).

De malis ex intellectu, et de malis ex voluntate (n. 9009).

Praevaricatio, iniquitas, et peccatum, quae differentia (n. 6563, 9156).

Quod omnia mala adhaereant homini (n. 2116).

Quod homini non auferri possint mala, sed modo homo detineri ab illis, et teneri in bono (n. 865, 868, 887, 894, 1581, 4564, 8206, 8393, 8988, 9014, 9333, 9446–9448, 9451, 10057, 10059).

Quod detineri a malo ac teneri in bono fiat a solo Domino (n. 929, 2406, 8206, 10059[? 10060]).

Quod sic mala et peccata solum removeantur, et quod hoc fiat successive (n. 9334–9336).

Quod hoc fiat per regenerationem a Domino (n. 9445, 9452–9454, 9938).

Quod mala secludant Dominum (n. 5696).

Quod homo abstinere debeat a malis, ut recipiat bonum a Domino (n. 10109).

Quod bonum et verum tantum influant, quantum abstinetur a malis (n. 2388, 2411, 10675).

Detineri a malo et teneri in bono, quod sit remissio peccatorum (n. 8391, 8393, 9014, 9444–9450).

Signa num remissa sint peccata vel non (n. 9449, 9450).

Quod remissionis peccatorum sit aspicere ex bono et non ex malo (n. 7697).

Quod malum et peccatum sit separatio et aversio a Domino, et quod id per "malum" et "peccatum" significetur in Verbo (n. 4997, 5229, 5474, 5746, 5842[? 5841], 9346); tum quod sit et significetur separatio et aversio a bono et vero (n. 7589).

Quod sit et significetur quod contra Divinum ordinem (n. 4839, 5076).

Quod malum sit damnatio et infernum (n. 3513, 6279, 7155).

Quod non sciatur quid infernum, nisi sciatur quid malum (n. 7181).

Quod mala sint quasi gravia, et ex se delabantur in infernum, et quod quoque falsa ex malo (n. 8279, 8298).

Quod non sciatur quid malum, nisi sciatur quid amor sui et amor mundi (n. 4997, 7178, 8317[? 8318]).

Quod ex illis amoribus sint omnia mala (n. 1307, 1308, 1321, 1594, 1691, 3413, 7255, 7376, 7480[? 7488], 7488[? 7489], 8918[? 8318], 9335, 9348, 10038, 10742).

Quod homines quotcunque sunt, nascantur in mala omnis generis, usque adeo ut proprium eorum non sit nisi quam malum (n. 210, 215, 731, 874–876, 987, 1047, 2307, 2308, 3518, 3701, 3812, 8480, 8550, 10283, 10284, 10731).

Quod homo ideo renascetur seu regenerabitur, ut vitam boni recipiat (n. 3701).

Quod homo semet in infernum conjiciat, cum facit malum ex consensu, dein ex proposito, et demum ex jucundo (n. 6203).

Quod in falsis sui mali sint, qui in malo vitae sunt, sive hoc sciant sive non sciant (n. 7577, 8064[? 8094]).

Quod homini malum non [1]appropriaretur, si crederet sicut res se habet, quod omne malum sit ab inferno, et omne bonum a Domino (n. 4151, 6206, 6324, 6325).

Quod in altera vita mala removeantur a bonis, et bona a malis (n. 2256).

Quod omnes in altera vita remittantur in sua interiora, ita mali in sua mala (n. 8870).

Quod malo insit sua poena, et bono sua remuneratio, in altera vita (n. 696, 967, 1057[? 1857], 6559, 8214, 8223, 8226, 9049[? 9048).

Quod homo non luat poenam in altera vita propter mala hereditaria, quia non est in eorum culpa, sed propter actualia sua (n. 966, 2308.)

Quod interiora mali sint spurca et foeda, utcunque aliter appareat in externa forma (n. 7046).

Quod malum tribuatur Domino in Verbo, cum tamen ab Ipso nihil nisi quam bonum (n. 2447, 6073[? 6071], 6992[? 6991], 6997, 7533, 7632, 7677, 7926, 8227, 8228, 8632, 9306).

Similiter ira (n. 5798, 6997, 8284, 8483, 9306, 10431).

Cur ita in Verbo dicitur (n. 6073[? 6071], 6992[? 6991], 6997, 7632, 7643, 7679, 7710, 7920[? 7926], 8282, 9009[? 9010], 9128).

Quid significatur per "portare iniquitatem," ubi de Domino (n. 9937, 9965).

Quod Dominus vertat malum in bonum apud bonos, qui infestantur et tentantur (n. 8631).

Relinquere homini ex suo libero facere malum, quod sit permittere (n. 1778).

Quod mala et falsa per leges permissionis regantur a Domino, et quod permittantur propter ordinem (n. 7877, 8700, 10778).

Permissio mali a Domino, quod non sit ut volentis, sed ut non volentis, at quod auxilium ferri non possit urgente fine (n. 7877).

171. *De Falso.*

Quod innumerabilia genera falsi sint, quot nempe mala; et quod mala et falsa sint secundum origines, quae plures (n. 1188, 1212, 4729, 4822, 7574).

Quod sit falsum ex malo seu falsum mali, et quod sit malum ex falso seu malum falsi, ac iterum inde falsum (n. 1679, 2243).

Quod ex falso, quod principii loco sumitur, fluant falsa in longa serie (n. 1510, 1511, 4717, 4721).

Quod sit falsum ex cupiditatibus amoris sui et mundi; et quod sit falsum ex fallaciis sensuum (n. 1295, 4729).

Quod sint falsa religionis, et quod sint falsa ignorantiae (n. 4729, 8318, 9258).

Quod sit falsum in quo bonum, et falsum in quo non bonum (n. 2863, 9304, 10109, 10302).

Quod sit falsificatum (n. 7318, 7319, 10648).

De falso mali, quale (n. 6359, 7272, 9304, 10302).

De malo falsi, quale (n. 2408, 4818, 7272, 8266[? 8265], 8279).

Quod falsa ex malo appareant sicut nimbi, et sicut aquae impurae, supra inferna (n. 8138, 8148[? 8146], 8217[? 8210]).

Quod etiam tales aquae significent falsa (n. 739, 790, 7307).

Quod qui in inferno sunt, loquantur falsa ex malo (n. 1695, 7351, 7352, 7357, 7392, 7698[? 7699]).

Quod qui in malo sunt, non possint nisi quam falsum, dum ex se, cogitare (n. 7437).

Quod dentur falsa religionis quae concordant cum bono, et quod dentur quae discordant (n. 9258).

Quod falsa religionis, si non discordant cum bono, non producant malum nisi quam apud illos qui in malo vitae sunt (n. 8318).

Quod falsa religionis non imputentur illis qui in bono sunt, sed illis qui in malo (n. 8051, 8149).

Quod omne falsum confirmari possit, et cum confirmatum est appareat sicut verum (n. 5033, 6865, 8521, 8780).

Quod cavendum sit ne falsa religionis confirmentur, quia inde praecipue persuasio falsi (n. 845, 8780).

Persuasio falsi quam damnosa (n. 794, 806, 5096, 7686).

Quod persuasio falsi excitet continue confirmantia falsi (n. 1510, 1511, 2475[? 2477]).

Quod qui in persuasione falsi sunt, interius vincti sint (n. 5096).

Quod qui in forti persuasivo falsi sunt, in altera vita cum approximant ad alios, occludant rationale eorum, et quasi suffocent (n. 3895, 5128).

Quod vera non genuina, et quoque falsa, consociari possint cum veris genuinis; sed falsa in quibus bonum, non autem falsa in quibus malum (n. 3470, 3471, 4551, 4552, 7344, 8149, 9298).

Quod falsa in quibus bonum recipiantur a Domino ut vera (n. 4736, 8149).

Quod bonum, cujus quale est a falso, acceptetur a Domino, si ignorantia sit, et in illa innocentia, ac finis bonus (n. 7887).

Quod malum falsificet verum, quia deducit verum ad malum, et applicat malo (n. 8044[? 8094], 8149).

Verum falsificatum dicitur, quod applicatum est malo per confirmationes (n. 8602[? 8062]).

Quod falsificatum verum sit contra verum et bonum (n. 8602[? 8062]).

Porro de falsificationibus veri (n. 7318, 7319, 10648).

172. *De Profano et Profanatione* (de qua supra, n. 169, in Doctrina).

Quod profanatio sit commixtio boni et mali, tum veri et falsi apud hominem (n. 6348).

Quod profanare bona et vera, seu sancta ecclesiae et Verbi, non possint alii quam qui primum agnoscunt illa, credunt illa, et magis si vivunt secundum illa, ac postea recedunt a fide, non credunt illa, et vivunt sibi et mundo (n. 593, 1008, 1010, 1059, 3398, 3399, 3898, 4289, 4601, 10284[? 8394], 10287).

Quod qui in pueritia credit vera, et postea non credit, leviter profanet; at quod qui vera apud se postea confirmat, et dein illa negat, graviter profanet (n. 6960[? 6959], 6963, 6971).

Quod etiam profanent qui credunt vera et vivunt male; tum qui non credunt vera, et vivunt sancte (n. 8082[? 8882]).

Quod homo, si post paenitentiam cordis ad mala priora relabitur, profanet, et quod tunc status ejus posterior sit pejor priori (n. 8394).

Quod qui in Christiano orbe conspurcant sancta Verbi per immundas cogitationes et loquelas, profanent (n. 4050, 5390).

Quod varia genera profanationum sint (n. 10287).

Quod illi sancta profanare non possint qui non agnoverunt illa, minus qui non sciunt illa (n. 1008, 1010, 1059, 9188, 10284[? 10287]).

Quod qui intra ecclesiam sunt, profanare sancta possint, non autem qui extra (n. 2051).

Quod gentes, quia extra ecclesiam, et non habent Verbum, non profanare possint (n. 1327, 1328, 2051, 2081[? 9021]).

Quod nec Judaei sancta interiora Verbi et ecclesiae, quia non agnoscunt illa (n. 6963).

Quod ideo Judaeis nec detecta fuerint interiora vera, nam si detecta et agnita, profanavissent illa (n. 3398, 3489[? 3479], 6963).

Profanatio intelligitur per Domini verba supra (n. 169) allata, nempe,

> "Quando . . immundus spiritus exit ab homine, perambulat arentia loca, quaerens requiem, sed non invenit; tunc dixit, Revertar in domum meam, unde exivi; cumque venit et reperit illam vacuam, et scopis purgatam, et ornatam sibi, tunc abit et adjungit sibi septem alios spiritus pejores se, et ingressi habitant ibi; et fiunt posteriora hominis pejora primis" (*Matth.* xii. 43–45).

per quod "exeat immundus spiritus ab homine," intelligitur paenitentia illius qui in malo est; per quod "perambulet arentia loca, et non inveniat requiem," intelligitur quod vita boni ei talis sit; per "domum," in quam, quia reperit vacuam et sibi ornatam, revertitur, intelligitur ipse homo et ejus voluntas, quod sit absque bono; per "septem

spiritus" quos sibi adjungit, et cum quibus revertitur, intelligitur malum conjunctum bono; per "statum ejus tunc pejorem priori," intelligitur profanatio: hic sensus est sensus internus horum verborum, nam Dominus per correspondentias locutus est. Simile intelligitur per Domini verba ad illum quem sanavit in piscina Bethesda,

> "Ecce sanus factus es; ne pecca amplius, ne fiat tibi aliquid quod pejus est quam prius" (*Joh.* v. 14);

tum per haec verba,

> "Occaecavit oculos eorum, et obduravit corda eorum, ne videant oculis et intelligant corde, et se convertant et sanem eos" (*Joh.* xii. 40):

"se convertere et sanari" est profanare, quod fit cum agnoscuntur vera et bona, et dein rejiciuntur: ita fuisset si Judaei se converterint et sanati fuissent, ut supra dictum est.

Quod sors profanatorum in altera vita omnium pessima sit, quoniam bonum et verum, quae agnoverunt, manent, et quoque malum et falsum; et quia cohaerent fit discerptio vitae (n. 571, 582, 6348).

Quod ideo a Domino maxime provideatur ne fiat profanatio (n. 2426, 10384[? 10287]).

Quod homo idcirco detineatur ab agnitione et fide, si non ad finem vitae in illis permanere possit (n. 3398, 4402[? 3402]).

Quod ideo homo teneatur potius in ignorantia, et in cultu externo (n. 301–303, 1327, 1328).

Quod etiam Dominus vera et bona, quae homo per agnitionem recepit, recondat in interioribus ejus (n. 6595).

Quod interiora vera, ne profanentur, non prius revelentur quam cum ecclesia in suo fine est (n. 3398, 3399).

Quapropter Dominus tunc in mundum venit, ac interiora vera aperuit, cum ecclesia prorsus vastata fuit (n. 3398; videantur quae de his in opusculo *De Ultimo Judicio et Babylonia destructa*, n. 73, 74, allata sunt).

Quod per "Babelem" in Verbo significetur profanatio boni, et per "Chaldaeam" profanatio veri (n. 1182, 1283, 1295, 1304, 1306–1308, 1321, 1322, 1326).

Quod gradibus prohibitis, seu foedis adulteriis, de quibus in Verbo, profanationes illae correspondeant (n. 6348).

Quod profanatio repraesentata sit per esum sanguinis in Ecclesia Israelitica et Judaica, quapropter id tam severe prohibitum fuit (n. 1003).

[XIII.]

DE REGENERATIONE.

173. QUI non vitam spiritualem accipit, hoc est, qui non e novo generatur a Domino, non potest venire in caelum; quod docet Dominus apud *Johannem*,

"Amen, amen, dico tibi, Nisi quis generatur denuo, non potest videre regnum Dei" (iii. 3).

174. Homo a parentibus non nascitur in vitam spiritualem, sed in vitam naturalem. Vita spiritualis est amare Deum supra omnia, et amare proximum sicut seipsum, et hoc secundum praecepta fidei, quae Dominus in Verbo docuit: vita autem naturalis est amare se et mundum prae proximo, immo prae Ipso Deo.

175. Unusquisque homo nascitur in mala amoris sui et mundi a suis parentibus. Omne malum, quod per habitum traxerat quasi naturam, derivatur in prolem; ita successive a parentibus, ab avis, et ab atavis longa retro serie: inde derivatio mali tandem fit tanta, ut omne vitae propriae hominis non sit nisi quam malum. Derivatum hoc continuum non frangitur et alteratur, quam per vitam fidei et charitatis a Domino.

176. Quod homo ex hereditario trahit, ad hoc inclinat continue, et in hoc labitur: inde ipse confirmat apud se id malum, et quoque ex se superaddit plura. Haec mala sunt prorsus contraria vitae spirituali; destruunt illam: quapropter nisi homo a Domino accipit vitam novam, quae est vita spiritualis, ita nisi e novo concipitur, e novo nascitur, et e novo educatur, hoc est, e novo creatur, est damnatus; nam nihil aliud vult, et inde nihil aliud cogitat, quam quod sui et mundi est, similiter ut faciunt in inferno.

177. Nemo regenerari potest nisi sciat talia quae vitae novae, hoc est, quae vitae spiritualis sunt. Quae vitae no-

vae sunt, seu quae vitae spiritualis, sunt vera quae credenda et bona quae facienda; illa sunt fidei, haec charitatis. Haec scire nemo potest ex se, nam homo non capit nisi quae obvia fuerunt sensibus; ex illis comparavit sibi lumen, quod lumen naturale vocatur, ex quo non aliud videt quam quae mundi sunt et quae sui, non autem quae caeli et quae Dei; haec discet ex revelatione. Ut, quod Dominus, qui ab aeterno Deus, in mundum venerit ad salvandum genus humanum; quod Ipsi omnis potestas sit in caelo et in terra; quod omne fidei et omne charitatis, ita omne verum et bonum, sit ab Ipso; quod caelum sit et quod infernum; quod homo victurus sit in aeternum, si bene egerit in caelo, si male in inferno.

178. Haec et plura sunt fidei, quae homo qui regenerandus est, scire debet; nam qui scit illa, cogitare potest illa, dein velle illa, et demum facere illa, et sic habere vitam novam. Ut, qui non scit quod Dominus sit Salvator generis humani, non potest fidem habere in Ipsum, amare Ipsum, et sic facere bonum propter Ipsum. Qui non scit quod omne bonum sit ab Ipso, non potest cogitare quod salus sua sit ab Ipso, minus potest velle quod ita sit, ita non potest vivere ab Ipso. Qui non scit quod infernum sit et quod caelum, nec quod vita aeterna, is ne quidem cogitare potest de vita caeli, nec applicare se ad recipiendum illam. Ita in reliquis.

179. Unicuique est homo internus et homo externus; internus est qui homo spiritualis vocatur, et externus qui homo naturalis: uterque regenerandus est, ut homo regeneratus sit. Apud hominem qui non regeneratus est, externus seu naturalis homo imperat, ac internus servit; at apud hominem qui regeneratus est, internus seu spiritualis homo imperat, et externus servit. Unde patet quod apud hominem a nativitate ordo vitae inversus sit, nempe, quod imperare debet hoc servit, et quod servire debet hoc imperat. Ille ordo invertendus est, ut homo salvari possit: et haec inversio nequaquam existere potest quam per regenerationem a Domino.

180. Quid sit quod internus homo imperet et externus serviat, ac vicissim, illustretur per hoc:—Si homo ponit omne bonum in volupi, in lucro, et in fastu, ac jucundum habet in odio et vindicta, et interius in se conquirit ratio-

nes quae confirmant, tunc externus homo imperat ac internus servit. Cum autem homo percipit bonum et jucundum in cogitando et volendo bene, sincere et juste, et exterius in loquendo et faciendo similiter, tunc internus homo imperat et externus servit.

181. Internus homo primum regeneratur a Domino, et postea externus, et hic per illum: internus enim homo regeneratur per cogitare illa quae fidei et charitatis sunt, externus autem per vitam secundum illa. Hoc intelligitur per Domini verba,

> "Nisi quis generatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest ingredi in regnum Dei" (*Joh.* iii. 5):

"aqua" in spirituali sensu est verum fidei, et "spiritus" est vita secundum illud.

182. Homo qui regeneratus est, quoad internum suum hominem in caelo est, ac ibi angelus cum angelis, inter quos etiam post mortem venit; is tunc potest vivere vitam caeli, amare Dominum, amare proximum, intelligere verum, sapere bonum, ac percipere beatum inde.

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.)

183. *Quid Regeneratio, et cur fit.*

Quod hodie parum sciatur de regeneratione, causae (n. 3761, 4136, 5398).

Quod homo nascatur in omnis generis mala, et quod inde ille quoad proprium suum ex nativitate non sit nisi quam malum (n. 210, 215, 731, 874–876, 987, 1047, 2307, 2308, 3518, 3701, 3712[? 3812], 8480, 8549, 8550, 8552, 10283, 10284, 10286, 1073[? 10731]).

Quod hereditarium hominis non sit nisi quam malum (vide collecta supra in hac Doctrina, n. 83).

Quod etiam proprium hominis non sit nisi quam malum (ibi, n. 82).

Quod homo ex se, quantum ex hereditario et proprio, sit pejor brutis animalibus (n. 637, 3175).

Quod ideo continue ex se spectet ad infernum (n. 694, 8480).

Quapropter si homo duceretur ex suo proprio, quod nequaquam salvari posset (n. 10731).

Quod vita naturalis hominis sit contraria vitae spirituali (n. 3913, 3928).

Quod bonum quod homo facit ex se, seu ex proprio, non sit bonum, quia facit propter se et propter mundum (n. 8478[? 8480]).

Quod proprium hominis removendum sit, ut Dominus et caelum adesse queant (n. 1023, 1044).

Quod proprium hominis actualiter removeatur, cum homo a Domino regeneratur (n. 9334–9336, 9452, 9455[? 9454], 9938).

Quod ideo homo e novo creandus sit, hoc est, regenerandus (n. [8548,] 8549, 9450, [9452], 9938[? 9937]).
Quod per "creare" hominem in Verbo significetur illum regenerare (n. 16, 88, 10634).

Quod homo per regenerationem conjungatur Domino (n. 2004, 9338).
Quod etiam consocietur angelis in caelo (n. 2475[? 2474]).
Quod homo non prius in caelum veniat, quam dum in statu est ut ducatur a Domino per bonum, quod fit cum regeneratus est (n. 8516, 8539, 8722, 9139, 9832, 10367).

Quod apud hominem qui non regeneratus est, externus seu naturalis homo imperet, ac internus serviat (n. 3167, 8743).
Ita quod status vitae hominis sit inversus a nativitate, et quod ideo omnino invertendus sit ut homo salvari possit (n. 6507, 8552, 8553, 9258).
Quod finis regenerationis sit, ut [homo] internus seu spiritualis imperet, et externus seu naturalis serviat (n. 911, 913).
Quod etiam ita fiat, postquam homo regeneratus est (n. 5128, 5651, 8743).
Quoniam post regenerationem non amplius amor sui et mundi, sed amor in Dominum et erga proximum regnat, ita Dominus et non homo (n. 8856, 8857).
Quod inde pateat quod homo, nisi regeneratur, salvari nequeat (n. 5280, 8548, 8772, 10156).

Quod regeneratio sit planum ad perficiendum vitam ejus in aeternum (n. 9334).
Quod etiam homo regeneratus perficiatur in aeternum (n. 6648, 10048).
Qualis homo regeneratus et homo non regeneratus (n. 977, 986, 10156).

184. *Quis regeneratur.*

Quod homo non prius regenerari possit, nisi instructus sit veris fidei et bonis charitatis (n. 677, 679, 711, 8635, 8638-8640, 10729).
Quod qui solum in veris sunt et non in bono, non regenerari possint (n. 6567, 8725).
Quod nemo regeneretur, nisi sit charitate praeditus (n. 989).
Quod non regenerari queant, nisi qui conscientiam habent (n. 2689, 5470).
Quod quisque regeneretur secundum facultatem recipiendi bonum amoris in Dominum et charitatis erga proximum per vera fidei ex doctrina ecclesiae, quae ex Verbo (n. 2967, 2975).
Quinam porro regenerari possunt, et quinam non possunt (n. 2689).
Qui vitam fidei et charitatis vivunt, et in mundo non regenerantur, quod in altera vita regenerentur (n. 989, 2490).

185. *Quod Regeneratio a solo Domino.*

Quod solus Dominus regeneret hominem, et prorsus nihil homo, nec angelus (n. 10067).

Quod regeneratio hominis sit imago glorificationis Domini, hoc est, quod sicut Dominus Humanum suum Divinum fecit, ita Dominus hominem, quem regenerat, faciat spiritualem (n. 3043, 3138, 3212, 3296, 3490, 4402, 5688, 10057, 10076).

Quod Dominus velit habere totum hominem, quem regenerat, et non partem (n. 6138).

186. *Plura de Regeneratione.*

Quod homo regeneretur per vera fidei, et per vitam secundum illa (n. 1904, 2046, 9088, 9959, 10028).

Quod hoc intelligatur per Domini verba,

> "Nisi homo generetur per aquam et spiritum, non potest ingredi in regnum Dei" (*Joh.* iii. 5):

per "aquam" significatur verum fidei, et per "spiritum" vita secundum illud (n. 10240).

Quod per "aquam" in Verbo significetur verum fidei (n. 2702, 3058, 5668, 8568, 10238).

Quod etiam purificatio spiritualis, quae est a malis et falsis, fiat per vera fidei (n. 2799, 5954, 7044, 7918, 9089[? 9088], 10229, 10237).

Quod vera, cum regeneratur homo, inseminentur et implantentur bono, ut fiant vitae (n. 880, 2189, 2475[? 2574], 2697).

Vera qualia erunt, ut implantari queant bono (n. 8725).

Quod verum initietur et conjungatur bono, ac bonum vero, reciproce, in regeneratione (n. 5365, 8516).

Quomodo initiatio et conjunctio reciproca fit (n. 3155, 10067).

Quod verum implantetur bono cum fit voluntatis, quoniam tunc fit amoris (n. 10367).

Quod sint bini status homini qui regeneratur, primus cum ducitur per verum ad bonum, alter cum ex bono agit, et ex bono videt verum (n. 7992, 7993, 8505, 8506, 8510, 8512, 8516, 8643, 8648, 8658, 8685, 8690, 8701, 8772, 9227, 9230, 9274, 9739[? 9736], 10048, 10057, 10058[? 10060], 10076).

Qualis status hominis cum verum primo loco est, et bonum secundo (n. 3610).

Inde patet quod homo, cum regeneratur, ex vero spectet ad bonum, sed cum regeneratus est ex bono spectet verum (n. 6247).

Ita quod fiat quasi versura, in eo quod status hominis invertatur (n. 6507).

Sed sciendum est quod ita se res habeat, quod, cum homo regeneratur, verum primo loco et bonum secundo sit, non actualiter sed modo apparenter; at quod, cum homo regeneratus est, bonum primo loco sit et verum secundo actualiter et perceptibiliter (n. 3324, 3325, 3330, 3336, 3494, 3539, 3548, 3556, 3563, 3570, 3576, 3603, 3701, 4243, 4244[? 4245], 4247, 4337, 4925, 4926, 4928, 4930, 4977, 5351, 6256, 6269, 6273, 8516, 10110).

Ita quod bonum sit primum et ultimum regenerationis (n. 9337).

Quia verum primo loco apparet esse, et bonum secundo, cum regeneratur homo, seu quod idem, cum homo fit ecclesia, quod propter illam apparentiam ab antiquis controversum sit num verum fidei vel num bonum charitatis sit primogenitum ecclesiae (n. 367, 2435).

Quod bonum charitatis sit primogenitum ecclesiae actualiter, at

verum fidei modo apparenter (n. 3325, 3494, 4925, 4926, 4928, 4930, 8042, 8080).

Quod etiam per "primogenitum" in Verbo significetur primum ecclesiae, cui prioritas et superioritas (n. 3325).

Quod ideo Dominus dicatur Primogenitus, quia in Ipso et ab Ipso omne bonum amoris, charitatis, et fidei (n. 3325).

Quod non redeundum sit a statu posteriori, qui est cum a bono spectatur verum, ad statum priorem, qui est cum a vero spectatur bonum, causae (n. 2454, 3650–3655, 5895, 5897, 7857, 7923, 8505, 8506, 8510, 8512, 8516, 9274, 10184: explicantur ibi Domini verba,

> "Qui tunc in agro, ne revertatur retro ad tollendum vestimenta sua" (*Matth.* xxiv. 18);

tum,

> "Quicunque tunc [in] agro, ne revertatur in quae post illum; mementote uxoris Lothi" (*Luc.* xvii. 31, 32);

nam illa per ea verba significantur).

Processus regenerationis hominis, quomodo fit, describitur (n. 1555, 2343, 2490, 2657, 2979, 3057, 3286, 3310, 3316, 3332, 3470, 3701, 4353, 5112[? 5113], 5126, 5270, 5280, 5342, 6717, 8772, 8773, 9043, 9103, 10021, 10057, 10367).

Quod arcana regenerationis innumerabilia sint, quoniam regeneratio perstat per totam vitam hominis (n. 2679, 3179, 3584, 3665, 3694[? 3690], 3701, 4377, 4551, 4552, 5122, 5126, 5398, 5912, 6751, 9103, 9258, 9296, 9297. 9334).

Quod vix aliquid ex arcanis illis ad cognitionem et perceptionem hominis perveniat (n. 3179, 9336).

Quod hoc sit quod intelligitur per Domini verba,

> "Ventus quo vult spirat, et sonum ejus audis, sed non scis unde venit et quo vadit; ita est quisquis natus est ex spiritu" (*Joh.* iii. 8).

De processu regenerationis hominis ecclesiae spiritualis (n. 2675, 2678, 2679, 2682).

Et de processu regenerationis hominis ecclesiae caelestis, et quae differentia (n. 5113, 10124).

Quod cum homine qui regeneratur, similiter se habeat sicut cum infante, quod primum discat loqui, dein cogitare, postea vivere bene, usque dum omnia sponte sicut a se fluant (n. 3203, 9296, 9297).

Ita quod qui regeneratur, primum ducatur a Domino sicut infans, dein sicut puer, postea sicut adultus (n. 3665, 3690, 4377–4379, 6751).

Quod homo, cum regeneratur a Domino, primum in statu innocentiae externae sit, qui est status ejus infantiae; dein successive perducatur in statum innocentiae internae, qui est status ejus sapientiae (n. 9334, 9335, 10021, 10210).

Quae et qualis innocentia infantiae, et quae et qualis innocentia sapientiae (n. 1616, 2305, 2306, 3495[? 3494], 4563, 4797, 5608, 9301, 10021).

Comparatio regenerationis hominis cum conceptione et formatione embryonis in utero (n. 3570, 4931, 9258).

Quod ideo "generationes" et "nativitates" in Verbo significent generationes et nativitates spirituales, hoc est, quae sunt regeneratio-

nis (n. 613, 1145, 1255, 2020, 2584, 3860, 3868, 4070, 4668, 6239, 10197[? 10204]).

Regeneratio hominis illustrata per germinationes in regno vegetabili (n. 5115, 5116).

Regeneratio hominis repraesentata in iride (n. 1042, 1043, 1053).

Quod uterque homo, tam internus seu spiritualis quam externus seu naturalis, regenerandus sit, et quod unus per alterum (n. 3868, 3870, 3872, 3876, 3877, 3882).

Quod internus homo prius regeneretur quam externus, quoniam internus est in luce caeli, et externus in luce mundi (n. 3321, 3325, 3469, 3493, 4353, 8748[? 8746], 9325).

Quod externus seu naturalis homo regeneretur per internum seu spiritualem (n. 3286, 3288, 3321).

Quod homo non regeneratus sit priusquam externus seu naturalis ejus homo regeneratus est (n. 8742–8747, 9043, 9046, 9061, 9328[? 9325], 9334).

Nisi naturalis homo regeneratur, quod spiritualis claudatur (n. 6299).

Et quod sit quoad vera et bona fidei et amoris quasi caecus (n. 3493, 3969, 4353, 4587[? 4588]).

Quando naturalis homo regeneratus est, quod totus homo regeneratus sit (n. 7442, 7443).

Quod hoc significetur per "lavationem pedum discipulorum," et per haec Domini verba,

> "Qui lotus est non opus habet nisi [ut] quoad pedes lavetur, et mundus est totus" (*Joh.* xiii. 9, 10,)

(n. 10243); quod "lavatio" in Verbo significet lavationem spiritualem, quae est purificatio a malis et falsis (n. 3147, 10237, 10241); et quod "pedes" significent illa quae sunt naturalis hominis (n. 2162, 3761, 3986, 4280, 4938–4952); ita quod "lavare pedes" sit purificare naturalem hominem (n. 3147, 10241).

Quomodo naturalis homo regeneratur (n. 3502, 3508, 3509, 3510[? 3518], 3573, 3576, 3579, 3616, 3762, 3786, 5373, 5647, 5650, 5651, 5660).

Qualis naturalis homo est cum regeneratus, et qualis cum non regeneratus (n. 8744, 8745).

Quod quantum naturalis homo non pugnat cum spirituali, tantum homo regeneratus sit (n. 3286).

Cum regeneratus est homo, quod naturalis homo percipiat spiritualia per influxum (n. 5651).

Quod sensuale, quod est ultimum naturalis hominis, hodie non regeneretur, sed quod homo elevetur ab illo (n. 7442).

Quod illi qui regenerantur, eleventur a sensualibus actualiter in lucem caeli (n. 6183, 6454).

Quis et qualis sensualis homo (videatur supra in collectis, n. 50).

Quod homo regeneretur per influxum in cognitiones boni et veri, quas habet (n. 4096, 4097, 4364).

Quod homo, cum regeneratur, introducatur per bona et vera media in bona et vera genuina, et quod postea vera et bona media relinquantur, et genuina loco illorum succedant (n. 3665, 3686, 3690, 3974, 4063, 4067, 4145, 6382[? 6384, 9382]).

Quod tunc inducatur alius ordo inter vera et bona (n. 4250, 4251, 9931, 10303).

Quod disponantur secundum fines (n. 4104).

Ita quod secundum usus vitae spiritualis (n. 9297).

Quod qui regenerantur plures status subeant, ac jugiter perducantur interius in caelum, ita propius ad Dominum (n. 6645).

Quod regeneratus sit in ordine caeli (n. 8512); quod internum ejus sit apertum in caelum (n. 8512, 8513).

Quod homo per regenerationem in intelligentiam angelicam veniat, at quod illa in interioribus ejus abscondita lateat quamdiu vivit in mundo, sed quod aperiatur in altera vita, et quod tunc ei similis sapientia sit qualis est angelis (n. 2494, 8747).

Status illorum qui regenerantur, quoad illustrationem (n. 2697, 2701, 2704).

Quod homo per regenerationem novum intellectum accipiat (n. 2657).

Quomodo se habet cum fructificatione boni et multiplicatione veri apud illos qui regenerantur (n. 984).

Quod vera ex bono apud regeneratum faciant sicut stellam per derivationes successivas, et se circumcirca continue multiplicent (n. 5912).

Quod vera ex bono apud regeneratum disposita sint in eum ordinem ut genuina vera boni, ex quibus ut parentibus procedunt reliqua, sint in medio, et dein succedant ordine secundum propinquitates et affinitates, usque ad ultima, ubi obscurum (n. 4128[? 4129], 4551, 4552, 5134, 5270).

Quod vera ex bono apud regeneratum disposita sint in formam caeli (n. 3316, 3470, 3584, 4302, 5704, 5709, 6028, 6690, 9931, 10303; et in opere *De Caelo et Inferno*, in articulo De Forma Caeli, secundum quam consociationes et communicationes ibi, n. 200–212; et De Sapientia Angelorum Caeli, n. 265–275).

Quod apud regeneratum correspondentia sit inter spiritualia et naturalia (n. 2850).

Quod ordo vitae prorsus inversus sit apud regeneratum (n. 3332, 5159, 8995).

Quod homo regeneratus sit prorsus novus quoad spiritum (n. 3212).

Quod regeneratus quoad externa appareat similis non regenerato, non autem quoad interna (n. 5159).

Quod bonum spirituale, quod est ex affectione amoris boni velle et facere bonum, non sit homini nisi quam per regenerationem (n. 4538).

Quod vera, [1]qua affectione intrant, etiam reproducantur (n. 5893).

Quod vera, quantum deprivantur vita a proprio hominis, tantum conjungantur bono, et vitam spiritualem accipiant (n. 3607, 3610).

Quod veris tantum vita sit, quantum mala ex amore sui et mundi removentur (n. 3610).

Quod prima affectio veri apud hominem qui regeneratur, non sit pura, sed quod successive purificetur (n. 3089, 8413).

Quod mala et falsa, apud hominem qui regeneratur, lente removeantur, et non cito (n. 9334, 9335).

Quod mala et falsa, quae propria hominis, usque remaneant, et quod modo per regenerationem removeantur (n. 865, 868, 887, 929,

1581, 2406, 4564, 8206, 8393, 8988, 9014, 9333–9336, 9445, 9447, 9448, 9451–9454, 9938, 10057, 10059[? 10060]).

Quod homo nusquam ita regenerari possit ut perfectus dici queat (n. 894, 5122, 6648).

Quod mali spiritus non ausint aggredi regeneratum (n. 1695).

Quod qui credunt justificationem in ecclesia, parum sciant de regeneratione (n. 5398).

Quod liberum homini esse debeat, ut possit regenerari (n. 1937, 1947, 2876, 2881, 3145, 3146, 3158, 4031, 8700).

Quod homo in liberum caeleste introducatur per regenerationem (n. 2874, 2875, 2882, 2892).

Quod nulla conjunctio boni et veri detur per coactum, ita nulla regeneratio (n. 2875, 2881, 4031, 8700).

(Reliqua de libero circa regenerationem, videatur supra in Doctrina, ubi de Libero.)

Qui regeneratur, quod necessario tentationes subiturus sit (n. 3696, 8403).

Quoniam tentationes fiunt propter conjunctionem boni et veri, tum propter conjunctionem interni et externi hominis (n. 4248, 4272, 5772[? 5773]).

[XIV.]

DE TENTATIONE.

187. SOLUM qui regenerantur tentationes spirituales subeunt; nam tentationes spirituales sunt dolores mentis apud illos qui in bonis et veris sunt, inductae a spiritibus malis; hi dum excitant mala quae apud illos, oritur anxietas quae tentationis: homo nescit unde venit, quia nescit hanc originem.

188. Sunt enim apud unumquemvis hominem spiritus mali et spiritus boni; spiritus mali sunt in ejus malis, et spiritus boni in ejus bonis. Spiritus mali cum prope veniunt, educunt ejus mala, ac spiritus boni vicissim ejus bona; inde collisio et pugna, ex quibus homini anxietas interior, quae est tentatio. Inde patet quod tentationes inducantur ab inferno, et non e caelo; quod etiam ab ecclesiae fide est, quae est quod Deus neminem tentet.

189. Sunt quoque anxietates interiores apud illos qui non in bonis et veris sunt, sed anxietates naturales, non autem spirituales: dignoscuntur per id, quod anxietates naturales pro objecto habeant mundana, sed anxietates spirituales caelestia.

190. In tentationibus agitur de dominio boni super malum, aut mali super bonum. Malum, quod dominari vult, est in naturali seu externo homine, et bonum in spirituali seu interno. Si malum vincit, tunc naturalis homo dominatur; si bonum vincit, tunc spiritualis homo.

191. Pugnae illae fiunt per vera fidei quae ex Verbo: ex illis pugnabit homo contra mala et falsa; si ex aliis quam ex illis, non vincit, quia non in aliis est Dominus. Quia pugna fit per vera fidei, idcirco homo non prius in pugnam illam admittitur quam cum in veri et boni cognitionibus est, et inde aliquam vitam spiritualem adeptus

est; quapropter pugnae illae non prius apud hominem existunt quam cum is aetate adolevit.

192. Si homo succumbit, fit status ejus post tentationem pejor statu ejus ante illam, quippe malum tunc acquisivit sibi potentiam super bonum, et falsum super verum.

193. Quoniam hodie fides rara est quia non charitas, est enim ecclesia in suo fine, idcirco pauci hodie in aliquas tentationes spirituales admittuntur: inde est, quod vix sciatur quid sunt et ad quid conducunt.

194. Tentationes conducunt ad acquirendum dominium bono super malum ac vero super falsum; tum ad confirmanda vera, et ad conjungenda illa bonis, et simul ad discutienda mala et inde falsa: conducunt etiam ad aperiendum internum spiritualem hominem, et ad ei subjiciendum naturalem; tum quoque ad infringendum amores sui et mundi, et ad domandum concupiscentias quae inde sunt. Quibus factis, homini fit illustratio et perceptio quid verum et bonum, et quid falsum et malum; inde fit homini intelligentia et sapientia, quae postea indies crescunt.

195. Solus Dominus pro homine pugnat in tentationibus: si homo non credit quod Dominus solus pugnet pro illo et vincit pro illo, tunc tentationem modo externam subit, quae ei non conducit.

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.)

196. Antequam summatim traditur quid in *Arcanis Caelestibus* de tentationibus scriptum est, aliquid praefandum est de illis, ut clarius adhuc sciatur undenam sunt. Tentatio spiritualis dicitur, cum intus in homine impugnantur vera fidei, quae homo corde credit, et secundum quae vivere amat; imprimis cum impugnatur bonum amoris, in quo ponit vitam spiritualem. Impugnationes illae fiunt variis modis; per influxum scandalorum in cogitationes et quoque in voluntatem, contra vera et bona; tum per emersionem et recordationem continuam malorum quae homo fecerat, et falsorum quae cogitaverat, ita per inundationem talium; et simul tunc per apparentem interclusionem interiorum mentis, et sic communicationis cum caelo, per quod ei intercipitur cogitare ex sua fide, ac velle ex suo amore. Haec fiunt a malis spiritibus qui apud hominem; et cum fiunt, apparent sub specie anxietatum interiorum, ac dolorum conscientiae, quoniam talia afficiunt et cruciant vitam hominis spiritualem, credente homine quod non sit a malis spiritibus, sed ex se in interioribus. Quod homo non sciat quod [1]illa sint ex malis spiri-

tibus, est causa, quia non scit quod spiritus sint apud illum, mali in malis ejus et boni in bonis ejus, et quod sint in ejus cogitationibus et affectionibus. Tentationes illae gravissimae sunt, quando conjunctae sunt cum doloribus inflictis corpori; et magis si dolores illi diu persistunt et ingravescunt, ac imploratur Divina Misericordia, et usque non liberatio: inde desperatio quae finis.

Hic primum aliqua ex *Arcanis Caelestibus* afferenda sunt *De Spiritibus apud Hominem*, quia ab illis tentationes:—

Quod apud unumquemvis hominem sint spiritus et angeli (n. 697, 5846–5866).

Quod sint in ejus cogitationibus et affectionibus (n. 2888, 5846, 5848).

Quod si auferrentur spiritus et angeli, homo non vivere [1]posset (n. 2887, 5849, 5854, 5993, 6321).

Quia homini per spiritus et angelos est communicatio et conjunctio cum mundo spirituali, sine qua non foret vita homini (n. 697, 2796, 2886, 2887, 4047, 4048, 5846–5866, 5976–5993).

Quod spiritus apud hominem mutentur secundum ejus affectiones quae amoris (n. 5851).

Quod spiritus ab inferno sint in amoribus propriis hominis (n. 5852, 5979–5993).

Quod spiritus intrent in omnia memoriae hominis (n. 5853, 5857, 5859, 5860, 6192, 6193, 6198, 6199).

Quod angeli in fines, ex quibus et propter quos homo ita non aliter cogitat, vult, agit (n. 1317, 1645, 5844[? 5845]).

Quod homo non appareat spiritibus, sicut nec spiritus homini (n. 5885[? 5862]).

Inde quod spiritus nihil possint videre quod est in mundo nostro solari per hominem (n. 1880).

Quod tametsi spiritus et angeli sunt apud hominem in ejus cogitationibus et affectionibus, usque tamen homo in libero sit cogitandi, volendi, et agendi (n. 5982, 6477, 8209, 8307, 10777).

(Et praeterea in opere *De Caelo et Inferno*, ubi agitur De Conjunctione Caeli cum Humano Genere, n. 291–302.)

197. *Tentationes unde et quales.*

Quod Tentationes existant a malis spiritibus qui apud hominem, ac injiciunt scandala contra bona et vera quae homo amat et credit, et quoque excitant mala quae fecerat, et falsa quae cogitaverat (n. 741, 751, 761, 3927, 4307, 4572, 5036, 6657, 8960).

Quod mali spiritus tunc omni astu et malitia utantur (n. 6666).

Quod homo qui in tentationibus, juxta infernum sit (n. 8131).

Quod in tentationibus binae vires agant, vis a Domino ab interiori, et vis ab inferno ab exteriori, et quod homo sit in medio (n. 8168).

Quod in tentationibus impugnetur amor regnans hominis (n. 847, 4274).

Quod mali spiritus aggrediantur solum illa quae sunt fidei et amoris hominis, ita quae sunt ipsius vitae ejus spiritualis, quare tunc de vita ejus aeterna agitur (n. 1820).

Status tentationum comparatus cum statu hominis inter latrones (n. 5248[? 5246]).

Quod in tentationibus angeli a Domino teneant hominem in veris et bonis quae apud illum, mali autem spiritus in falsis et malis quae apud illum; inde conflictus et pugna (n. 4249).

Quod tentatio sit pugna inter hominem internum seu spiritualem et inter externum seu naturalem (n. 2183, 4256).

Ita inter jucunda interni et externi hominis, quae tunc sibi opposita sunt (n. 3928, 10351[? 8351]).

Quod existat propter discidium inter illa (n. 3928).

Ita quod agatur de dominio unius super alterum (n. 3928, 8961).

Quod nemo tentari possit, nisi sit in agnitione veri et boni, et in affectione illorum, quoniam alioqui non fit pugna, non enim est spirituale agens contra naturale, ita non de dominio (n. 3928, 4299).

Quod is tentetur qui aliquam vitam spiritualem nactus est (n. 8963).

Quod tentationes existant apud illos qui conscientiam habent, ita qui in amore spirituali sunt; graviores autem apud illos qui perceptionem, ita qui in amore caelesti sunt (n. 1668, 8963).

Quod mortui homines, hoc est, qui non in fide et amore in Deum et in amore erga proximum sunt, non admittantur in tentationes, quoniam succumberent (n. 270, 4274, 4299, 8964, 8968).

Quod ideo pauci hodie in tentationes spirituales (n. 8965).

Sed quod illis sint anxietates propter varias causas in mundo, quae fuerunt, quae sunt, et quae futura sunt; quae causae conjunctae solent esse cum infirmitate animi ac invalitudine corporis; quae non sunt anxietates tentationum (n. 762, 8164).

Quod tentationes spirituales conjunctae soleant esse cum doloribus corporis, et non conjunctae (n. 8164).

Quod status tentationum sit immundus et squalidus, quia injiciuntur mala et falsa, et quoque dubia de bonis et veris (n. 5246).

Tum quia in tentationibus sunt indignationes, dolores animi, et plures affectiones non bonae (n. 1917, 6829).

Quod etiam sit obscurum et dubium de fine (n. 1820, 6829).

Et quoque de Divina providentia et auditione; quoniam in tentationibus preces non ita audiuntur sicut extra illas (n. 8179).

Et quia homo, cum in tentatione est, sibi videatur in damnatione esse (n. 6097).

Causa quod ita sit, est, quia homo sentit clare quae in externo homine fiunt, ita quae mali spiritus injiciunt et evocant, secundum quae etiam homo de suo statu cogitat; non autem sentit quae in interno homine fiunt, ita quae per angelos a Domino influunt; ex quibus ideo nec de statu suo judicare potest (n. 10236, 10240).

Quod tentationes utplurimum perducantur ad desperationem, quae est ultimum illarum (n. 1787, 2694, 5279, 5280, 6144, 7147, 7155, 7166, 8165, 8567).

Causae (n. 2694).

Quod in ipsa tentatione etiam sint desperationes, sed quod desinant in communem (n. 8567).

Quod homo in desperatione loquatur acerba, sed quod ad illa a Domino non attendatur (n. 8165).

Peracta tentatione, quod primum sit fluctuatio inter verum et falsum (n. 848, 857).

Sed quod postea luceat verum, et fiat serenum et laetum (n. 3696, 4572, 6829, 8367, 8370).

Quod qui regenerantur, non semel sed pluries subeant tentationes, quoniam plura mala et falsa removenda sunt (n. 8403).

Quod qui aliquam vitam spiritualem adepti sunt, si in mundo non subeunt tentationes, in altera vita subeant (n. 7122).

Quomodo tentationes fiunt in altera vita, et ubinam (n. 537–539. 699, 1106–1113, 1122[?], 2694, 4728, 4940–4951, 6119, 6928, 7090, 7122, 7123[? 7127], 7186, 7317, 7474, 7502, 7541, 7542, 7545. 7768, 7990, 9331, 9763).

De statu illustrationis illorum qui e tentatione veniunt, et elevantur in caelum, et de receptione illorum ibi (n. 2699, 2701, 2704).

Tentatio per defectum veri, et desiderium veri tunc, qualis (n. 2682, 8352).

Tentatio infantum in altera vita, per quam discunt resistere malis, qualis (n. 2294).

Discrimen inter tentationes, infestationes, et vastationes, quale (n. 7474).

198. *Tentationes quomodo et quando.*

Quod pugnae spirituales imprimis fiant per vera fidei (n. 8962).

Quod verum sit primum pugnae (n. 1685).

Quod homines ecclesiae spiritualis tententur quoad vera fidei, quare illis est pugna per vera; at quod homines ecclesiae caelestis tententur quoad bona amoris, quare illis est pugna per bona (n. 1668, 8963).

Quod illi qui ab ecclesia spirituali sunt, utplurimum non pugnent ex veris genuinis, sed ex illis quae [1]credunt vera esse ex doctrinali suae ecclesiae; quod doctrinale usque tale esse debet ut conjungi queat bono (n. 6765).

Quod qui regeneratur tentationes subiturus sit, et quod absque illis regenerari nequeat (n. 5036, 5403[? 8403]).

Et quod tentationes ideo necessariae sint (n. 7090).

Quod homo qui regeneratur, tunc in tentationes veniat cum malum conatur dominari super bonum, ac naturalis homo super spiritualem (n. 6857[? 6657], 8961).

Et quod in illas veniat cum bonum debet agere primas (n. 4248, 4249, 4256, 8962, 8963).

Quod illi qui regenerantur, primum in statum tranquillitatis mittantur, dein in tentationes, et quod postea in statum tranquillitatis pacis redeant, qui est finis (n. 3696).

199. *Tentationes quid boni efficiunt.*

Quid tentationes efficiunt (*in summa*, n. 1692, 1717, 1740, 6144, 8958–8969).

Quod per tentationes acquiratur dominium spirituali seu interno homini super naturalem seu externum, consequenter bono super malum ac vero super falsum, quoniam in spirituali homine est bonum, nam absque eo non est, et in naturali malum (n. 8961).

Quoniam tentatio est pugna inter illa, inde agitur de dominio; nempe, num sit spirituali homini super naturalem, proinde num bono super malum, aut vicissim; proinde num sit Domino super hominem, vel num inferno (n. 1923, 3928).

Quod externus seu naturalis homo per tentationes recipiat vera correspondentia affectioni eorum in interno seu spirituali homine, (n. 3321, 3928).

Quod internus spiritualis homo per tentationes aperiatur, et conjungatur cum externo, ut homo quoad utrumque elevari possit, et spectare ad Dominum (n. 10865[? 10685]).

Causa quod internus spiritualis homo per tentationes et aperiatur et conjungatur cum externo, est quia Dominus ab interiori agit, ac influit inde in externum, ac removet ibi et subjugat mala, ac cum illis subjicit et subordinat eum interno (n. 10685).

Quod tentationes sint propter conjunctionem boni et veri, et propter discussionem falsorum adhaerentium veris et bonis (n. 4572).

Ita quod per tentationes conjungatur bonum veris (n. 2272).

Quod vasa recipientia veri per tentationes emolliantur, ac induant statum recipiendi bonum (n. 3318).

Quod vera et bona per tentationes confirmentur et implantentur, ita illa quae fidei et charitatis sunt (n. 8351, 8924, 8966, 8967).

Et quod mala et falsa removeantur, et sic locus detur bonis et veris (n. 7122).

Quod per tentationes infringantur amores sui et mundi, ex quibus omnia mala et falsa (n. 5356).

Et quod sic homo humilietur (n. 8966, 8967).

Quod mala et falsa per tentationes domentur, separentur, et removeantur, sed non aboleantur (n. 868).

Quod per tentationes domentur corporea, et eorum concupiscentiae (n. 857, 858[? 868]).

Quod homo per illas discat quid bonum et verum, etiam ex relatione ad opposita, quae sunt mala et falsa (n. 5356).

Quod etiam discat quod apud se non sit nisi quam malum; et quod omne bonum quod apud illum, sit a Domino, et ex Ipsius misericordia (n. 2334).

Quod homo per tentationes in quibus vincit, mali spiritus depriventur potentia ulterius contra illum agendi (n. 1695, 1717).

Quod inferna contra illos qui tentationes passi sunt et vicerunt, non ausint exsurgere (n. 2183, 8273).

Quod post tentationes, in quibus homo vicit, sit gaudium oriundum ex conjunctione boni et veri, tametsi homo nescit quod gaudium tunc inde sit (n. 4572, 6829).

Quod tunc illustratio veri quod fidei, et perceptio boni quod amoris (n. 8367, 8370).

Quod inde ei intelligentia et sapientia (n. 8966, 8967).

Quod vera post tentationes immensum crescant (n. 6663).

Et quod bonum primas agat, seu primo loco sit, ac verum secundo (n. 5773).

Et quod homo quoad internum spiritualem hominem in societates angelicas immittatur, ita in caelum (n. 6611).

Quod vera cum bonis, antequam homo subit tentationes, apud illum in ordinem disponantur a Domino, ut resisti possit malis et falsis quae apud illum ab inferno, et excitantur (n. 8131).

Quod Dominus in tentationibus prospiciat bonum, loco quod infernales spiritus intendant malum (n. 6574).

Quod Dominus vera cum bonis post tentationes in novum ordinem redigat, et disponat in formam caelestem (n. 10685).

(Quod interiora hominis spiritualis disposita sint in formam caelestem, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, et ibi in articulo, De Forma Caeli, secundum quam consociationes ibi, n. 200 et 212.)

Quod qui in tentationibus succumbunt in damnationem veniant, quia mala et falsa vincunt, et naturalis homo super spiritualem, ac postea dominatur, et quod tunc status posterior fiat pejor priori (n. 8165, 8169, 8961).

200. *Quod Dominus pugnet pro homine in tentationibus.*

Quod Dominus solus apud hominem in tentationibus pugnet, et homo nihil ex se (n. 1692, 8172, 8175, 8176, 8273).

Quod homo nequaquam ex se possit pugnare contra mala et falsa, quia id foret contra omnia inferna, quae domare et vincere nemo potest nisi solus Dominus (n. 1692).

Quod inferna pugnent contra hominem, et Dominus pro homine (n. 8159).

Quod homo pugnet ex veris et bonis, ita ex cognitionibus et affectionibus illorum, quae sunt apud illum; sed quod non homo, sed Dominus per illas (n. 1661).

Quod homo in tentationibus putet Dominum abesse, quia preces tunc non ita audiuntur prout extra illas, sed quod usque Dominus tunc praesentior sit (n. 840).

Quod homo in tentationibus quasi ex se pugnare debeat, et non remittere manus, et non exspectare immediatam opem; sed quod usque credet quod a Domino (n. 1712, 8179, 8969).

Quod homo aliter non recipere possit proprium caeleste (n. 1937, 1947, 2882, 2883, 2891).

Quale id proprium, quod non sit hominis sed Domini apud illum (n. 1937, 1947, 2882, 2883, 2891, 8497).

Quod tentatio non conducat, nec aliquid boni inferat, si homo non credat, usque post tentationes, quod Dominus pugnaverit et vicerit pro illo (n. 8969).

Qui meritum ponunt in operibus, quod non possint pugnare contra mala, quia pugnant ex proprio, et non permittunt Dominum pugnare pro illis (n. 9978).

Quod aegre salvari queant qui credunt se per tentationes meruisse caelum (n. 2273).

Quod Dominus non tentet, sed liberet, et inducat bonum (n. 2768).

Quod tentationes appareant sicut a Divino, cum tamen non sunt (n. 4299).

Quomodo intelligitur in Oratione Dominica, per, " Ne inducas nos in tentationes " (*ab experientia*, n. 1875).

Quod Dominus in tentationibus non concurrat permittendo, secundum ideam quam homo habet de permissione (n. 2768).

Quod in omni tentatione sit liberum, tametsi non ita apparet; sed quod id liberum sit interius apud hominem a Domino; et quod ideo pugnet et velit vincere, et non vinci, quod absque libero non faceret (n. 1937, 1947, 2881).

Quod Dominus per affectionem veri et boni impressam interno homini id faciat, inscio homine (n. 5044).

Nam omne liberum est affectionis seu amoris, et secundum quale ejus (n. 2870, 3158, 8907[? 8987], 8990, 9585, 9591).

201. *De Tentationibus Domini.*

Quod Dominus prae omnibus gravissimas et immanes tentationes sustinuerit, quae parum descriptae sunt in sensu litterae Verbi, sed multum in sensu interno (n. 1663, 1668, 1787, 2776, 2786, 2795, 2814, 9528).

Quod Dominus ex Divino Amore erga totum genus humanum, pugnaverit (n. 1690, 1691, 1812, 1813, 1820).

Quod Domini Amor fuerit salus generis humani (n. 1820).

Quod Dominus ex propria potentia pugnaverit (n. 1692, 1813, 9937).

Quod Dominus per tentationes et victorias ex propria potentia Justitia et Meritum factus sit solus (n. 1813, 2025–2027, 9715, 9809, 10019).

Quod Dominus per tentationes univerit ipsum Divinum, quod fuit in Se ex conceptione, Humano suo, et hoc fecerit Divinum; sicut hominem per tentationes facit spiritualem (n. 1725, 1729, 1733, 1737, 3318, 3381, 3382, 4286).

Quod Domini tentationes etiam in fine habuerint desperationem (n. 1787).

Quod Dominus per tentationes in Se admissas subjugaverit inferna, ac redegerit ibi et in caelis omnia in ordinem, et simul Humanum suum glorificaverit (n. 1737, 4287, 9397[? 9315], 9528, 9937).

Quod Dominus solus contra omnia inferna pugnaverit (n. 8273).

Quod inde in Se admiserit tentationes (n. 2816, 4295).

Quod Dominus non potuerit tentari quoad Divinum, quoniam inferna Divinum aggredi non possunt; quod ideo assumpserit humanum ex matre, tale quod tentari potuit (n. 1414, 1444, 1573, 5041, 5157, 7193, 9315).

Quod per tentationes et victorias expulerit omne hereditarium ex matre, et exuerit humanum ex illa, usque tandem ut amplius non filius ejus esset (n. 2159, 2574, 2649, 3036, 10829[? 10830]).

Quod Jehovah, qui in Ipso ex conceptione, in tentationibus apparuerit sicut absens (n. 1815).

Quod id fuerit status humiliationis Ipsius (n. 1785, 1999, 2159, 6866).

Quod ultima Ipsius tentatio et victoria fuerit in Gethsemane et in cruce, per quam plene subjugavit inferna, et Humanum suum Divinum fecit (n. 2776, 2803, 2813, 2814, 10655, 10659, 10829[? 10828]).

Quod "panem non edere et aquam non bibere quadraginta diebus" significet statum integrum tentationum (n. 10686).

Quod "quadraginta anni," "menses" aut "dies" significent statum tentationum plenarium a principio ad finem; et quod ille status significetur per durationem diluvii "quadraginta diebus;" per commorationem Mosis super Monte Sinai "quadraginta diebus;" per commorationem filiorum Israelis in deserto "quadraginta annis;" et per tentationes Domini in deserto "quadraginta diebus" (n. 730, 862, 2272, 2273, 8098).

[XV.]

DE BAPTISMO.

---

202. BAPTISMUS institutus est in signum quod homo sit ab ecclesia, et in memoriale quod regenerandus sit: lavatio enim Baptismi non aliud est quam lavatio spiritualis, quae est regeneratio.

203. Omnis regeneratio fit a Domino per vera fidei, et per vitam secundum illa: ideo Baptismus testatur quod homo sit ab ecclesia, et quod regenerari possit; nam in ecclesia agnoscitur Dominus qui regenerat, et ibi est Verbum, ubi vera fidei, per quae regeneratio.

204. Hoc docet Dominus apud *Johannem*,

> "Nisi quis generatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest ingredi in regnum Dei" (iii. 5);

"aqua" in spirituali sensu est verum fidei ex Verbo, "spiritus" est vita secundum illud, et "generari" est ex illis regenerari.

205. Quia omnis qui regeneratur etiam subit tentationes, quae sunt pugnae spirituales contra mala et falsa, ideo per aquas Baptismi etiam illae significantur.

206. Quia Baptismus est in signum et in memoriale illorum, ideo homo baptizari potest infans; et si non tunc, potest adultus.

207. Sciant itaque qui baptizati sunt, quod ipse Baptismus non det fidem, nec salutem; sed quod testetur quod recipiant fidem, et quod salventur, si regenerantur.

208. Inde constare potest quid intelligitur per Domini verba apud *Marcum*,

> "Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvabitur; qui vero non crediderit, condemnabitur" (xvi. 16);

"qui crediderit," est qui agnoscit Dominum, ac recipit Divina vera ab Ipso per Verbum; "qui baptizatus fuerit," est qui per illa a Domino regeneratur.

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.)

209. Quod Baptismus significet regenerationem a Domino per vera fidei ex Verbo (n. 4255, 5120, 9089[? 9088], 10239, 10386–10388, 10392).

Quod Baptismus sit in signum quod homo sit ab ecclesia, ubi agnoscitur Dominus a quo regeneratio, et ubi est Verbum ex quo vera fidei per quae regeneratio (n. 10386–10388).

Quod Baptismus non det fidem nec salutem, sed quod testetur quod recepturi qui regenerantur (n. 10391).

Quod lavationes in Ecclesiis Antiquis, et in Ecclesia Israelitica, repraesentaverint et inde significaverint purificationes a malis et falsis (n. 3147, 9089[? 9088], 10237, 10239).

Quod "lavationes vestium" significaverint purificationem intellectus a falsis (n. 5954).

Quod "lavatio pedum" significaverit purificationem naturalis hominis (n. 3147, 10241).

Explicatur quid significatur per "lavationem pedum discipulorum" a Domino (n. 10243).

Quod "aquae" significent vera fidei (n. 28, 2702, 3058, 5668, 8568, 10238).

Quod "fons" et "puteus aquarum vivarum" significet vera fidei a Domino, ita Verbum (n. 3424).

Quod "panis" et "aqua" significent omnia bona amoris et vera fidei (n. 4976, 9323).

Quod "spiritus" significet vitam veri, seu vitam fidei (n. 5222, 9281, 9818).

Quid "spiritus" et "caro;" quod "spiritus" significet vitam a Domino, et "caro" vitam ab homine (n. 10283).

Inde patet quid significatur per haec Domini verba,

> "Nisi quis generatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest ingredi in regnum Dei" [(*Joh.* iii. 5)];

quod nempe nisi quis regeneratus fuerit per vera fidei et per vitam secundum illa, non possit salvari (n. 10240).

Quod omnis regeneratio fiat per vera fidei, et per vitam secundum illa (n. 1904, 2046, 9088, 9959, 10028).

Quod lavatio totalis, quae fiebat per immersionem in aquas Jordanis, significaverit ipsam regenerationem, similiter ac Baptismus (n. 9089[? 9088], 10239).

Quid significaverunt "aquae Jordanis," et quid "Jordanes" (n. 1585, 4255).

Quod "diluvium" et "inundatio aquarum" significent tentationes (n. 660, 705, 739, 756, 790, 5725, 6853).

Similiter "Baptismus" (n. 5120, 10389).

Quomodo repraesentatus est Baptismus e caelo (n. 2299).

[XVI.]

DE SANCTA CENA.

---

210. SANCTA Cena a Domino instituta est, ut per illam sit conjunctio ecclesiae cum caelo, ita cum Domino: ideo illa est sanctissimum cultus.

211. Sed quomodo per illam fit conjunctio, non capiunt qui non sciunt aliquid de sensu interno seu spirituali Verbi, nam illi non ultra sensum externum, qui est sensus litterae, cogitant. Ex sensu interno seu spirituali Verbi scitur quid significat "corpus" et "sanguis," et quid "panis" et "vinum," tum quid "manducatio."

212. In illo sensu "corpus" aut "caro" Domini est bonum amoris, similiter "panis;" ac "sanguis" Domini est bonum fidei, similiter "vinum;" ac "manducatio" est appropriatio et conjunctio. Angeli, qui sunt apud hominem qui obit Sacramentum Cenae, non aliter intelligunt illa, spiritualiter enim percipiunt omnia; inde est quod sanctum amoris et sanctum fidei influat tunc ab angelis apud hominem, ita per caelum a Domino; inde conjunctio.

213. Ex his patet quod homo cum sumit panem, qui est corpus, conjungatur Domino per bonum amoris in Ipsum ab Ipso; et cum sumit vinum, quod est sanguis, conjungatur Domino per bonum fidei in Ipsum ab Ipso. Sed sciendum est quod conjunctio cum Domino per Sacramentum Cenae fiat solum apud illos qui in bono amoris et fidei in Dominum a Domino sunt: apud hos per Sanctam Cenam est conjunctio; apud ceteros est praesentia et non conjunctio.

214. Praeterea Sancta Cena includit et comprehendit omnem cultum Divinum institutum in Ecclesia Israelitica; holocausta enim et sacrificia, in quibus cultus illius ecclesiae principaliter constabat, una voce dicta fuerunt "panis:" inde etiam Sancta Cena est ejus complementum.

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.)

Quia non sciri potest quid Sancta Cena involvit, nisi sciatur quid singula ibi significant, nam illa correspondent spiritualibus, ideo afferendum est quid significat "corpus" et "caro," quid "panis," quid "vinum," quid "edere" et "bibere;" tum de sacrificiis, in quibus cultus Ecclesiae Israeliticae praecipue constabat, quod illa dicta fuerint "panis."

215. *De Cena.*

Quod "prandia" et "cenae" significaverint consociationem per amorem (n. 3596, 3832, 4745, 5161, 7996).

Quod "cena paschalis" significaverit consociationem in caelo (n. 7836, 7997, 8001).

Quod "festum azymorum" seu "paschatis" significaverit liberationem a damnatione a Domino (n. 7093, 7867, 9286–9292, 10655): in intimo sensu recordationem glorificationis Humani Domini, quoniam inde liberatio (n. 10655).

216. *De Corpore et Carne.*

Quod "caro" Domini significet Divinum Bonum Divini Amoris Ipsius, quod est Divini Humani Ipsius (n. 3813, 7850, 9127, 10283).

Quod similiter "corpus" (n. 2343, 2359[? 3735], 6135).

Quod "caro" in genere significet voluntarium ita proprium hominis, quod in se spectatum est malum; sed quod vivificatum a Domino significet bonum (n. 148, 149, 780, 999, 3813, 8409, 10283).

Quod inde "caro" in Verbo sit totus homo et omnis homo (n. 574, 1050, 10283).

Dicitur hic et in sequentibus quod significent, ex causa quia correspondent; quicquid enim correspondet, hoc significat (n. 2890[? 2896], 2971[? 2179], 2987, 2989, 3002, 3225).

Quod Verbum per meras correspondentias conscriptum sit, et quod inde sensus ejus internus seu spiritualis; qui absque scientia correspondentiarum non sciri potest quid est, et vix quod sit (n. 3131, 3472–3485, 8615, 10657[? 10687]).

Quod ideo per Verbum conjunctio caeli sit cum homine ecclesiae (n. 10687).

(Plura de his videantur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 303–310; ubi, De Conjunctione Caeli cum Homine Ecclesiae per Verbum, agitur.)

217. *De Sanguine.*

Quod "sanguis" Domini significet Divinum Verum procedens a Divino Bono Divini Amoris Ipsius (n. 4735, 4978[? 6978], 7317, 7326, 7846, 7850, 7877, 9127, 9393, 10026, 10033, 10152, 10204[? 10210]).

Quod "sanguis" sparsus super altare circumcirca et ad fundamentum significaverit unitionem Divini Veri et Divini Boni in Domino (n. 10047).

Quod "sanguis uvarum" significet verum fidei ex bono charitatis (n. 6378).

Quod "uva" et "botrus" significet bonum spirituale, quod est bonum charitatis (n. 5117).

Quod "effundere sanguinem" sit violentiam inferre Divino Vero (n. 374, 1005, 4735, 5476, 9127).

Quid significatur per quod ex latere Domini exiverit "sanguis et aqua" (n. 9127).

Quid per quod Dominus redemerit hominem per "sanguinem suum" (n. 10152).

218. *De Pane.*

Quod "panis," ubi de Domino, significet Divinum Bonum Divini Amoris Domini, et reciprocum hominis qui edit (n. 2165, 2177, 3478, 3735, 3813, 4211, 4217, 4735, 4976, 9323, 9545).

Quod "panis" involvat et significet omnem cibum in genere (n. 2165, 6118).

Quod "cibus" significet omne quod nutrit vitam spiritualem hominis (n. 4976, 5147, 5915, 6277, 8418).

Ita "panis" omnem cibum caelestem et spiritualem (n. 276, 680, 2165, 2177, 3478, 6118, 8410).

Sic "omne quod exit ex ore Dei," secundum Domini verba, *Matth.* iv. 4 (n. 681).

Quod "panis" in genere significet bonum amoris (n. 2165, 2177, 10686): simile "triticum," ex quo panis (n. 3941, 7605).

Ubi in Verbo dicitur "panis et aqua," quod significetur bonum amoris et verum fidei (n. 9323).

Frangere panem, quod fuerit repraesentativum mutui amoris in ecclesiis antiquis (n. 5405).

Quod cibus spiritualis sit scientia, intelligentia et sapientia; ita bonum et verum, quia ex his illae (n. 3114, 4459, 4792, 5147, 5293, 5340, 5342, 5410, 5426, 5576, 5582, 5588, 5656[? 5655], 8562, 9003).

Et quia nutriunt mentem (n. 4459, 5293, 5576, 6277, 8418).

Sustentatio per cibum, quod sit nutritio spiritualis, ac influxus boni et veri a Domino (n. 4976, 5915, 6277).

Quod "panes" super mensa in tabernaculo significaverint Divinum Bonum Divini Amoris Domini (n. 3478, 9545).

Quod "minchae" in sacrificiis, quae erant placentae et lagana, significaverint cultum ex bono amoris (n. 4581, 10079, 10137).

Quid "minchae" variae in specie significaverunt (n. 7978, 9992–9994, 10079).

(Quod antiqui, cum dixerunt "panem," intellexerint omnem cibum in genere, videatur

Genes. xliii. 16, 31: *Exod.* xviii. 12: *Judic.* xiii. 15, 16: 1 *Sam.* xiv. 28, 29; cap. xx. 24, 27: 2 *Sam.* ix. 7, 10: 1 *Reg.* iv. 22, 23: 2 *Reg.* xxv. 29.)

219. *De Vino.*

Quod "vinum," ubi de Domino, significet Divinum Verum procedens ex Divino Bono Ipsius, simile ac "sanguis" (n. 1071, 1798, 6377).

Quod "vinum" in genere significet bonum charitatis (n. 6377).

Quod "mustum" significet verum ex bono in naturali homine (n. 3580).

Quod vinum dictum sit "sanguis uvarum" (n. 6378).
Quod "vinea" significet ecclesiam quoad verum (n. 3220, 9139).
Quod "libamen" in sacrificiis, quod erat vinum, significaverit bonum spirituale, quod est sanctum verum (n. 1072).
Quod Dominus solus sit sanctus; inde quod omne sanctum sit ab Ipso (n. 9229, 9680, 10359, 10360).
Quod Divinum Verum procedens a Domino sit quod in Verbo vocatur "sanctum" (n. 6788, 8302, 9229, 9820, 10361).

220. *De Edere et Bibere.*

Quod "edere" significet appropriari et conjungi per amorem et charitatem (n. 2187, 2343, 3168, 3513, 5643).
Quod inde significet consociari (n. 8001).
Quod "edere" dicatur de appropriatione et conjunctione boni, ac "bibere" de appropriatione et conjunctione veri (n. 3168, 3513, 3832, 9412).
Quid significat "comedere et bibere in regno Domini" (n. 3832).
Inde est quod "famem habere" et "esurire" in Verbo significet ex affectione desiderare bonum et verum (n. 4958, 10227).

Quod angeli illa quae nunc dicta sunt, non aliter intelligant quam secundum sensum internum seu spiritualem, quia in spirituali mundo sunt (n. 10121[? 10521]).
Quod inde sanctum e caelo influat apud homines ecclesiae, cum sancte obeunt Sacramentum Cenae (n. 6789).
Et quod inde conjunctio Domini (n. 1519[? 10519], 3464, 3735, 5915, 10521, 10522).

221. *De Sacrificiis.*

Quod "holocausta" et "sacrificia" significaverint omnia cultus ex bono amoris et veris fidei (n. 923, 6905, 8680, 8936, 10042).
Quod "holocausta" et "sacrificia" significaverint Divina caelestia, quae sunt interna ecclesiae ex quibus cultus (n. 2180, 2805, 2807, 2830, 3519): cum variatione et discrimine secundum varia cultus (n. 2805, 6905, 8936).
Quod ideo plura genera sacrificiorum fuerint, et illorum varii processus, et quoque variae bestiae, ex quibus (n. 2830, 9939[? 9391], 9990).
Varia, quae in genere significaverunt, quod constare [1]possint ex singulis per sensum internum evolutis (n. 10042).
Quid "bestiae" quae sacrificabantur, in specie significaverunt (n. 10042).
Quod in ritualibus et processualibus sacrificiorum contineantur arcana caeli (n. 10057).
Quod in genere contineantur arcana glorificationis Humani Domini; ac in sensu respectivo arcana regenerationis et purificationis hominis a malis et falsis; quapropter erant pro variis peccatis, reatibus, et purificationibus (n. 9990, 10022, 10042, 10053, 10057).
Quid significatum est per quod "imponerent manus" super bestias quae sacrificabantur (n. 10023).
Quid per quod in holocaustis "inferiora mactatarum bestiarum ponerentur sub superioribus earum" (n. 10051).
Quid per "minchas," quae tunc etiam adolebantur (n. 10079).

Quid per "libamen" (n. 4581, 10137).

Quid per "sal," quod etiam adhibebatur (n. 10300).

Quid per "altare," et omnia ejus (n. 921, 2777, 2784, 2811, 2812, 4489, 4541, 8935, 8940, 9388, 9389, 9714, 9726, 9963, 9964, 10028, 10123, 10151, 10242, 10245, 10344).

Quid per "ignem altaris" (n. 934, 6314, 6832).

Quid per "comessationem ex sanctificatis" (n. 2187, 8682).

Quod sacrificia non mandata fuerint, sed charitas et fides: ita quod modo permissa (*ostensum ex Verbo*, n. 922, 2180).

Cur permissa (n. 2180, 2818).

Quod holocausta et sacrificia, quae fiebant ex agnis, capris, ovibus, haedis, hircis, juvencis, bobus, una voce dicta fuerint "panis," constare potest ex his locis:—

> Illa "adolebit sacerdos super altari, panis igniti Jehovae" (*Levit.* iii. 11, 16);
> Filii Aharonis "sancti erunt Deo suo, neque profanabunt nomen Dei sui, quia ignita Jehovae, panem Dei sui, illi offerentes. . . . . Sanctificabis illum, quia panem Dei tui ille offerens. . . . . Vir de semine" Aharonis, "in quo fuerit macula, non accedet ad offerendum panem Dei sui" (*Levit.* xxi. 6, 8, 17, 21);
> "Praecipe filiis Israelis, et dicas ad eos, Oblationem meam, panem meum, in ignita odoris quietis observabitis, ut offeratis Mihi in stato tempore suo" (*Num.* xxviii. 2);
> Qui tetigerit immundum non comedet de sanctificatis; sed lavabit . . carnem suam in aqua, ..." et postea comedet de santificatis, quia panis ejus hoc" (*Levit.* xxii. 6, 7);
> "Qui offerunt super altari meo panem pollutum" (*Malach.* i, 7).

Inde nunc est, quod supra (n. 214) dictum sit, nempe, "Sancta Cena includit et comprehendit omnem cultum Divinum institutum in Ecclesia Israelitica; holocausta enim et sacrificia, in quibus cultus illius ecclesiae principaliter constabat, una voce dicta fuerunt 'panis;' inde etiam Sancta Cena est ejus complementum."

Ex omnibus his nunc videri potest quid per "panem" intelligitur apud *Johannem*:—

> "Dixit . . illis Jesus, Amen, amen dico vobis, non Moses dedit" illis "panem e caelo, sed Pater meus dat vobis panem e caelo verum; panis namque Dei est qui descendit e caelo, et vitam dat mundo. Dixerunt . . Illi, . . . Domine, semper da nobis panem hunc. Dixit . . illis Jesus, Ego sum panis vitae; qui venit ad Me, non esuriet, et qui credit in Me, non sitiet unquam. . . . . Qui credit in Me, habet vitam aeternam. Ego sum panis vitae. . . . . Hic est panis qui e caelo descendit, ut quis ex eo comedit non morietur. Ego sum panis vivens, qui e caelo descendit; si quis comederit ex hoc pane, vivet in aeternum" (vi. 31–35, 47–51).

Ex his et illis patet quod "panis" sit omne bonum quod procedit a Domino, nam Ipse Dominus est in suo bono: ita quod "panis et vinum" in Sancta Cena sint omnis cultus Domini ex bono amoris et fidei.

222. His adjicientur aliqua ex *Arcanis Caelestibus* (n. 9217[? 9127]):—

"Qui de sensu interno seu spirituali Verbi nihil novit, non aliter scit quam quod per 'carnem et sanguinem' in Verbo intelligatur caro et sanguis; sed in sensu interno seu spirituali non agitur de vita corporis, sed de vita animae hominis, hoc est, de vita spirituali ejus,

quam victurus est in aeternum: haec vita describitur in Verbo in sensu litterae per talia quae sunt vitae corporis, nempe per 'carnem' et 'sanguinem;' et quia vita spiritualis hominis subsistit per bonum amoris et verum fidei, ideo bonum amoris intelligitur per 'carnem,' et verum fidei per 'sanguinem,' in sensu interno Verbi: haec per 'carnem et sanguinem' intelliguntur in caelo; similiter per 'panem et vinum,' quoniam per 'panem' prorsus simile ibi intelligitur quod per 'carnem,' et per 'vinum' prorsus simile quod per 'sanguinem.' Sed illi qui non spirituales homines sunt, hoc non capiunt; maneant itaque in sua fide, modo credant quod in Sacra Cena ac in Verbo sanctum sit, quia a Domino. Sit quod non sciant ubi id sanctum; usque qui aliqua perceptione interiore pollent, expendant num caro per 'carnem,' et sanguis per 'sanguinem' intelligatur in his locis:—In *Apocalypsi*,

'Vidi angelum stantem in sole, qui clamavit voce magna, dicens omnibus avibus volantibus in medio caeli, . . Congregamini ad cenam magni Dei; ut comedatis carnes regum, et carnes chiliarchorum, et carnes fortium, et carnes equorum et sedentium super illis, et carnes omnium liberorum et servorum, parvorum et magnorum' (xix. 17, 18);

quis usquam haec intelliget, nisi sciat quid 'caro' in sensu interno significat, et nisi quid 'reges,' 'chiliarchi,' 'fortes,' 'equi,' 'sedentes super illis,' 'liberi' et 'servi?' Et apud *Ezechielem*,

'Sic dixit Dominus Jehovih, Dic omni avi caeli, omni bestiae agri, Congregamini et venite; congregate vos a circuitu super sacrificium meum, quod Ego sacrifico vobis, sacrificium magnum super montibus Israelis, ut comedatis carnem et bibatis sanguinem: carnem fortium comedetis, et sanguinem principum terrae bibetis, ... et comedetis adipem ad satietatem, et bibetis sanguinem usque ad ebrietatem, de sacrificio meo quod sacrificabo vobis; satiabimini super mensa mea, equo, et curru, forti, et omni viro belli: . . . sic dabo gloriam meam inter gentes' (xxxix. 17–21)."

(Agitur ibi de convocatione omnium ad regnum Domini, et in specie de instauratione ecclesiae apud gentes; et per "comedere carnem et bibere sanguinem," significatur appropriare sibi Divinum Bonum et Divinum Verum, ita sanctum quod procedit a Divino Humano Domini. Quis non videre potest quod non caro per "carnem" et sanguis per "sanguinem" ibi intelligatur? ut quod "carnem fortium comederent," "sanguinem principum terrae biberent," et quod "sanguinem biberent usque ad ebrietatem;" tum quod "satiarentur equo, curru, forti et omni viro belli." (Quid per "aves caeli" et "bestias agri" in sensu spirituali significatur, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 110, et in notis ibi *l* [*videatur editio princeps*].)

"Expendantur nunc haec, quae Dominus de sua carne et de suo sanguine dixit apud *Johannem*,

'Panis, quem Ego dabo, caro mea est . . . . . Amen, amen, dico vobis, nisi comederitis carnem Filii hominis, et biberetis Ipsius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui comedit meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo illum extremo die; nam caro mea est vere cibus, et sanguis meus est vere potus: qui comedit meam carnem, et bibit meum sanguinem, in Me manet, et Ego in illo. . . . . Hic panis est qui e caelo descendit' (vi. 50–58).

Quod 'caro' Domini sit Divinum Bonum, et 'sanguis' Divinum Ve-

rum, utrumque ab Ipso, constare potest ex eo, quod illa sint quae nutriunt vitam spiritualem hominis; inde dicitur, 'Caro mea est vere cibus, et sanguis meus est vere potus:' et quia homo per Divinum Bonum et Verum conjungitur Domino, ideo etiam dicitur, 'Qui comedit carnem meam et bibit sanguinem meum, habebit vitam aeternam; et ille in Me manet et Ego in illo.'"

Et supra in eo capite,

> "Ne operemini cibum qui perit, sed cibum qui manet in vitam aeternam" (vers. 27).

Quod "manere in Domino" sit esse in amore in Ipsum, Ipse Dominus docet apud *Johannem* (cap. xv. 2–12).

[XVII.]

DE RESURRECTIONE.

223. HOMO ita creatus est ut quoad internum suum non mori possit; nam credere potest in Deum, et quoque amare Deum, ac ita conjungi Deo fide et amore; et conjungi Deo est vivere in aeternum.

224. Hoc internum est apud omnem hominem qui nascitur; externum ejus est per quod efficit illa quae fidei et amoris sunt. Internum est quod vocatur spiritus, et externum quod vocatur corpus. Externum, quod vocatur corpus, accommodatum est usibus in mundo naturali; hoc rejicitur cum homo moritur: at internum, quod vocatur spiritus, accommodatum est usibus in mundo spirituali; hoc non moritur: hoc internum tunc est spiritus bonus et angelus, si homo in mundo bonus fuerat; at spiritus malus, si homo in mundo malus fuerat.

225. Spiritus hominis post mortem corporis apparet in mundo spirituali in forma humana, prorsus sicut in mundo; gaudet etiam facultate videndi, audiendi, loquendi, sentiendique sicut in mundo; et pollet omni facultate cogitandi, volendi, et faciendi, sicut in mundo; verbo, est homo quoad omnia et singula, praeter quod non crasso illo corpore, quo in mundo, circumdatus sit; id relinquit cum moritur, nec usquam reassumit.

226. Haec continuatio vitae est quae intelligitur per resurrectionem. Quod homines credant quod non prius resurrecturi sint quam ultimo judicio, quando etiam periturum omne aspectabile mundi, est quia non intellexerunt Verbum; et quia sensuales homines vitam ponunt in corpore, et credunt quod nisi hoc revicturum esset, actum foret de homine.

227. Vita hominis post mortem est vita amoris et vita fidei ejus; inde qualis ei amor fuerat et qualis fides, cum vixit in mundo, talis ei vita manet in aeternum: vita inferni est illis qui se et mundum super omnia amaverunt; et vita caeli illis qui Deum super omnia amaverunt, et proximum sicut se ipsum: hi sunt qui fidem habent, illi autem qui fidem non habent. Vita caeli est quae vocatur vita aeterna; et vita inferni est quae vocatur mors spiritualis.

228. Quod homo post mortem vivat, docet Verbum; ut,

Quod Deus non sit mortuorum Deus, sed viventium (*Matth.* xxii. 31);
Quod Lazarus post mortem in caelum sublatus sit, dives autem conjectus in infernum (*Luc.* xvi. 22, 23, seq.);
Quod Abrahamus, Isacus et Jacobus ibi sint (*Matth.* viii. 11; cap. xxii. 31, 32; *Luc.* xx. 37, 38);
Quod Jesus dixerit ad latronem, "Hodie Mecum eris in paradiso" (*Luc.* xxiii. 43).

---

229. Supersedetur hic aliquid ex *Arcanis Caelestibus* afferre, quoniam illa quae resurrectionem et vitam hominis post mortem concernunt, in opere *De Caelo et Inferno* plene ostensum sunt. Videantur itaque in eo opere sequentes articuli:—

(i.) *Quod unusquisque Homo sit Spiritus quoad interiora sua* (n. 432–444).
(ii.) *De Hominis Resuscitatione a Mortuis, ac Introitu in Vitam aeternam* (n. 445–452).
(iii.) *Quod Homo post mortem sit in perfecta Forma Humana* (n. 453–460).
(iv.) *Quod Homo post mortem sit in omni Sensu, Memoria, Cogitatione, Affectione, in quibus in mundo; et quod nihil relinquat praeter terrestre suum Corpus* (n. 461–469).
(v.) *Quod Homo sit post mortem, qualis ejus Vita fuit in Mundo* (n. 470–484).
(vi.) *Quod Jucunda Vitae* [1]*cujusvis vertantur in correspondentia* (n. 485–490).
(vii.) *De Primo Statu Hominis post mortem* (n. 491–498).
(viii.) *De Secundo Statu Hominis post mortem* (n. 499–511).
(ix.) *De Tertio Statu Hominis post mortem, qui est Status Instructionis eorum qui veniunt in Caelum* (n. 512–520).
(x.) *Quod Caelum et Infernum sint ex Humano Genere* (n. 311–317).

De ultimo judicio (de quo etiam dictum est supra, n. 226), quod non exstiturum sit cum interitu mundi, videatur in opusculo *De Ultimo Judicio et Babylonia destructa*, a principio ad finem.

[XVIII.]

DE CAELO ET INFERNO.

230. SUNT duo quae faciunt vitam spiritus hominis,—amor et fides; amor vitam voluntatis ejus, et fides vitam intellectus ejus. Amor boni et inde fides veri faciunt vitam caeli; ac amor mali et inde fides falsi faciunt vitam inferni.

231. Amor in Dominum et amor erga proximum faciunt caelum, et quoque fides, sed haec quantum ex illis amoribus vitam habet; et quia uterque ille amor et inde fides sunt a Domino, inde patet quod Dominus faciat caelum.

232. Caelum est apud unumquemvis secundum receptionem amoris et fidei a Domino; et qui caelum a Domino recipiunt dum vivunt in mundo, in caelum veniunt post mortem.

233. Qui caelum a Domino recipiunt, illi sunt qui caelum in se habent, nam caelum est in homine; quod etiam Dominus docet,

> "Non dicent, Regnum Dei ecce hic est, aut ecce illic; ecce enim regnum Dei in vobis est" (*Luc.* xvii. 21).

234. Caelum apud hominem est in interno ejus, ita in velle et cogitare ex amore et fide, et inde in externo, quod est ex amore et fide facere et loqui: non autem est in externo absque interno; nam facere bene et loqui bene possunt omnes hypocritae, at non velle bene et cogitare bene.

235. Cum homo in alteram vitam venit, quod fit statim post mortem, patet num in eo caelum sit; non autem cum in mundo vivit: in mundo enim apparet externum, et non internum, at in altera vita patet internum, quoniam homo tunc quoad spiritum vivit.

236. Felicitas aeterna, quae etiam gaudium caeleste vocatur, est illis qui in amore et fide in Dominum a Domino sunt; ille amor et illa fides in se habent id gaudium: in id venit homo post mortem, qui caelum in se habet; interea reconditum latet in interno ejus. In caelis est communio omnium bonorum; pax, intelligentia, sapientia, et felicitas omnium communicantur unicuivis ibi, attamen singulis secundum receptionem amoris et fidei a Domino: inde patet quanta pax, intelligentia, sapientia, et felicitas in caelo est.

237. Quemadmodum amor in Dominum et amor erga proximum faciunt vitam caeli apud hominem, ita amor sui et amor mundi, quando regnant, faciunt vitam inferni apud illum, nam hi amores illis oppositi sunt: quapropter illi apud quos amores sui et mundi regnant, nihil possunt recipere e caelo, sed quae recipiunt sunt ex inferno; quicquid enim homo amat et quicquid credit, vel e caelo est vel ex inferno est.

238. Illi apud quos amor sui et amor mundi regnant, non sciunt quid caelum et quid felicitas caeli, et incredibile illis apparet quod felicitas in aliis amoribus detur quam in illis; cum tamen tantum intrat felicitas caeli, quantum illi amores ut fines removentur: felicitas, quae illis remotis succedit, est tanta ut excedat omnem captum hominis.

239. Vita hominis non mutari potest post mortem; manet tunc qualis fuerat; nam spiritus hominis totus quantus est qualis ejus amor, et amor infernalis non transcribi potest in amorem caelestem, quoniam oppositi sunt. Hoc intelligitur per Abrahami verba ad divitem in inferno,

> "Hiatus magnus est..inter vos et nos, ut illi qui volunt transire ad vos non possint, neque etiam istinc transire ad nos" (*Luc.* xvi. 26).

Inde patet quod qui in infernum veniunt, ibi maneant in aeternum; et qui in caelum veniunt, ibi maneant in aeternum.

---

240. Quoniam de Caelo et Inferno in singulari opere actum est, et ibi quoque adducta sunt quae in *Arcanis Caelestibus* de illis continentur, ideo non opus est hic plura addere.

[XIX.]

DE ECCLESIA.

---

241. QUOD apud hominem facit caelum, hoc etiam facit ecclesiam; nam sicut amor et fides faciunt caelum, ita etiam amor et fides faciunt ecclesiam: inde ex illis quae de caelo prius dicta sunt, patet quid ecclesia.

242. Ecclesia dicitur, ubi Dominus agnoscitur et ubi Verbum est; nam essentialia ecclesiae sunt amor et fides in Dominum a Domino, et Verbum docet quomodo homo victurus est ut amorem et fidem recipiat a Domino.

243. Ut ecclesia sit, erit doctrina ex Verbo, quoniam absque doctrina non intelligitur Verbum; ast sola doctrina non facit ecclesiam apud hominem, sed vita secundum illam. Inde sequitur quod non fides sola faciat ecclesiam, sed vita fidei quae est charitas. Genuina doctrina est doctrina charitatis et simul fidei, et non doctrina fidei absque illa: nam doctrina charitatis et simul fidei, est doctrina vitae; non autem doctrina fidei absque doctrina charitatis.

244. Illi qui extra ecclesiam sunt, et agnoscunt unum Deum, et secundum religiosum suum in quadam charitate erga proximum vivunt, in communione sunt cum illis qui ab ecclesia; quoniam nemo qui credit in Deum et bene vivit, damnatur: inde patet quod ecclesia Domini sit ubivis in universo terrarum orbe, tametsi in specie ubi Dominus agnoscitur, et ubi Verbum est.

245. Omnis apud quem ecclesia est, salvatur; at omnis apud quem non ecclesia est, condemnatur.

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.)

246. Quod ecclesia in specie sit ubi Verbum, et per id Dominus notus, ita ubi Divina vera sunt revelata (n. 3857, 10761).

At usque quod ideo non ab ecclesia sint qui nati ubi Verbum est et Dominus notus, sed qui per vera ex Verbo a Domino regeneran-

tur, qui sunt qui vivunt vitam charitatis (n. 6637, 10143, 10153, 10578, 10645, 10829).

Qui ab ecclesia sunt, seu in quibus ecclesia, illi in affectione veri sunt propter verum; hoc est, amant verum quia est verum: illi etiam explorant ex Verbo num vera sunt doctrinalia ecclesiae in qua nati (n. 5432, 6047).

Alioqui foret cuivis verum ex alio, et ex natali solo (n. 6047).

Quod ecclesia Domini sit apud omnes qui in universo orbe in bono vivunt secundum religiosum suum (n. 3263, 6637, 10765).

Quod omnes qui in bono vivunt, ubicunque sunt, et agnoscunt unum Deum, acceptentur a Domino, et in caelum veniant; quoniam omnes qui in bono sunt, agnoscunt Dominum, ex causa quia bonum est a Domino, et Dominus est in bono (n. 2589–2604, 2861, 2863, 3263, 4190, 4197, 6700, 9256).

Quod ecclesia universalis in terris sit coram Domino sicut unus homo (n. 7395[? 7396], 9276).

Similiter ac caelum, quia ecclesia est caelum seu regnum Domini in terris (n. 2853, 2996, 2998, 3624–3649[? 3629], 3636–3643, 3741–3745, 4625).

Sed quod ecclesia, ubi Dominus est notus et ubi Verbum est, sit sicut cor et sicut pulmo in homine, respective ad reliqua corporis, quae ex illis ut ex suae vitae fontibus vivunt (n. 637, 931, 2054, 2853).

Inde est, nisi foret ecclesia ubi Verbum et per id Dominus notus, [quod] non salvaretur genus humanum (n. 468, 637, 931, 4545, 10452).

Quod ecclesia sit fundamentum caeli (n. 4060).

Quod ecclesia sit interna et externa (n. 1242, 6587, 9375, 9680, 10762).

Quod ecclesiae internum sit amor in Dominum et charitas erga proximum; inde quod illi qui in affectione boni et veri sunt ex amore in Dominum et ex charitate erga proximum, ecclesiam internam constituant; et quod illi qui in cultu externo ex obedientia et fide sunt, ecclesiam externam constituant (n. 1083, 1098, 4288, 6380, 6587, 7840, 8762).

Quod scire verum et bonum et inde agere, sit externum ecclesiae; at velle et amare verum et bonum et inde agere, sit internum ecclesiae (n. 4899, 6775).

Quod internum ecclesiae sit in cultu eorum qui ab externa ecclesia sunt, tametsi in obscuro (n. 6775).

Quod ecclesia interna et externa unam ecclesiam faciant (n. 409, 10762).

Quod homini sit internum et externum, internum ad imaginem caeli, et externum ad imaginem mundi; et quod ideo, ut homo sit ecclesia, externum ejus unum aget cum interno (n. 3628, 4523, 4524, 6057, 6314, 9706, 10472).

Quod ecclesia sit in interno hominis et simul in externo; non autem in externo absque interno (n. 1795, 6581[? 6580], 10691).

Quod internum ecclesiae se habeat secundum vera et eorum quale, et secundum implantationem eorum in bono per vitam (n. 1238).

Quod ecclesia sicut caelum sit in homine, et sic quod ecclesia in communi sit ab hominibus in quibus ecclesia (n. 3884).

Ut ecclesia sit, erit doctrina vitae, quae est doctrina charitatis (n. 3445, 10763, 10764).

Quod charitas faciat ecclesiam, et non fides separata a charitate (n. 916).

Proinde non doctrina fidei separatae a charitate, sed doctrina fidei conjunctae cum illa, secundum quam vita (n. 809, 1798, 1799, 1834, 1844, 4468, 4672, 4676[? 4689], 4766, 5828[? 5826], 6637).

Quod non ecclesia apud hominem sit, nisi vera doctrinae implantata sint bono charitatis apud illum, ita vitae (n. 3310, 3963, 5826).

Quod nulla ecclesia apud hominem sit, si is modo in veris, quae vocantur fidei, est (n. 5826).

Quantum boni in ecclesia, si charitas primo loco foret, et fides secundo (n. 6269).

Et quantum mali si fides primo loco est (n. 6272).

Quod in ecclesiis antiquis charitas fuerit principale et essentiale ecclesiae (n. 4680).

Quod ecclesia foret sicut caelum, si omnibus charitas (n. 2385, 2853).

Si bonum foret character ecclesiae, et non verum absque bono, ita si charitas et non fides separata, quod ecclesia foret una, et nihil faceret quod quoad doctrinalia fidei et quoad externos cultus differrent (n. 1285, 1316, 2982, 3267, 3445, 3451).

Quod omnis ecclesia incohet a charitate, sed quod temporis tractu ab illa deflectat (n. 494, 501, 1327, 3773, 4649[? 4689]).

Et sic ad falsa ex malo, et tandem ad mala (n. 1834, 1835, 2910, 4683, 4689).

Comparatio ecclesiae incohantis et decrescentis cum hominis infantia et senectute (n. 10134).

Et quoque cum ortu et occasu solis (n. 1837).

De successivis statibus Ecclesiae Christianae usque ad extremum ejus; ubi explicantur illa quae Dominus praedixerat de "consummatione saeculi" et de "adventu" Ipsius, apud *Matthaeum* cap. xxiv. a principio ad finem (n. 3353–3356, 3486–3489, 3650–3655, 3751–3759[? 3757], 3897–3901, 4057–4060, 4229–4231, 4332–4335, 4422–4424, 4635–4638, 4807–4810, 4954–4959, 5063–5071).

Quod Ecclesia Christiana hodie in extremis sit, quoniam ibi non fides quia nulla charitas (n. 3489, 4649[? 4689]).

Quod ultimum judicium sit ultimum tempus ecclesiae (n. 2118, 3353, 4057, 4333, 4535).

De ecclesiae vastatione (n. 407–411).

Quod consummatio saeculi et adventus Domini sit ultimum tempus ecclesiae veteris et primum novae (n. 2243, 4535, 10622).

Quod interiora vera revelentur cum ecclesia vetus vastatur, inservitura novae quae tunc instauratur (n. 3398, 3786).

De instauratione ecclesiae apud gentes (n. 1366, 2986, 4747, 9256).

247. *De Ecclesiis Antiquis.*

Quod Prima et Antiquissima Ecclesia in hac tellure fuerit, quae describitur in primis capitibus *Geneseos*, et quod illa fuerit ecclesia caelestis, omnium praecipua (n. 607, 895, 920, 1121–1124, 2896, 4493, 8891, 9942, 10545).

Quales illi sunt in caelo (n. 1114–1125).

Quod in summa luce sint (n. 1116, 1117).

Quod variae ecclesiae fuerint post diluvium, quae una voce Ecclesia Antiqua vocantur (de quibus n. 1125–1127, 1327, 10355).

Antiqua Ecclesia per quot regna Asiae fuit extensa (n. 1238, 2385).

Quales fuerunt homines Antiquae Ecclesiae (n. 609, 865).

Quod Ecclesia Antiqua fuerit ecclesia repraesentativa, et quod ejus repraesentativa fuerint in unum collecta ab hominibus quibusdam Antiquissimae Ecclesiae (n. 519, 521, 2896).

Quod apud Antiquam Ecclesiam fuerit Verbum, sed quod id deperditum sit (n. 2897).

Qualis Antiqua Ecclesia cum caepit declinare (n. 1128).

Discrimen inter Ecclesiam Antiquissimam et Antiquam (n. 597, 607, 640, 641, 765, 784, 895, 4493).

Quod Antiquissima et Antiqua Ecclesia fuerint etiam in Terra Canaane, et quod inde repraesentativa locorum (n. 3686, 4447, 4454).

De ecclesia incohata ab Ebero, quae Ecclesia Hebraea dicta fuit (n. 1238, 1241, 1343, 4516, 4517).

Discrimen inter Ecclesiam Antiquam et Hebraeam (n. 1343, 4874).

Quod Eberus instituerit sacrificia in Antiquis Ecclesiis prorsus ignota (n. 1343).

Quod Antiquae Ecclesiae concordarent cum Christiana Ecclesia quoad interna, non autem quoad externa (n. 3478, 4489, 4772, 4904, 10149).

Quod in Antiquissima Ecclesia fuerit revelatio immediata, in Antiqua Ecclesia per correspondentias, in Ecclesia Judaica viva voce, et in Ecclesia Christiana per Verbum (n. 10355).

Quod Dominus fuerit Deus Antiquissimae Ecclesiae, et vocatus Jehovah (n. 1343, 6846).

Quod Dominus sit caelum et quod sit ecclesia (n. 4766, 10125, 10151, 10157).

(Quod Divinum Domini faciat caelum, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 7–12, et 78–86 : ita quoque ecclesiam, quoniam quod apud hominem facit caelum hoc quoque facit ecclesiam, supra in Doctrina.)

248. *De Ecclesia Judaica, et de Judaeis.*

Quod statuta, judicia et leges, quae mandata sunt in Ecclesia Judaica, fuerint quoad partem similia illis quae fuerunt in Ecclesia Antiqua (n. 4449, 4834[? 4835]).

Ritus repraesentativi Ecclesiae Judaicae qualiter differebant a ritibus repraesentativis Ecclesiae Antiquae (n. 4288, 10149).

Quod ecclesia repraesentativa apud illam gentem instituta fuerit, sed quod in ipsa gente nulla ecclesia fuerit (n. 4899, 4912, 6304).

Quod ideo quoad ipsam gentem fuerit repraesentativum ecclesiae, et non ecclesia (n. 4281, 4288, 4311, 4500, 6304, 7048, 9320, 10396, 10526, 10531[? 10535], 10698).

Quod gens Israelitica et Judaica non electa fuerit, sed recepta ut ecclesiam repraesentaret, ob contumaciam qua patres eorum et Moses institerunt (n. 4290, 4293, 7051, 7439, 10430, 10535, 10632).

Quod cultus eorum mere externus fuerit, absque omni cultu interno (n. 1200, 3147, 3479, 8871).

Quod prorsus non sciverint interna cultus, nec scire voluerint (n. 301–303, 3479, 4429, 4433, 4680, 4844, 4897[? 4847], 10396, 10401, 10407, 10694, 10701, 10707).

Quomodo considerant interna cultus, ecclesiae et Verbi (n. 4865).

Quod interiora eorum fuerint foeda, amoribus sui et mundi et avaritia plena (n. 3480, 9962, 10454–10457, 10462–10466, 10575).

Quod ideo illis non detecta fuerint interna ecclesiae, quoniam illa profanavissent (n. 2520, 3398, 3480, 4289).

Quod Verbum illis prorsus occlusum sit (n. 3769).

Quod videant Verbum ab extra et non ab intra (n. 10549–10551).

Quod ideo internum eorum, quando in cultu, occlusum fuerit (n. 8788, 8806, 9320, 9380, 9377, 9962, 10390[? 10396], 10401, 10407, 10492, 10498, 10500, 10575, 10629, 10692[? 10694]).

Quod etiam gens illa prae aliis talis fuerit, ut potuisset esse in sancto externo, occluso interno (n. 4293, 4311, 4903, 9373, 9377, 9381[? 9380]).

Status eorum tunc (n. 4311).

Quod quoque ideo usque ad hunc diem conservati sint (n. 3479).

Quod sanctum externum eorum a Domino miraculose elevatum sit in caelum, et sic interiora cultus, ecclesiae, et Verbi ibi percepta (n. 3480, 4309[? 4307], 4311, 6304, 8588, 10492, 10500, 10602).

Quod hoc ut fieret, per media externa coacti sint stricte observare ritus in externa forma (n. 3147, 4281, 10149).

Quia in sancto externo absque interno potuerunt esse, quod sancta ecclesiae et caeli repraesentare potuerint (n. 3479, 3881, 4208, 6306, 6588[? 8588], 9377, 10430, 10500, 10570).

Quod usque sancta illos non affecerint (n. 3479).

Quia nihil refert qualis persona est quae repraesentat, quoniam repraesentatio spectat rem, non autem personam (n. 665, 1097, 1361, 3147, 3881, 4208, 4281, 4288, 4292, 4307, 4444, 4500, 6304, 7048, 7539, 8388[? 8588], 8788, 8806).

Quod gens illa pejor aliis gentibus fuerit; describitur qualis, etiam ex Verbo utriusque Testamenti (n. 4314, 4316, 4317, 4444, 4503, 4750, 4751, 4815, 4820, 4832, 5057, 5998, 7248, 8819, 9320, 10454–10457, 10462–10466).

Quod tribus Jehudae abiverit in pejus quam reliquae tribus (n. 4815).

Quam crudeliter tractaverunt gentes ex jucundo (n. 5057, 7248, 9320).

Quod gens illa corde idololatra fuerit, ac prae aliis coluerit alios deos (n. 3732, 4208, 4444, 4825, 5998, 6877, 7401, 8301, 8871, 8882).

Quod etiam cultus eorum in ipsa gente spectatus fuerit idololatricus, quia externus absque interno (n. 4281, 4825, 8871, 8882).

Quod Jehovam modo quoad nomen coluerit (n. 6877, 10559, 10560, 10561, 10566).

Et solum propter miracula (n. 4299).

Quod erronee cogitent, qui credunt quod Judaei in fine ecclesiae convertendi sint, et reducendi in Terram Canaanem (n. 4847, 7051, 8301).

Plura loca e Verbo de illa re allata, quae tamen intelligenda sunt secundum sensum internum, ita aliter quam secundum litteram (n. 7051).

Quod Verbum quoad sensum externum propter illam gentem immutatum fuerit, non tamen quoad sensum internum (n. 10453, 10461, 10603, 10604).

Quod Jehovah in Monte Sinai apparuerit eis secundum quale eorum, in igne consumente, densa nube, et fumo sicut fornacis (n. 1861, 6832, 8814, 8819, 9434).

Quod Dominus appareat unicuivis secundum ejus quale; ut ignis vivificans et recreans illis qui in bono, ac ut ignis consumens illis qui in malo (n. 934, 1861, 6832, 8814, 8819, 9434, 10551).

Quod una ejus gentis origo sit ex Canaanitide, et quod binae reliquae ex scortatione cum nuru (n. 1167, 4817[? 4818], 4820, 4874, 4891[? 4899], 4913).

Quod per illas origines significatum sit qualis conjunctio illorum cum ecclesia esset, quod nempe sicut cum Canaanitide, et cum scortatione cum nuru (n. 4868, 4874, 4899, 4911, 4913).

De statu eorum in altera vita (n. 939, 940, 5057).

Quoniam gens illa, tametsi talis, repraesentabat ecclesiam, et quia Verbum apud illam et de illa conscriptum est, ideo Divina caelestia per nomina eorum significata sunt, ut per "Reubenem," "Schimeonem," "Levi," "Jehudam," "Ephraimum," "Josephum," et reliquos. Quod per "Jehudam" in sensu interno significetur Dominus quoad amorem caelestem ac regnum caeleste Ipsius (n. 3654, 3881, 5583, 5603, 5782, 6363).

Explicatur propheticum Israelis de Jehudah, in quo agitur de Domino, *Gen.* xlix. 8–12 (n. 6362–6382[? 6381]).

Quod "tribus Jehudae" et "Judaea" significet ecclesiam caelestem (n. 3654, 6364).

Quod duodecim tribus repraesentaverint et inde significaverint omnia amoris et fidei in complexu (n. 3858, 3926, 4060, 6335); ita quoque caelum et ecclesiam (n. 6337, 6637, 7836, 7891).

Quod significent secundum ordinem quo nominantur (n. 3862, 3926, 3939, 4603 seq., 6337, 6640).

Quod duodecim tribus divisae fuerint in duo regna, ut Judaei repraesentarent regnum caeleste, ac Israelitae regnum spirituale (n. 8770, 9320).

Quod per "semen Abrahami," "Isaci," et "Jacobi," significentur bona et vera ecclesiae (n. 3773[? 3373], 10445).

[XX.]

DE SCRIPTURA SACRA SIVE VERBO.

---

249. HOMO absque revelatione ex Divino, non scire aliquid potest de vita aeterna, ne quidem aliquid de Deo, et adhuc minus de amore et fide in Ipsum: nam homo nascitur in meram ignorantiam, et dein ex mundanis discet omnia, ex quibus formabit intellectum suum; nascitur etiam ex hereditario in omne malum, quod est ex amore sui et mundi; jucunda inde regnant jugiter, et suggerunt talia quae e diametro sunt contra Divinum. Inde nunc est quod homo nihil de vita aeterna sciat: ideo necessario erit revelatio, ex qua sciat.

250. Quod mala amoris sui et mundi inducant talem ignorantiam de illis quae sunt vitae aeternae, patet manifeste ab illis intra ecclesiam; qui tametsi sciunt ex revelatione quod Deus sit, quod caelum et infernum sint, quod vita aeterna sit, et quod illa vita comparanda sit per bonum amoris et fidei, usque labuntur in negationem de illis, tam eruditi quam non eruditi. Inde iterum patet quanta ignorantia foret si nulla esset revelatio.

251. Cum itaque homo post mortem vivit, et tunc in aeternum, et illum manet vita secundum ejus amorem et fidem, sequitur quod Divinum ex amore erga genus humanum revelaverit talia quae ducent ad illam vitam, et conducent saluti ejus. Quod Divinum revelavit est apud nos Verbum.

252. Verbum, quia est revelatio a Divino, est Divinum in omnibus et singulis; nam quod a Divino est, non potest aliter esse. Quod a Divino est, id descendit per caelos usque ad hominem; quapropter in caelis accommodatum est sapientiae angelorum qui ibi, et in terris accommodatum est captui hominum qui ibi: quare in Verbo est sensus internus, qui spiritualis, pro angelis; et sensus externus, qui

naturalis, pro hominibus: inde est quod conjunctio caeli cum homine sit per Verbum.

253. Genuinum sensum Verbi non intelligunt alii quam qui illustrati sunt; ac illustrantur illi solum, qui in amore et fide sunt in Dominum; illorum enim interiora elevantur a Domino in lucem caeli.

254. Verbum in littera non potest capi nisi per doctrinam ex Verbo per illustratum factam. Sensus litterae ejus accommodatus est captui hominum etiam simplicium; quare doctrina e Verbo erit illis pro lucerna.

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.)

255. *De Verbi Necessitate et Praestantia.*

Quod ex lumine Naturae nihil sciatur de Domino, de caelo et inferno, de vita hominis post mortem, et de Divinis veris per quae homini vita spiritualis et aeterna (n. 8944, 10318–10320).

Quod id constare possit ex eo,—quod plures, et inter eos eruditi, non credant illa, tametsi nati sunt ubi Verbum, et per id instructi de illis (n. 10319).

Quod ideo necessum fuerit ut aliqua revelatio esset e caelo, quia homo ad caelum natus est (n. 1775).

Quod ideo omni tempore fuerit revelatio (n. 2895).

De variis revelationis speciebus in hac tellure successive (n. 10355, 10632).

Quod antiquissimis, qui ante diluvium, quorum tempus vocatum est saeculum aureum, fuerit revelatio immediata, et inde Divinum Verum inscriptum cordibus eorum (n. 2896).

Quod in Antiquis Ecclesiis, quae fuerunt post diluvium, fuerit Verbum tam Historicum quam Propheticum (n. 2686, 2897; de quibus ecclesiis, videatur n. 247).

Quod historica ejus dicta fuerint *Bella Jehovae*, et prophetica *Enuntiata* (n. 2897).

Quod id Verbum fuerit simile nostro Verbo quoad inspirationem (n. 2897).

Quod id memoratum sit a Mose (n. 2686, 2897).

Sed quod id Verbum deperditum sit (n. 2897).

Quod etiam propheticae revelationes apud alios fuerint, sicut patet a propheticis Bileami (n. 2898).

Quod Verbum sit Divinum in omnibus et singulis (n. 639, 680, 10321, 10637).

Quod Verbum sit quoad omnem jotham et apicem Divinum et sanctum (*ab experientia*, n. 1349[? 9349]).

Quomodo explicatur hodie quod Verbum quoad omnem jotham sit inspiratum (n. 1886).

Quod ecclesia in specie sit ubi Verbum, et per id Dominus notus, ac Divina vera revelata (n. 3857, 10761).

At quod ideo non ab ecclesia sint qui nati ubi Verbum, et per id Dominus notus, sed qui per vera ex Verbo a Domino regenerantur;

qui sunt qui vivunt secundum vera ibi, ita qui vivunt vitam amoris et fidei (n. 6637, 10143, 10153, 10578, 10645, 10829).

256. *Quod Verbum non intelligatur quam ab Illustratis.*

Quod rationale humanum non capere possit Divina, ne quidem spiritualia nisi a Domino illustretur (n. 2196, 2203, 2209, 2654).

Ita quod modo illustrati capiant Verbum (n. 10323).

Quod Dominus, illis qui illustrantur, det intelligere verum, ac discernere illa quae in Verbo apparent sibi contradicere (n. 9382, 10659).

Quod Verbum in sensu litterae non sibi simile sit, et aliquoties appareat sibi contradicens (n. 9025).

Et quod ideo a non illustratis possit explicari et trahi ad confirmandum quamcunque opinionem et haeresin, et ad patrocinandum cuicunque amori mundano et corporeo (n. 4783, 10399, 10401[? 10400).

Quod illi ex Verbo illustrentur qui legunt illud ex amore veri et boni; non autem qui ex amore famae, lucri, honoris, ita ex amore sui (n. 9382, 10548–10550[? 10551]).

Quod illi illustrentur qui in bono vitae sunt, et inde in affectione veri (n. 8694).

Quod illustrentur quibus internum apertum est, ita qui quoad internum suum hominem possunt elevari in lucem caeli (n. 10401[? 10400], 10402, 10691, 10694).

Quod illustratio sit actualis aperitio, et quoque elevatio in lucem caeli (n. 10330).

Quod sanctum ab interno, hoc est, per internum a Domino, influat apud illos qui sanctum habent Verbum, illis nescientibus (n. 6789).

Quod illustrentur illi, et in Verbo videant vera, qui a Domino ducuntur; non autem qui a semet (n. 10638).

Quod illi a Domino ducantur qui amant verum quia est verum, qui sunt qui amant vivere secundum Divina vera (n. 10578, 10645, 10829).

Quod Verbum vivificetur apud hominem secundum ejus amoris et fidei vitam (n. 1776).

Quod illa quae a propria intelligentia sunt, non vitam in se habeant, quia a proprio hominis nihil bonum (n. 8941, 8944).

Quod non illustrari possint qui se multum confirmaverunt in doctrina falsa (n. 10640).

Quod intellectus sit qui illustratur (n. 6608, 9300).

Quoniam intellectus est recipiens veri (n. 6242[? 6222], 6608, 10659).

Quod de omni doctrinali ecclesiae sint ideae, secundum quas est intellectus rei (n. 3310, 3825).

Quod ideae hominis, quamdiu vivit in mundo, sint naturales, quia tunc cogitat in naturali; sed quod usque spirituales ideae in illis reconditae sint apud illos qui in affectione veri propter verum sunt (n. 10236[? 10237], 10240, 10550[? 10551]).

Quod absque ideis de quacunque re, nulla perceptio (n. 3825).

Quod ideae de rebus fidei aperiantur in altera vita, et ibi ab angelis videantur quales sunt (n. 1869, 3310, 5510, 6201[? 6200], 8885).

Quod ideo Verbum non intelligatur quam a rationali homine; nam credere aliquid absque idea rei, et absque rationis intuitione,

est modo memoriter retinere vocem omni vita perceptionis et affectionis destitutam, quod non est credere (n. 2553).

Quod sensus litteralis Verbi sit qui illustratur (n. 3619[? 3436], 9824, 9905, 10548).

257. *Quod Verbum nec intelligatur nisi per Doctrinam ex Verbo.*

Quod doctrina ecclesiae erit ex Verbo (n. 3464, 5402, 6832, 10763, 10765).

Quod Verbum absque doctrina non intelligatur (n. 9025, 9409, 9424, 9430, 10324, 10431, 10582).

Quod vera doctrina sit lucerna illis qui legunt Verbum (n. 10401[? 10400]).

Quod genuina doctrina erit ab illis qui in illustratione sunt a Domino (n. 2510, 2516, 2519, 2424[? 9424], 10105).

Quod Verbum per doctrinam ab illustrato factam intelligatur (n. 10324).

Quod qui in illustratione sunt, ex Verbo sibi faciant doctrinam (n. 9382, 10659).

Discrimen inter illos qui docent et discunt ex doctrina ecclesiae, et inter illos qui ex solo sensu litterae, quale (n. 9025).

Quod qui in sensu litterae absque doctrina sunt, in nullum intellectum veniant de veris Divinis (n. 9409, 9410, 10582).

Quod in plures errores cadant (n. 10431).

Quod qui in affectione veri propter verum sunt, cum adulti fiunt, et ex suo intellectu videre possunt, non simpliciter maneant in doctrinalibus suae ecclesiae; sed quod scrutentur num vera sint ex Verbo (n. 5402, 5432, 6047).

Quod alioqui foret cuivis verum ex alio, et ex natali solo, sive natus Judaeus sive Graecus (n. 6047).

Quod usque quae fidei facta sunt ex sensu litterali Verbi non exstinguenda sint, nisi post plenam intuitionem (n. 9039).

Quod vera doctrina ecclesiae sit doctrina charitatis et fidei (n. 2417, 4766, 10763, 10765[? 10764]).

Quod doctrina fidei non faciat ecclesiam, sed vita fidei quae est charitatis (n. 809, 1798, 1799, 1834, 4468, 4677[? 4672], 4766, 5826, 6637).

Quod doctrinalia nihil sint, nisi vivatur secundum illa (n. 1515, 2049, 2116).

Quod hodie in ecclesiis doctrina fidei sit, et non charitatis; et quod doctrina charitatis rejecta sit in scientiam, quae vocatur theologia moralis (n. 2417).

Quod ecclesia esset una, si agnoscerentur pro hominibus ecclesiae ex vita, ita ex charitate (n. 1285, 1316, 2982, 3267, 3445, 3451, 3452).

Quantum valet doctrina charitatis prae doctrina fidei separatae a charitate (n. 4844).

Quod in ignorantia de caelestibus sint qui non sciunt aliquid de charitate (n. 2435).

Qui modo habent doctrinam fidei et non simul charitatis, in quot errores labuntur (n. 2383[? 2388], 2417, 3146, 3325, 3412, 3413, 3416, 3773, 4672, 4730, 4783, 4925, 5351, 7623–7677[? 7627], 7752–7762, 7790, 8094, 8313, 8530, 8765, 9186, 9224, 10555).

Quod illi qui solum in doctrina fidei sunt, et non in vita fidei, quae est charitas, olim dicti fuerint praeputiati seu Philisthaei (n. 3412, 3413, 8093).

Quod apud antiquos fuerit doctrina amoris in Dominum et charitatis erga proximum, et quod doctrina fidei inserviverit ei (n. 2417, 3419, 4844, 4955).

Quod doctrina per illustratum facta postea per rationalia confirmari possit, et quod sic plenius intelligatur, et quod corroboretur (n. 2553, 2719, 2720, 3052, 3310, 6047: plura de hac re videantur supra, n. 51).

Quod illi qui in fide separata a charitate sunt, velint ut doctrinalia ecclesiae simpliciter credantur absque aliqua intuitione rationali (n. 3394).

Quod confirmare dogma non sapientis sit, sed videre num verum sit antequam confirmatur; et quod hoc fiat apud illos qui in illustratione sunt (n. 1017, 4741, 7012, 7680, 7950).

Quod lux confirmationis sit lux naturalis, non spiritualis, dabilis etiam apud malos (n. 8780).

Quod omnia etiam falsa confirmari possint, usque ut appareant sicut vera (n. 2482[? 2480], 2490, 5033, 6865, 8521).

258. *Quod in Verbo Sensus spiritualis sit qui vocatur Sensus internus.*

Quod nemo scire possit quid sensus internus Verbi, nisi sciat quid correspondentia (n. 2895, 4322).

Quod omnia et singula, usque ad singularissima, quae in naturali mundo sunt, correspondeant spiritualibus, et inde significent illa (n. 2890–2893[? 1886–1889], 2897[? 2987]–3003, 3213–3227).

Quod spiritualia, quibus correspondent naturalia, sub alia facie appareant in naturali, ut non internoscantur (n. 1887, 2396[? 2395], 8920).

Quod vix aliquis hodie sciat ubinam Divinum in Verbo, cum tamen in sensu ejus interno seu spirituali, qui hodie quod sit nescitur (n. 2980[? 2899], 4989).

Quod mysticum Verbi non aliud sit quam quod sensus ejus internus seu spiritualis continet, in quo agitur de Domino, de Ipsius regno, et de ecclesia, et non de naturalibus quae in mundo (n. 4923).

Quod prophetica plurimis in locis non intelligantur, et sic nullius usus sint, absque sensu interno (*ab exemplis*, n. 2608, 8020, 8398).

Sicut quid significatur per "equum album" in *Apocalypsi* (n. 2760, seq.).

Quid per "claves regni caelorum" Petro datas (praefat. ad cap. xxii. *Gen.*, n. 9410).

Quid per "carnem," "sanguinem," "panem" et "vinum" in Sancta Cena, et sic cur a Domino instituta est (n. 8682).

Quid per prophetica Jacobi de filiis suis (cap. xlix. *Gen.*, n. 6306, 6333–6465).

Quid per plura prophetica de Jehuda et Israele, quae non cum illa gente quadrant, nec coincidunt secundum sensum litterae (n. 6331[? 6333], 6361, 6415, 6438, 6444).

Praeter innumera alia (n. 2608).

De sensu interno seu spirituali Verbi in summa (n. 1767–1777, 1869–1879).

Quod in omnibus et singulis Verbi sit sensus internus (n. 1143, 1984, 2135, 2333, 2395, 2495, 2619).

Quod illa non appareant in sensu litterae, sed quod usque sint intus in eo (n. 4442).

259. *Quod Sensus internus imprimis sit pro Angelis, et quod quoque sit pro Hominibus.*

Ut sciatur quid sensus internus, qualis ille, et unde, dicendum hic est in summa:—Quod loquantur et cogitent aliter in caelo quam in mundo; in caelo spiritualiter, in mundo naturaliter: quapropter cum homo legit Verbum, quod angeli, qui apud hominem, percipiant illud spiritualiter, cum homines naturaliter: quod inde angeli in sensu interno sint, cum homines in externo: sed quod usque unum faciant per correspondentiam.

Quod Verbum aliter intelligatur ab angelis in caelis, quam ab hominibus in terris, et quod illis sit sensus internus seu spiritualis, his autem externus seu naturalis (n. 1887, 2396[? 2395]).

Quod angeli percipiant Verbum in sensu interno, et non in sensu externo (*ab experientia illorum qui mecum e caelo locuti sunt, cum legi Verbum*, n. 1769–1772).

Quod ideae et quoque loquelae angelicae sint spirituales, ideae autem et loquelae humanae naturales; quod ideo sensus internus qui spiritualis pro angelis sit (*illustratum ab experientia*, n. 2333).

Quod tamen sensus litterae Verbi inserviat ideis spiritualibus angelorum pro mediis, comparative sicut faciunt voces loquelae sensui rei apud hominem (n. 2143).

Quod illa quae sunt sensus interni Verbi cadant in talia quae sunt lucis caeli, ita in perceptionem angelicam (n. 2618, 2619, 2629, 3086).

Quod illa quae angeli e Verbo percipiunt, illis ideo pretiosa sint (n. 2540, 2541, 2545, 2551).

Quod angeli ne quidem unam vocem sensus litterae Verbi intelligant (n. 64, 65, 1434, 1929).

Quod nec sciant nomina personarum et locorum quae in Verbo (n. 1434, 1888, 4442, 4480).

Quod nomina non intrare possint in caelum, nec ibi enuntiari (n. 1876, 1888).

Quod omnia nomina in Verbo significent res, et quod in ideas rei vertantur in caelo (n. 768, 1888, 4310, 4442, 5225, 5287, 10329).

Quod etiam angeli cogitent abstracte a personis (n. 6613, 8343, 8985, 9007).

Quam elegans sensus internus Verbi, tametsi mera nomina (*ab exemplis e Verbo*, n. 1224, 1888, 2395).

Quod etiam plura nomina in serie in sensu interno unam rem exprimant (n. 5905[? 5095]).

Quod etiam omnes numeri in Verbo significent res (n. 482, 487, 647, 648, 755, 813, 1963, 1988, 2075, 2252, 3152[? 3252], 4264, 6175, 9488, 9659, 10217, 10253).

Quod spiritus etiam percipiant Verbum in sensu interno, prout interiora illorum in caelum aperta sunt (n. 1771).

Quod sensus litterae Verbi, qui naturalis, transmutetur momento in spiritualem apud angelos, quia est correspondentia (n. 5648).

Et hoc absque auditione et cognitione quid in sensu litterae seu externo (n. 10215).

Sic quod sensus litterae seu externus sit modo apud hominem, nec pergat ultra (n. 2015).

Quod sit sensus internus Verbi, et quoque sensus intimus seu supremus (*de quibus*, n. 9407, 10604, 10614, 10627).

Quod angeli spirituales, hoc est, qui e regno spirituali Domini sunt, percipiant Verbum in sensu interno: et quod angeli caelestes, hoc est, qui e regno caelesti Domini sunt, percipiant Verbum in sensu intimo (n. 2157, 2275).

Quod Verbum sit pro hominibus, et quoque pro angelis, utrisque accommodatum (n. 7381, 8862, 10322).

Quod Verbum sit uniens caeli et terrae (n. 2310, 2495, 9212, 9216, 9357).

Quod conjunctio caeli cum homine sit per Verbum (n. 9396, 9400, 9401, 10452).

Quod ideo Verbum dicatur "foedus" (n. 9396): quoniam "foedus" significat conjunctionem (n. 665, 666, 1023, 1038, 1864, 1996, 2003, 2021, 6804, 8767, 8778, 9396, 10632).

Quod sensus internus in Verbo sit, quia Verbum a Domino per tres caelos descenderat usque ad hominem (n. 2310, 6597).

Et quod sic accommodatum factum sit angelis trium caelorum, et quoque hominibus (n. 7381, 8862).

Quod inde sit quod Verbum Divinum sit (n. 2980[? 2989], 4989).

Et quod sit sanctum (n. 10276).

Et quod sit spirituale (n. 4480).

Et quod Verbum sit a Divino inspiratum (n. 9094).

Quod id sit inspiratio (n. 9094).

Quod etiam homo, qui regeneratus est, actualiter sit in sensu interno Verbi, tametsi id nescit, quoniam ei internus homo apertus est, cui perceptio spiritualis (n. 10401[? 10400]).

Sed quod apud illum spirituale Verbi influat in ideas naturales, ac ita naturaliter sistatur; quoniam, cum vivit in mundo, in naturali cogitat (n. 5614).

Quod inde lux veri apud illos qui illustrantur, sit ab interno eorum, hoc est, per internum a Domino (n. 10691, 10694).

Quod etiam per illam viam sanctum influat apud illos qui sanctum habent Verbum (n. 6789).

Quoniam homo regeneratus actualiter in sensu interno Verbi est, et id in sancto ejus, tametsi id nescit, quod ideo post mortem in illum ex se veniat, et quod non amplius sit in sensu litterae (n. 3226, 3342, 3343).

260. *Quod in Sensu interno seu spirituali innumerabilia Arcana sint.*

Quod Verbum in sensu interno innumerabilia contineat quae captum humanum excedunt (n. 3085, 3086).

Quod etiam inexplicabilia (n. 1965).

Quae solum repraesentantur angelis, et ab illis intelliguntur (n. 167).

Quod sensus internus Verbi contineat arcana caeli, quae concernunt Dominum, ac regnum Ipsius in caelis et in terris (n. 1–4, 937).

Quod arcana illa non appareant in sensu litterae (n. 937, 1502, 2161).

Quod plura, quae apud *Prophetas* sunt, appareant sicut sparsa, quae in sensu interno in pulchra serie continenter cohaerent (n. 7153, 9022).

Quod non unica vox, ne quidem unica jotha, abesse queat in Verbi sensu litterae, absque interruptione in sensu interno; et quod ideo ex Divina Providentia Domini Verbum tam integrum conservatum sit, ad omnem vocem et ad omnem apicem (n. 7933).

Quod innumerabilia insint singulis Verbi (n. 6637[? 6617], 6620, 8920).

Et unicuique voci (n. 1689[? 1869]).

Quod innumerabilia sint in Oratione Dominica, et in singulis ejus (n. 6619).

Et in praeceptis decalogi; in quorum tamen sensu externo aliqua talia sunt quae nota sunt unicuique genti absque revelatione (n. 8867, 8900).

Quod in Verbo imprimis Prophetico sint binae expressiones sicut ejusdem rei; sed quod una se referat ad bonum, altera ad verum, ita ad spirituale et ad caeleste (n. 683, 707, 2516, 8339).

Quod in Verbo vera et bona sint conjuncta mirabiliter, et quod illa conjunctio solum appareat ei qui scit sensum internum (n. 10554).

Et sic quod in Verbo et singulis ejus sit conjugium Divinum, et conjugium caeleste (n. 683, 793, 801, 2173, 2516, 2712, 5138, 7022).

Conjugium Divinum, quod est conjugium Divini Boni et Divini Veri, ita Dominus, in quo solo id conjugium (n. 3004, 3005, 3009, 4158[? 5138], 5194, 5502, 6343, 7945, 8339, 9263, 9314).

Quod per "Jesum" significetur Divinum Bonum, et per "Christum" Divinum Verum, et per utrumque conjugium Divinum in caelo, quod est conjugium Divini Boni et Divini Veri (n. 3004, 3005, 3009).

Quod hoc conjugium sit in singulis Verbi in sensu ejus interno, ita Dominus quoad Divinum Bonum et Divinum Verum (n. 5502).

Quod conjugium boni et veri a Domino in caelo et ecclesia sit quod vocatur conjugium caeleste (n. 2508, 2618, 2803, 3004, 3211, 3952, 6179).

Ita quod in eo respectu Verbum sit quasi caelum (n. 2173, 10126).

Quod caelum assimiletur conjugio in Verbo ex conjugio boni et veri ibi (n. 2758, 3132, 4434, 4834[? 4835]).

Quod sensus internus sit ipsa doctrina ecclesiae (n. 9025, 9430, 10401[? 10400]).

Quod qui intelligunt Verbum secundum sensum internum, illi sciant ipsam veram doctrinam ecclesiae, quia sensus internus illam continet (n. 9025, 9430, 10401[? 10400]).

Quod internum Verbi etiam sit internum ecclesiae, ut et internum cultus (n. 10460).

Quod Verbum sit doctrina amoris in Dominum et charitatis erga proximum (n. 3419, 3420).

Quod Verbum in littera sit sicut nubes, et quod in sensu interno sit gloria (praef. ad *Gen.* cap. xviii., n. 5922, 6343, ubi explicatur, quod "Dominus venturus sit in nubibus caeli cum gloria"). Quod etiam "nubes" in Verbo significet Verbum in sensu litterae, et "gloria" Verbum in sensu interno (praef. ad cap. xviii. *Gen.*, n. 4060, 4391, 5922, 6343, 6752, 8106, 8781, 9430, 10551, 10574).

Quod illa quae in sensu litterae sunt, ad illa quae in sensu interno, se [1]habeant sicut projectiones rudes circum cylindrum opticum politum, ex quibus tamen in cylindro sistitur pulchra imago hominis (n. 1871).

Repraesentati in altera vita illi qui solum sensum litterae Verbi volunt et agnoscunt, per vetulam deformem; qui autem simul sensum internum, per virginem decore amictam (n. 1774).

Quod Verbum in toto complexu sit imago caeli, quia Verbum est Divinum Verum, ac Divinum Verum facit caelum; et quia caelum refert unum hominem, quod Verbum sit in eo respectu sicut imago hominis (n. 1871).

(Quod caelum in uno complexu referat unum hominem, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 59–67: et quod Divinum Verum procedens a Domino faciat caelum, n. 126–140, 200–212.)

Quod Verbum pulchre et amoene sistatur coram angelis (n. 1767, 1768).

Quod sensus litterae sit quasi corpus, et quod sensus internus sit quasi anima illius corporis (n. 8943).

Quod inde vita Verbo sit ex sensu interno (n. 1405, 4857).

Quod Verbum sit purum in sensu interno, et quod ita non appareat in sensu litterae (n. 2362, 2396[? 2395]).

Quod illa quae in sensu litterae Verbi sunt, sancta sint ab internis (n. 10126, 10728).

Quod in historicis Verbi etiam sit sensus internus, sed intus in illis (n. 4989).

Ita quod historica Verbi aeque ac prophetica contineant arcana caeli (n. 755, 1659, 1709, 2310, 2333).

Quod angeli non historice percipiant illa, sed spiritualiter (n. 6884).

Quod arcana interiora, quae in historicis sunt, minus pateant homini quam in propheticis, causa (n. 2176, 6597).

Porro qualis sensus internus Verbi (*ostensum*, n. 1756, 1984, 2004, 2663, 3035, 7089, 10604, 10614).

Illustratum per comparationes (n. 1873).

261. *Quod Verbum conscriptum sit per Correspondentias, et sic per Repraesentativa.*

Quod Verbum quoad sensum litterae conscriptum sit per meras correspondentias, ita per talia quae repraesentant et significant spiritualia, quae sunt caeli et ecclesiae (n. 1404, 1408, 1409, 1540, 1619, 1659, 1709, 1783, 2179, 2763, 2899).

Quod hoc factum sit propter sensum internum in singulis (n. 2899).

Ita propter caelum, quoniam illi qui in caelo sunt Verbum non intelligunt secundum sensum litterae ejus, qui naturalis, sed secundum sensum internum, qui spiritualis (n. 2899).

Quod Dominus locutus sit per correspondentias, repraesentativa et significativa, quia a Divino (n. 9049[? 9048], 9063, 9086, 10126, 10728).

Quod Dominus sic locutus sit coram mundo et coram caelo (n. 2533, 4807, 9049[? 9048], 9063, 9086).

Quod illa quae Dominus locutus est, impleverint universum caelum (n. 4637).

Quod historica Verbi sint repraesentativa; verba, significativa (n. 1540, 1659, 1709, 1783, 2687[? 2686]).

Quod Verbum non alio stylo conscribi potuerit, ut per id communicatio et conjunctio cum caelis esset (n. 2899, 6943, 9481).

Quod valde errent qui Verbum propter stylum simplicem et rudem ad apparentiam contemnunt, et qui cogitant quod recepturi Verbum si alio stylo scriptum fuisset (n. 8783).

Quod etiam modus scribendi et stylus antiquissimis fuerit per repraesentativa et significativa (n. 605, 1756, 9942).

Quod sapientes antiqui delectati sint Verbo, quia ibi repraesentativa et significativa (*ab experientia*, n. 2592, 2593).

Si homo Antiquissimae Ecclesiae legisset Verbum, quod clare vidisset illa quae in sensu interno Verbi sunt, et obscure illa quae in sensu externo (n. 449[? 4493]).

Quod filii Jacobi in Terram Canaanem deducti sint, quia in illa terra omnia loca ab antiquissimis temporibus repraesentativa facta sunt (n. 1585, 3686, 4441[? 4447], 5136, 6516).

Et sic ut Verbum ibi conscriberetur, in quo loca nominanda erant propter sensum internum (n. 3686, 4447, 5136, 6516).

Sed quod usque Verbum quoad sensum externum immutatum sit propter illam gentem, non autem quoad sensum internum (n. 10453, 10461, 10603, 10604).

Ut sciatur quid sunt et quales sunt correspondentiae et qualia sunt repraesentativa in Verbo, ideo aliquid de illis quoque dicetur :—

Quod omnia quae correspondent etiam repraesentent, et inde significent, sic ut correspondentiae et repraesentationes unum sint (n. 2890[? 2896], 2897, 2971[? 2973], 2987, 2989, 2990, 3002, 3225).

Quid correspondentiae et repraesentationes (*ab experientia et ab exemplis*, n. 2703[? 2763], 2987–3002, 3213–3226, 3337–3352, 3472–3485, 4218–4228, 9280).

Quod scientia correspondentiarum et repraesentationum fuerit praecipua scientia apud antiquos (n. 3021, 3419, 4280, 4749[? 4748], 4844, 4964, 4965[? 4966], 6004, 7729, 10252).

Imprimis apud orientales (n. 5702, 6692, 7097, 7779, 9391, 10252, 10407).

Quod in Aegypto prae aliis (n. 5702, 6692, 7097, 7779, 9391, 10407).

Quod etiam apud gentiles, ut in Graecia et alibi (n. 2762, 7729).

Sed quod hodie inter scientias deperditas sit, imprimis in Europa (n. 2894, 2895, 2994, 3630, 3632, 3747–3749, 4581, 4966, 10252).

Quod usque illa scientia praestet omnibus scientiis, quoniam absque illa non intelligitur Verbum, nec quid significant ritus Ecclesiae Judaicae de quibus in Verbo, nec scitur quale caelum, nec quid spirituale, nec quomodo se habet cum influxu spirituali in naturale, et plura alia (n. 4280, et in locis supra citatis).

Quod omnia quae apud angelos èt spiritus apparent, sint repraesentativa secundum correspondentias talium quae sunt amoris et fidei (n. 1971, 3213–3226, 3457[? 3349], 3475, 3485, 9481, 9574, 9576, 9577).

Quod caeli sint pleni repraesentativis (n. 1521, 1532, 1619).

Quod repraesentativa eo pulchriora et perfectiora existant, quo interius in caelis (n. 3475).

Quod repraesentativa ibi sint apparentiae reales, quia a luce caeli, quae est Divinum Verum ; et hoc est ipsum essentiale existentiae omnium (n. 3485).

Causa quod omnia et singula, quae in spirituali mundo sunt, in naturali repraesententur, est quia internum se induit convenientibus in externo, per quae se visibile sistat et appareat (n. 6275, 6284, 6299).

Ita finis se induit convenientibus ut se sistat ut causa in inferiore sphaera, et dein ut se sistat ut effectus in adhuc inferiore; et cum finis per causam fit effectus, tunc fit visibilis seu coram oculis apparet (n. 5711).

Haec illustrata per influxum animae in corpus, quod nempe anima induatur talibus in corpore, per quae omnia quae cogitat et vult possunt apparere et visibiliter sisti; quare cogitatio cum defluit in corpus, repraesentatur per tales gestus et affectiones quae correspondent (n. 2988).

Manifeste affectiones, quae mentis sunt, repraesentantur in facie per varios ejus vultus, adeo ut ibi videantur (n. 4791–4805, 5695).

Inde patet quod in omnibus et singulis Naturae lateat interius causa et finis e spirituali mundo (n. 3562, 5711).

Quoniam illa quae in Natura sunt, ultimi effectus sunt, quibus insunt priora (n. 4240, 4939, 5051, 6275, 6284, 6299, 9216).

Quod interna sint quae repraesentantur, et externa quae repraesentant (n. 4292).

Quoniam omnia in Natura repraesentativa spiritualium et caelestium sunt, quod ideo antiquis temporibus ecclesiae fuerint in quibus omnia externa, quae erant ritualia, repraesentativa erant; ideo illae ecclesiae dictae fuerunt ecclesiae repraesentativae (n. 519, 521, 2896).

Quod ecclesia apud filios Israelis instituta fuerit ecclesia repraesentativa (n. 1003, 2179, 10149).

Quod omnia ritualia ibi fuerint externa quae repraesentaverunt interna, quae caeli et ecclesiae sunt (n. 4288, 4874).

Quod repraesentativa ecclesiae et cultus cessaverint cum Dominus in mundum venit, quia Dominus interna ecclesiae aperuit, et quia omnia ecclesiae externa in supremo sensu Ipsum spectaverunt (n. 4832).

262. *De Sensu Litterae seu Externo Verbi.*

Quod sensus litterae Verbi sit secundum apparentias in mundo (n. 584[? 589], 926, 1719[? 1408, 2719], 1720[? 1410, 2720], 1832, 1874, 2242, 2520, 2533).

Et ad captum simplicium (n. 2533, 9049[? 9048], 9063, 9086).

Quod Verbum in sensu litterae sit naturale (n. 8783).

Ex causa quia naturale est ultimum, in quod desinunt spiritualia et caelestia, et super quo sicut domus super suo fundamento subsistunt, et quod alioqui sensus internus absque externo foret sicut domus absque fundamento (n. 9360, 9430, 9433, 9824, 10044, 10436).

Quod Verbum, quia tale, sit continens sensus spiritualis et caelestis (n. 9407).

Et quia tale, quod sit sanctum Divinum in sensu litterae quoad omnia et singula ibi, usque ad unamquamque jotham (n. 639, 680, 1319[? 1869], 1870, 9198, 10321, 10637).

Quod leges pro filiis Israelis latae, tametsi abrogatae, usque sanctum Verbum sint, ob sensum internum in illis (n. 9210[? 9211], 9259, 9349).

Quod leges, judicia et statuta pro Ecclesia Israelitica et Judaica,

quae fuit ecclesia repraesentativa, sint quae adhuc in utroque sensu, externo et interno, valent, sint quae secundum sensum externum omnino custodienda sunt, sint quae possunt esse usui si libet, et sint quae prorsus abrogata (de quibus, n. 9349).

Quod Verbum Divinum sit etiam quoad illa quae abrogata sunt (n. 10637).

Quale Verbum in sensu litterae, si non intelligitur simul quoad sensum internum, seu quod idem, secundum veram doctrinam e Verbo (n. 10402).

Quod ex sensu litterae absque sensu interno, seu absque genuina doctrina ex Verbo, haereses immenso numero scaturiant (n. 10401 (? 10400]).

Quod illi qui in externo absque interno sunt, non sustineant interiora Verbi (n. 10694).

Quod Judaei tales fuerint, et quoque hodie sint (n. 301–303, 3479, 4429, 4433, 4680, 4844, 4847, 10396, 10401, 10407, 10694, 10701, 10707).

263. *Quod Dominus sit Verbum.*

Quod in sensu intimo Verbi agatur unice de Dominus, ac describantur omnes status glorificationis Humani Ipsius, hoc est, unionis cum ipso Divino, et quoque omnes status subjugationis infernorum, ac ordinationis omnium ibi et in caelis (n. 2249, 7014).

Ita quod in illo sensu describatur omnis vita Domini in mundo, et quod per id praesentia Domini continua sit apud angelos (n. 2523).

Proinde quod solus Dominus sit in intimo Verbi; et quod inde Divinum et sanctum Verbi sit (n. 1873, 9357).

Quod Dominus dixerit quod impleta sit Scriptura de Ipso, significet quod omnia quae in sensu intimo (n. 7933).

Quod Verbum significet Divinum Verum (n. 4692, 5075, 9987).

Quod Dominus sit Verbum quia est Divinum Verum (n. 2533).

Quod Dominus sit Verbum etiam quia Verbum est ab Ipso, et de Ipso (n. 2859).

Ac de solo Domino in sensu intimo, ita Ipse Dominus ibi (n. 1873, 9357).

Et quia in omnibus et singulis Verbi est conjugium Divini Boni et Divini Veri (n. 3004, 5502).

Quod "Jesus" sit Divinum Bonum, et "Christus" Divinum Verum (n. 3004, 3005, 3009).

Quod Divinum Verum sit unicum reale, et quod id in quo est, quod est ex Divino, sit unicum substantiale (n. 5272, 6880, 7004, 5200[? 8200]).

Et quia Divinum Verum procedens a Domino est lux in caelo, et Divinum Bonum est calor in caelo, et quia ex illis omnia ibi existunt, et quia per caelum seu per mundum spiritualem existit mundus naturalis, patet quod omnia quae creata sunt, ex Divino Vero, ita [1]ex Verbo, creata sint, secundum haec verba apud *Johannem*,

> "In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum:" .... et per illud omnia facta sunt quae facta. .... "Et Verbum caro factum est" [(i. 1, 3, 14):]

(n. 2803, 2884[? 2894], 5272, 7830[? 6880]).

(Porro de creatione omnium a Divino Vero, ita a Domino, videa-

tur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 137; et plenius ex binis articulis ibi, n. 116–125, et n. 126–140.)

Quod conjunctio Domini cum homine sit per Verbum, medio sensu interno (n. 10375).

Quod per omnia et singula Verbi sit conjunctio, et quod inde Verbum sit mirabile prae omni scripto (n. 10632–10634).

Quod Dominus, postquam Verbum conscriptum est, loquatur per id cum hominibus (n. 10290).

264. *De illis qui contra Verbum sunt.*

De illis qui contemnunt, subsannant, blasphemant, et profanant Verbum (n. 1878).

Quales illi in altera vita (n. 1761, 9222).

Quod referant viscosa sanguinis (n. 5719).

Quantum periculi a profanatione Verbi (n. 571–582).

Quantum nocet, si principia falsi, imprimis quae favent amori sui et mundi, confirmentur per Verbum (n. 589).

Qui in nulla affectione veri propter verum sunt, quod plane rejiciant sensum internum Verbi, et ad illum nauseent (*ab experientia*, n. 5702).

De quibusdam in altera vita qui rejecerunt interiora Verbi, quod rationalitate orbati sint (n. 1879).

265. *Plura de Verbo.*

Quod "verbum" in lingua Hebraea varia significet; nempe sermonem, cogitationem mentis, omnem rem quae realiter existit, tum aliquid (n. 9987).

Quod "Verbum" significet Divinum Verum et Dominum (n. 4692, 5075, 9987).

Quod "verba" significent vera (n. 4692, 5075).

Quod significent doctrinalia (n. 1288).

Quod "decem verba" significent omnia vera Divina (n. 10688).

Quod significent res quae realiter existunt (n. 1785, 5075, 5272).

Quod binae expressiones unius rei in Verbo, imprimis Prophetico, sint; et quod una se referat ad bonum, altera ad verum, quae sic conjunguntur (n. 683, 707, 5516[? 2516], 8339).

Quaenam expressio ad bonum se refert, et quaenam ad verum, quod non sciri queat nisi ex sensu interno Verbi, quoniam voces propriae sunt quibus exprimuntur illa quae boni sunt, et propriae quibus illa quae veri (n. 793, 801).

Et hoc usque ut noscatur solum ex praedicatione vocum, num de bono aut num de vero agitur (n. 2722).

Quod etiam quandoque una expressio involvat commune, et altera determinatum quid a communi (n. 2212).

Quod sit species reciprocationis in Verbo (*de qua*, n. 2240 fin.).

Quod pleraque in Verbo etiam sensum oppositum habeant (n. 4816).

Quod sensus internus praedicabiliter sequatur suum subjectum (n. 4502).

Quod qui delectati fuerunt Verbo, in altera vita accipiant calo-

rem caeli, cui inest amor caelestis, secundum quale et quantum delectationis ex amore (n. 1773).

266. *Libri Verbi quinam.*

Quod libri Verbi sint omnes qui sensum internum habent; qui autem non habent, quod non sint Verbum.

Quod libri Verbi in Veteri Testamento sint,—quinque *Libri Moses*, *Liber Josuae*, *Liber Judicum*, bini *Libri Samuelis*, bini *Libri Regum*, *Psalmi Davidis*, *Prophetae Esaias*, *Jeremias*, *Threni*, *Ezechiel*, *Daniel*, *Hoseas*, *Joel*, *Amos*, *Obadias*, *Jonas*, *Micha*, *Nahum*, *Habakuk*, *Zephanias*, *Haggai*, *Zacharias*, *Malachias*; et in Novo Testamento, quatuor *Evangelistae Matthaeus*, *Marcus*, *Lucas*, *Johannem*; et *Apocalypsis*. Reliqui non sensum internum habent (n. 10325).

[XXI.]

DE PROVIDENTIA.

---

267. REGIMEN Domini in caelis et in terris vocatur Providentia; et quia omne bonum quod amoris et omne verum quod fidei, ex quibus salus, est ab Ipso, et prorsus nihil ab homine, inde patet quod Divina providentia Domini sit in omnibus et singulis quae ad salutem generis humani conducunt. Hoc ita docet Dominus apud *Johannem*,

> "Ego sum via,..veritas, et vita" (xiv. 6);

et alibi,

> "Quemadmodum palmes non potest fructum ferre a se ipso nisi manserit in vite, ita [neque] vos, nisi in Me manseritis:....nisi a Me non potestis facere quicquam" (xv. 4, 5).

268. Providentia Divina Domini est quoad singularissima vitae hominis; nam non est nisi quam unicus vitae fons, qui est Dominus, a quo sumus, vivimus, et agimus.

269. Qui ex mundanis cogitant de providentia Divina, concludunt ex illis quod illa sit modo universalis, et quod singularia sint apud hominem; sed illi non sciunt arcana caeli, concludunt enim solum ex amoribus sui et mundi, et eorum voluptatibus: quare cum vident malos efferri ad honores et lucrari opes prae bonis, et quoque malis succedere secundum artes, corde suo dicunt quod non ita fieret si Divina providentia esset in omnibus et singulis; sed illi non considerant quod providentia Divina non spectet id quod brevi transit, et finem cum vita hominis in mundo habet, sed quod spectet id quod in aeternum manet, ita quod non finem habet. Quod non finem habet, id est; quod autem finem habet, id respective non est: cogitet qui potest, num centum millia annorum sint ali-

quid ad aeternum, et percipiet quod non sint; quid tunc aliqui anni vitae in mundo?

270. Qui rite expendit, scire potest quod eminentia et opulentia in mundo non sint reales benedictiones Divinae, tametsi homo ex suo volupi illas ita vocat, transeunt enim, et quoque seducunt multos, et avertunt a caelo; sed quod vita aeterna et ejus felicitas sint reales benedictiones quae a Divino. Haec etiam docet Dominus apud *Lucam*,

> "Facite vobis...thesaurum non deficientem in caelis, quo fur non pervenit, neque tinea corrumpit; ubi enim est thesaurus vester, ibi etiam cor vestrum erit" (xii. 33, 34).

271. Quod succedat malis secundum artes, est causa quia ex Divino ordine est ut quisque ex ratione agat quod agit, et quoque ex libero; quapropter nisi relictum foret homini agere secundum ejus rationem ex libero, et sic quoque artes, quae inde sunt, succederent, homo nullatenus posset disponi ad recipiendum vitam aeternam; haec enim insinuatur cum homo est in libero et ratio ejus illustratur: nemo namque cogi potest ad bonum, quia omne coactum non inhaeret, non enim est ipsius; id ipsius hominis fit quod ex libero secundum ejus rationem fit, et ex libero fit quod ex voluntate seu amore, ac voluntas seu amor est ipse homo: si cogeretur homo ad id quod non vult, inclinaret animo semper ad id quod vult; et praeterea quisque nititur ad vetitum, et hoc ex causa latente quia ad liberum. Inde patet quod nisi homo teneretur in libero, non ei provideri posset bonum.

272. Relinquere homini ex suo libero etiam cogitare, velle, et quantum non inhibent leges, facere malum, vocatur permittere.

273. Duci ad felicia in mundo per artes, apparet homini sicut sit ex propria prudentia; sed usque jugiter comitatur Divina providentia permittendo et continue abducendo a malo: at duci ad felicia in caelo, scitur et percipitur quod non sit ex propria prudentia, quia ex Domino, et fit ex Divina Ipsius providentia disponendo et continue ducendo ad bonum.

274. Quod ita sit, homo non capere potest ex Naturae lumine, nam ex illo non scit leges ordinis Divini.

275. Sciendum est quod sit providentia et praeviden-

tia ; bonum est quod a Domino providetur, malum autem est quod a Domino praevidetur : una cum altera erit ; nam quod ab homine venit non est nisi quam malum, at quod a Domino non est nisi quam bonum.

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.)

Quoniam omne bonum, quod providetur homini a Domino, influit, ideo quoque in sequentibus afferenda sunt ex *Arcanis Caelestibus* quae ibi de Influxu : et quia Dominus omnia providet secundum Divinum ordinem, ideo etiam afferenda sunt quae ibi de Ordine.

276. *De Providentia.*

Quod providentia sit regimen Domini in caelis et in terris (n. 10773).

Quod Dominus ex providentia regat omnia secundum ordinem, et sic quod regimen secundum ordinem sit providentia (n. 1755, 2447).

Et quod regat omnia vel ex voluntate, vel ex venia, vel ex permissione, ita in vario respectu secundum quale apud hominem (n. 1755, 2447, 3704, 9940).

Quod providentia invisibiliter agat (n. 5580[? 5508]).

Quod pleraque quae ex providentia fiunt, appareant homini sicut contingentia (n. 5508).

Quod providentia invisibiliter agat, est causa ne cogatur homo ex visibilibus credere, et sic ne liberum ejus laedatur; nam nisi homini liberum sit, non potest reformari, ita non salvari (n. 1937, 1947, 2876, 2881, 3854, 5508, 5982, 6477, 8209, 8907[? 8987], 9588, 10409, 10777).

Quod providentia Divina non spectet temporaria, quae brevi transeunt, sed aeterna (n. 5264, 8717, 10776; *illustratum*, n. 6491).

Qui hoc non capiunt, quod credant opulentiam et eminentiam in mundo esse unicas quae providentur, quas ideo vocant benedictiones a Divino; cum tamen illae non spectantur a Domino ut benedictiones, sed solum ut media ad vitam hominis in mundo, sed quod spectentur a Domino quae ad felicitatem aeternam hominis conducunt (n. 10409, 10776).

Quod qui in Divina Domini providentia sunt, in omnibus et singulis ferantur ad felicia in aeternum (n. 8478, 8480).

Quod hoc non cogitent nec capiant illi, qui omnia tribuunt Naturae et propriae prudentiae, et non aliquid Divino (n. 6484, 10409, 10775).

Quod Divina providentia Domini non sit sicut in mundo creditur, solum universalis, et quod particularia seu singularia sint prudentiae apud hominem (n. 8717, 10775).

Quod non detur universale nisi ex singularibus et cum illis, quoniam singularia simul sumpta dicuntur universale, prout particularia simul sumpta dicuntur commune (n. 1919, 6159, 6338, 6482–6484).

Quod tale sit universale, qualia sunt singularia ex quibus et una cum quibus (n. 918[? 917], 1040, 6483, 8858[? 8857]).

Quod Domini providentia sit universalis quia in singularissimis

(n. 1919, 2694, 4329, 5122, 5904, 6058, 6481–6486, 6490, 7004, 7007, 8717, 10074[? 10774]; *confirmatum e caelo*, n. 6486).

Nisi providentia Divina Domini foret universalis ex singularissimis et in singularissimis, quod nihil subsistere posset (n. 6338).

Quod per id omnia disposita sint in ordinem, et teneantur in ordine, in communi et in parte (n. 6338).

Quomodo comparative se habet cum rege in terra (n. 6482, 10800).

Quod propria prudentia hominis sit sicut paucus grumus in universo, at providentia Divina sicut ipsum universum respective (n. 6485).

Quod ita sit quod homines aegre capiant in mundo (n. 8717, 10775, 10780).

Quoniam plures fallaciae impugnant, et caecitatem inducunt (n. 6481).

De quodam in altera vita, qui crediderat ex confirmatione in mundo omnia propriae prudentiae esse, et nihil providentiae Divinae, quod illa quae apud eum apparuerint infernalia (n. 6484).

Providentia Domini circa mala, qualis (n. 6481, 6495, 6574, 10777, 10779).

Quod mala per leges permissionis regantur a Domino, et quod permittantur propter ordinem (n. 8700, 10778).

Permissio mali a Domino, quod non sit ut volentis; sed ut non volentis, at qui auxilium ferre non potest, urgente fine, qui est salvatio (n. 7877).

Relinquere homini ex suo libero cogitare et velle malum, et quantum non leges vetant, facere, quod sit permittere (n. 10778).

(Quod absque libero, ita absque illa permissione, homo non reformari, ita non salvari possit, videatur supra in Doctrina *De Libero*, n. 141–149.)

Quod Domino sit providentia et praevidentia, et quod una non sit absque altera (n. 5195, 6489).

Quod a Domino provideatur bonum et praevideatur malum (n. 5155, 5195, 6489, 10781).

Quod non sit praedestinatio seu fatum (n. 6487).

Quod omnes praedestinati sint ad caelum, et nullus ad infernum (n. 6488).

Quod non sit aliqua necessitas absoluta apud hominem ex providentia, sed quod sit plena libertas (*illustratum per comparationem*, n. 6487).

Quod per "electos" in Verbo intelligantur qui in vita boni et inde veri sunt (n. 3755, 3900, 5057, 5058).

Quomodo intelligendum est quod "Deus occurrere fecerit ad manum," *Exod.* xxi. 13 (n. 9010).

Quod fortuna, quae in multis in mundo apparet mirabilis, sit operatio Divinae providentiae in ultimo ordinis, secundum quale status hominis; et quod illa possit esse confirmationi quod Divina providentia sit in omnium singularissimis (n. 5049, 5179, 6493, 6494).

Quod sit ex mundo spirituali, et quod inde ejus variationes (*etiam ab experientia*, n. 5179, 6493, 6494).

277. *De Influxu.*

De influxu caeli in mundum, et de influxu animae in omnia corporis (*ab experientia*, n. 6053–6058, 6189–6215, 6307–6327, 6466–6495, 6598–6626).

Quod nihil existat a se, sed a priori se, ita omnia a Primo (n. 4523, 4524, 6040, 6056).

Quod omnia sicut exstiterunt etiam subsistant, quia subsistentia est perpetua existentia (n. 2886, 2888, 3627, 3628, 3648, 4523, 4524, 6040, 6056).

Quod secundum illum ordinem fiat influxus (n. 7270).

Inde patet quod a Primo Esse omnia perpetuo subsistant, quia ab Illo exstiterunt (n. 4523, 4524, 6040, 6056).

Quod omne vitae a Primo influat, quia inde est, ita a Domino (n. 3001, 3318, 3337, 3338, 3344, 3484, 3619[? 3628, 3629], 3741–3743, 4318–4320, 4417, 4524, 4882, 5847, 5986, 6325, 6468–6470, 6479, 9276, 10196).

Quod omne existere sit ab esse, et quod nihil possit existere, nisi in eo sit suum esse (n. 4523, 4524, 6040, 6056).

Quod omnia influant quae homo cogitat et quae vult (*ab experientia*, n. 904, 2886–2888, 4151, 4319, 4320, 5846, 5848, 6189, 6191, 6194, 6197–6199, 6213, 7147, 10219).

Quod homo possit intueri res, cogitare et analytice concludere, sit ex influxu (n. 1288[? 2888], 4319, 4320).

Quod homo non vivere possit uno momento, si ei auferatur influxus e mundo spirituali; et quod usque homo sit in libero (*ab experientia*, n. 2887, 5849, 5854, 6321).

Quod vita, quae influit a Domino, varietur secundum statum hominis, et secundum receptionem (n. 2069, 5986, 6472, 7343).

Quod apud malos bonum quod influit a Domino, vertatur in malum, ac verum in falsum (*ab experientia*, n. 3643, 4632).

Quod tantum recipiatur bonum et verum, quod continue influit a Domino, quantum non obstat malum et falsum (n. 2411, 3142, 3147, 5828).

Quod omne bonum influat a Domino, et omne malum ab inferno (n. 904, 4151).

Quod homo credat hodie omnia in se esse et ex se esse, cum tamen influunt, et hoc sciat ex doctrinali ecclesiae quod omne bonum sit ex caelo, et omne malum ex inferno (n. 4249, 6193, 6206).

At si crederet sicut res se habet, quod malum sibi non appropriaret; rejiceret enim id a se ad infernum, nec bonum faceret suum, et sic non inde aliquod meritum (n. 6206, 6324, 6325).

Quam felix homini status tunc, ab interiori enim videret et bonum et malum, a Domino (n. 6325).

Qui negant caelum, aut nihil de eo sciunt, quod nesciant quod aliquis influxus inde sit (n. 4322, 5649, 6193, 6479).

Quid influxus (*illustratum per comparationes*, n. 6128, 6180[? 6190], 9407).

Quod influxus spiritualis sit et non physicus, ita quod influxus sit e spirituali mundo in naturalem, et non e naturali in spiritualem (n. 3219, 5119, 5259, 5427, 5428, 5478[? 5477], 6322, 9110[? 9109], 9111[? 9110]).

Quod influxus sit per internum hominem in externum, et non vicissim (n. 1702, 1707, 1940, 1954, 5119, 5259, 5779, 6322, 9380).

Quia internus homo est in mundo spirituali, et externus in naturali (n. 978, 1015, 3628, 4459, 4523, 4524, 6057, 6309, 9701–9709, 10156, 10472).

Quod appareat sicut influxus sit ab externis in interna, quod sit fallacia (n. 3721).

Quod apud hominem influxus sit in ejus rationalia, et per haec in scientifica, et non vicissim (n. 1495, 1707, 1940).

Ordo influxus qualis (n. 775, 880, 1096, 1495, 7270).

Quod influxus sit immediatus a Domino, et quoque mediatus per mundum spiritualem seu caelum (n. 6063, 6307, 6472, 9682, 9683).

Quod influxus Domini immediatus sit in omnium singularissima (n. 6058, 6474–6478, 8717, 8728).

De mediato influxu Domini per caelum (n. 4067, 6982, 6985, 6996).

Quod fiat per spiritus et per angelos, qui adjunguntur homini (n. 697, 5846–5866).

Quod Dominus per angelos influat in fines, ex quibus et propter quos homo ita cogitat, vult et agit (n. 1317, 1645, 5844[? 5846], 5854): et quod in illa quae sunt conscientiae apud hominem (n. 6207, 6213).

Per spiritus autem in cogitationes et inde in res memoriae (n. 4186, 5864[? 5854], 5858, 6192, 6193, 6198, 6199, 6319).

Quod hoc ab homine difficulter credi possit (n. 6214).

Quod Dominus influat in prima et simul in ultima, seu in intima et simul in extrema, quomodo (n. 5147, 5150, 6473, 7004, 7007, 7270).

Quod influxus Domini sit in bonum apud hominem, et per bonum in verum, non autem vicissim (n. 5482, 5649, 6027, 8685, 8701, 10153).

Quod bonum det facultatem recipiendi influxum a Domino, non autem verum absque bono (n. 8321).

Quod nihil noceat quid intrat in cogitationem, sed [1]quid in voluntatem, quoniam hoc appropriatur homini (n. 6308).

Quod Divinum in supremis sit tacitum et pacificum, sed prout descendit versus inferiora apud hominem, quod fiat impacificum et tumultuosum, propter inordinata ibi (n. 8823).

Influxus Domini apud prophetas, qualis (n. 6212).

Quod influxus communis sit (*de quo*, n. 5850).

Quod ille sit continuus conatus agendi secundum ordinem (n. 6211).

Quod ille influxus sit in vitas animalium (n. 5850).

Et quoque in subjecta regni vegetabilis (n. 3648).

Quod etiam secundum influxum communem cadat cogitatio in loquelam, et voluntas in gestus, apud hominem (n. 5862, 5990, 6192, 6211).

278. *De Influxu Vitae apud Hominem in specie.*

Quod unica vita sit, e qua omnes tam in caelo quam in mundo vivunt (n. 1954, 2021, 2536, 2658, 2886–2889, 3001, 3484, 3742, 5847, 6467).

Quod illa vita sit a solo Domino (*illustratum variis*, n. 2886–2889, 3344, 3484, 4319, 4320, 4524, 4882, 5986, 6325, 6468–6470, 9276, 10196).

(Quod Dominus sit ipsa Vita, videatur *Johan.* i. 1, 4; cap. v. 26; cap. xiv. 6.)

Quod vita a Domino influat apud angelos, spiritus et homines, mirabili modo (n. 2886–2889, 3337, 3338, 3484, 3742).

Quod Dominus influat ex Divino suo Amore, qui talis est ut quod suum est velit esse alterius (n. 3742, 4320).

Quod omnis amor talis sit; ita infinite magis Divinus Amor (n. 1820, 1865, 2253, 6872).

Quod inde appareat vita sicut in homine, et non sicut influens (n. 3742, 4320).

Quod vita appareat sicut in homine, est quoque quia causa principalis quae est vita a Domino, et causa instrumentalis quae est forma recipiens, unam causam agunt, quae sentitur in instrumentali (n. 6325).

Quod praecipuum sapientiae et intelligentiae angelorum sit percipere et scire quod omne vitae sit a Domino (n. 4318).

De gaudio angelorum, percepto et confirmato per loquelam ad me, ex eo quod non vivant ex se sed ex Domino (n. 6469).

Quod mali non velint convinci quod vita influat (n. 3743).

Quod dubia de influxu vitae a Domino non removeri possint, quamdiu fallaciae, ignorantia, et negativum regnant (n. 6479).

Quod omnes ab ecclesia sciant quod omne bonum et verum sit e caelo, hoc est, per caelum a Deo, et quod omne malum et falsum sit ab inferno; et tamen omne vitae se refert ad bonum et verum, et ad malum et falsum, usque adeo ut absque illis nihil vitae sit (n. 2893, 4151).

Quod id quoque dictet doctrinale ecclesiae quod ex Verbo (n. 4249).

Quod nihilominus homo non credat quod vita influat (n. 4249).

Si communicatio et nexus auferretur cum spiritibus et angelis, quod homo ex tempore moreretur (n. 2887).

Quod inde quoque pateat quod omne vitae a Primo Esse vitae influat, quia nihil ex se, sed ex prioribus se exstitit, ita omnia et singula a Primo; et quia sicut exstitit etiam omnino subsistet, quoniam subsistentia est perpetua existentia (n. 4523, 5424[? 4524]).

Quod angeli, spiritus et homines creati sint ad recipiendum vitam; ita quod modo formae recipientes vitae sint (n. 2021, 3001, 3318, 3344, 3484, 3742, 4151, 5114, 5986).

Quod tales formae sint qualiter recipiunt (n. 2888, 3001, 3484, 5847, 5986, 6467, 6472).

Quod ideo homines, spiritus, et angeli tales sint, quales sunt formae recipientes vitae a Domino (n. 2888, 5847, 5986, 6467, 6472).

Quod homo ita creatus sit, ut in intimis suis, et inde in subsequentibus ordine, recipere possit Divinum, et elevari ad Divinum, et conjungi Divino per bonum amoris et vera fidei, et quod ideo vivat in aeternum, secus ac bestiae (n. 5114).

Quod vita a Domino etiam influat apud malos, ita quoque apud illos qui in inferno sunt (n. 2706, 3743, 4417, 10196).

Sed quod illi bonum vertant in malum, ac verum in falsum, ita vitam in mortem spiritualem; nam qualis homo, talis receptio vitae (n. 4319, 4320, 4417).

Quod bona et vera a Domino etiam jugiter apud illos influant; sed quod illa vel rejiciant, vel suffocent, vel pervertant (n. 3743).

Quod illis qui in malis et inde falsis sunt, non vita realis sit; qualis illa (n. 726, 4623, 4742[? 4747], 10284, 10286).

279. *De Ordine.*

Quod Divinum Verum procedens a Domino sit a quo ordo, et quod Divinum Bonum sit essentiale ordinis (n. 1728, 2258, 8700, 8988).

Quod Dominus sit Ordo, quoniam Divinum Bonum et Divinum Verum sunt a Domino, immo sunt Dominus in caelis et in terris (n. 1919, 2011, 5110, 5703, 10336, 10619).

Quod Divina vera sint leges ordinis (n. 2247[? 2447], 7995).

Ubi ordo, quod ibi Dominus sit praesens: ubi autem non ordo, quod ibi Dominus non sit praesens (n. 5703).

Quoniam Divinum Verum est ordo, ac Divinum Bonum essentiale ordinis, quod ideo omnia et singula in universo se referant ad bonum et verum, ut sint aliquid, quia ad ordinem (n. 2451[? 2452], 3166, 4390, 4409, 5232, 7256, 10122, 10555).

Quod bonum, quia est essentiale ordinis, disponat vera in ordinem, et non vicissim (n. 3316, 3470, 4302, 5704, 5709, 6028, 6690).

Quod universum caelum, quoad omnes societates angelicas, a Domino dispositum sit secundum Divinum suum ordinem, quoniam Divinum Domini apud angelos facit caelum (n. 3038, 7211, 9128, 9338, 10125, 10151, 10157).

Quod inde forma caeli sit forma secundum Divinum ordinem (n. 4040–4043, 6607, 9877).

Quod quantum homo secundum ordinem vivit, ita quantum in bono secundum Divina vera, quae sunt leges ordinis, tantum sit homo (n. 4839).

Immo, quantum ita vivit, quod tantum in altera vita appareat ut homo perfectus et pulcher; quantum autem non ita vivit, quod tantum appareat ut monstrum (n. 4839, 6605, 6626).

Inde patet quod homo sit, in quem omnia ordinis Divini collata sunt, et quod ex creatione sit Divinus ordo in forma (n. 4219, 4220, 4223, 4523, 4524, 5114, 5368, 6013, 6057, 6605, 6626, 9706, 10156, 10742).

Quod unusquisque angelus, quia est recipiens Divini ordinis a Domino, sit in humana forma, perfecta et pulchra secundum receptionem (n. 322, 1880, 1881, 3633, 3804, 4622, 4735, 4797, 4985, 5199, 5530, 6054, 9879, 10177, 10594).

Quod etiam caelum angelicum in toto complexu sit in forma sicut homo; et hoc quia universum caelum, quoad omnes societates angelicas ibi, a Domino dispositum est secundum Divinum ordinem (n. 2996, 2998, 3624–3649[? 3629], 3636–3643, 3741–3745, 4625).

Inde patet quod Divinum Humanum sit a quo omnia illa (n. 2996, 2998, 3624–3649, 3741–3745).

Inde quoque sequitur quod Dominus sit solus Homo; et quod illi homines sint qui recipiunt Divinum ab Ipso (n. 1894),

Quantum recipiunt, quod tantum imagines Domini sint (n. 8547).

Quod homo non nascatur in bonum et verum, sed in malum et falsum: ita non in Divinum ordinem, sed in contrarium ordini; et quod inde sit quod nascatur in meram ignorantiam, et quod ideo necessario e novo debeat nasci, hoc est, regenerari; quod fit per Divina vera a Domino, et per vitam secundum illa, ut in ordinem inauguretur, et sic fiat homo (n. 1047, 2307, 2308, 3518, 3812, 8480, 8550, 10283, 10284, 10286, 10731).

Quod Dominus, cum regenerat hominem, omnia apud illum disponat secundum ordinem, hoc est, secundum formam caeli (n. 5700, 6690, 9931, 10303).

Quod homo, qui ducitur a Domino, ducatur secundum Divinum ordinem (n. 8512).

Quod interiora, quae mentis, aperta sint in caelum, usque ad Dominum, illi homini qui in Divino ordine est, et clausa illi qui non in Divino ordine (n. 8513).

Quod quantum homo vivit secundum ordinem, tantum ei intelligentia et sapientia (n. 2592).

Quod Dominus regat prima ordinis et ultima, et quod prima ex ultimis et ultima ex primis, et quod sic omnia contineat in nexu et in ordine (n. 3702, 3739, 6040, 6056, 9828).

De ordine successivo; et de ultimo ordinis, in quo successiva simul sunt etiam in suo ordine (n. 634, 3691, 4145, 5114, 5897, 6239, 6326, 6465, 8603, 9216[? 9215], 9217[? 9216], 9828, 9836, 10044, 10099, 10329, 10335).

Quod mala et falsa sint contra ordinem, et quod usque a Domino regantur, non secundum ordinem, sed ex ordine (n. 4839, 7877, 10778).

Quod mala et falsa per leges permissionis regantur, et quod hoc sit propter ordinem (n. 7877, 8700, 10778).

Quod impossibile sit quod contra Divinum ordinem est; ut quod homo, qui in malo vivit, salvari possit ex sola misericordia; tum quod in altera vita mali consociari possint bonis, et plura alia (n. 8700).

[XXII.]

DE DOMINO.

---

280. DEUS est unus, qui Creator universi et Conservator universi; ita qui Deus caeli et Deus terrae.

281. Sunt duo quae faciunt vitam caeli apud hominem, bonum amoris et verum fidei; haec vita est homini ex Deo, et prorsus nihil ex homine; quapropter primarium ecclesiae est, agnoscere Deum, credere in Deum, et amare Ipsum.

282. Qui intra ecclesiam nati sunt, agnoscere debent Dominum, Divinum Ipsius et Humanum Ipsius, ac credere in Ipsum et amare Ipsum, nam a Domino omnis salus. Hoc docet Dominus apud *Johannem*,

> "Qui credit in Filium, habet vitam aeternam; qui vero non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet apud illum" (iii. 36);

apud eundem,

> "Haec..est voluntas Ipsius qui misit Me, ut omnis qui videt Filium, et credit in Ipsum, habeat vitam aeternam, et resuscitabo illum..in extremo die" (vi. [1]40);

apud eundem,

> "Jesus..dixit, Ego sum resurrectio et vita: qui credit in Me, etsi [2]moriatur, vivet; omnis vero qui vivit et credit in Me, non morietur in aeternum" (xi. [3]25, 26).

283. Quapropter illi qui intra ecclesiam non agnoscunt Dominum ac Ipsius Divinum, non possunt conjungi Deo, et sic non aliquam sortem habere cum angelis in caelo: nemo enim conjungi potest Deo nisi a Domino et in Domino. Quod nemo possit conjungi Deo nisi a Domino, docet Dominus apud *Johannem*,

> "Deum nemo vidit unquam; Unigenitus Filius, qui in sinu Patris est, Ille exposuit" (i. [4]18);

apud eundem,

"Non vocem" Patris "audivistis unquam, neque speciem Ipsius vidistis" (v. 37);

apud [1]*Matthaeum*,

"Nemo cognoscit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare" (xi. 27);

et apud [2]*Johannem*,

"Ego sum via, veritas, et vita; nemo venit ad Patrem nisi per Me" (xiv. 6).

Quod nemo possit conjungi Deo nisi in Domino, est quia Pater est in Ipso, et unum sunt, sicut etiam docet apud *Johannem*,

"Si Me cognoscitis etiam Patrem meum cognoscitis:....is qui Me videt, videt Patrem;" Philippe, "nonne credis, quod Ego in Patre, et Pater in Me? ....Credite Mihi quod Ego in Patre, et Pater in Me" (xiv. 7–11);

et apud eundem,

"Pater et Ego unum sumus;....cognoscatis et credatis quod Ego in Patre et Pater in Me" (x. 30, 38).

284. Quia Pater in Domino est, ac Pater et Dominus unum sunt, et quia credendum est in Ipsum, et qui credit in Ipsum vitam aeternam habet, patet quod Dominus sit Deus. Quod Dominus sit Deus, docet Verbum: ut apud *Johannem*,

"In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum:....omnia per Ipsum facta sunt, et sine Ipso factum est nihil quod factum est. ....Et Verbum Caro factum est, et habitavit inter nos, et vidimus gloriam Ipsius, gloriam ut Unigeniti a Patre" (i. 1, 3, 14);

apud *Esaiam*,

"Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, super cujus humero principatus; et vocabitur nomen Ipsius...Deus, Heros, Pater aeternitatis, Princeps pacis" (ix. 5 [*B. A.* 6]);

apud eundem,

"Virgo concipiet et pariet.., et vocabitur nomen Ipsius Deus nobiscum" (vii. 14; *Matth.* i. 23);

et apud *Jeremiam*,

"Ecce dies venient...cum suscitabo Davidi Germen justum, qui regnabit Rex, et prosperabitur;....et hoc nomen Ipsius quod vocabunt Ipsum, Jehovah justitia nostra" (xxiii. 5, 6; cap. xxxiii. 15, 16).

285. Omnes qui ab ecclesia sunt, et in luce e caelo, vident Divinum in Domino; at qui non in luce e caelo

sunt, non vident nisi quam Humanum in Domino; cum tamen Divinum et Humanum in Ipso ita unita sunt ut sint unum; sicut docuit Dominus etiam alibi apud *Johannem*,

> Pater, "omnia mea tua sunt, et omnia tua mea" (xvii. 10).

286. Quod Dominus conceptus sit a Jehovah Patre, et sic a conceptione Deus, notum est in ecclesia; et quoque quod resurrexerit cum toto corpore, nam nihil reliquit in sepulcro; de quo etiam postea confirmavit discipulos, dicendo,

> "Videte manus meas et pedes meos, quod Ipse Ego sim; palpate Me et videte; nam spiritus carnem et ossa non habet, sicut Me videtis habere" (*Luc.* xxiv. 39);

et tametsi fuit Homo quoad carnem et ossa, usque intravit per fores clausas, ac postquam Se manifestavit, invisibilis factus est (*Joh.* xx. 19, 26; *Luc.* xxiv. [1]31). Secus fit omni homini, homo enim modo quoad spiritum, et non quoad corpus resurgit; quare cum dixit quod non sit sicut spiritus, dixit quod non sit sicut alius homo. Inde patet quod etiam Humanum in Domino Divinum sit.

287. Omnis homo ex patre habet suum esse vitae, quod vocatur anima ejus; existere vitae inde est quod vocatur corpus; inde corpus est effigies suae animae, nam anima per illud agit vitam suam ex nutu. Inde est quod homines nascantur in similitudinem suorum parentum, et quod familiae internoscantur. Exinde patet quale Corpus seu quale Humanum Domino fuit, quod nempe sicut ipsum Divinum quod fuit Esse vitae Ipsius seu Anima ex Patre; quare dixit,

> "Qui videt Me videt Patrem" (*Joh.* xiv. 9).

288. Quod Divinum et Humanum Domini sit una persona, est ex fide recepta in toto Christiano orbe, quae talis est:—

> "Quamvis Christus est Deus et Homo, usque tamen non est duo, sed unus Christus; immo est prorsus unus et unica Persona; quia sicut corpus et anima sunt unus homo, ita quoque Deus et Homo est unus Christus."

Haec e Symbolo Athanasii.

289. Qui de Divinitate ideam trium personarum habent, non possunt ideam unius Dei habere; si ore dicunt

unum, usque cogitant tres: at qui de Divinitate ideam trium in una Persona habent, illi possunt ideam unius Dei habere, ac dicere unum Deum, et quoque cogitare unum Deum.

290. Idea trium in una Persona habetur, cum cogitatur quod Pater in Domino sit, et Spiritus sanctus procedat ab Ipso. Trinum tunc in Domino est; ipsum Divinum quod Pater vocatur, Divinum Humanum quod Filius, et Divinum procedens quod Spiritus sanctus.

291. Quia in Domino omne Divinum est, ideo Ipsi omnis potestas in caelis et in terris est; quod etiam Ipse dicit, apud *Johannem*,

> "Pater...dedit omnia in manum" Filii (iii. 35);

apud eundem,

> Pater dedit Filio "potestatem omnis carnis" (xvii. 2);

apud *Matthaeum*,

> "Omnia Mihi tradita sunt a Patre" (xi. 27);

apud eundem,

> "Data est Mihi omnis potestas in caelo et in terra" (xxviii. [1]18).

Talis potestas Divinum est.

292. Qui faciunt Humanum Domini simile humano alius hominis, non cogitant de conceptione Ipsius ex Ipso Divino: nec expendunt quod corpus cujusvis sit effigies suae animae. Nec cogitant de resurrectione Ipsius cum toto corpore: neque de Ipso viso cum transformatus, quod splenduerit facies Ipsius sicut sol. Nec cogitant de illis quae Dominus dixerat de fide in Ipsum, de uno cum Patre, de glorificatione, deque potestate super caelum et terram, quod haec Divina sint et dicta de Humano Ipsius. Nec recordantur quod Dominus omnipraesens sit etiam quoad Humanum (*Matth.* xxviii. 20); inde tamen fides omnipraesentiae Ipsius in Sacra Cena: omnipraesentia est Divina. Immo forte non cogitant quod Divinum, quod vocatur Spiritus sanctus, procedat ex Humano Ipsius; cum tamen procedit ex Ipsius Humano glorificato; nam dicitur,

> "Nondum erat Spiritus sanctus, quia Jesus nondum glorificatus erat" (*Joh.* vii. 39).

293. Dominus in mundum venit ut salvaret genus

humanum, quod alioqui periisset morte aeterna; et per id salvavit, quod subjugaverit inferna, quae infestabant omnem hominem venientem in mundum et exeuntem e mundo; et simul per id, quod glorificaverit Humanum suum; sic enim inferna potest tenere subjugata in aeternum. Subjugatio infernorum, et simul glorificatio Humani Ipsius, facta est per tentationes in humanum, quod Ei fuit ex matre, admissas, et per continuas tunc victorias: passio Ipsius in cruce fuit ultima tentatio et plena victoria.

294. Quod Dominus subjugaverit inferna docet Ipse apud *Johannem;* cum instabat passio crucis, tunc dixit Jesus,

> "Nunc judicium est mundi hujus; nunc princeps mundi hujus ejicietur foras" (xii. 27, 28, 31);

apud eundem,

> "Confidite, Ego vici mundum" (xvi. 33);

et apud *Esaiam*,

> "Quis hic venit ex Edom....? incedens in multitudine roboris sui,.... magnus ad salvandum;....salutem praestitit Mihi brachium meum; ideo factus est illis in Salvatorem" (lxiii.[1]1–19; cap. lix. 16–21).

Quod glorificaverit Humanum suum, et quod passio crucis fuerit ultima tentatio et plena victoria, per quam glorificatus est, docet etiam apud *Johannem*,

> Postquam Judas exivit, dixit Jesus, "Nunc glorificatus est Filius hominis, ...et Deus glorificabit Ipsum in Se Ipso, et statim glorificabit Ipsum" (xiii. 31, 32);

apud eundem,

> "Pater, venit hora; glorifica Filium tuum, ut etiam Filius tuus glorificet Te" (xvii. 1, 5);

apud eundem,

> "Nunc anima mea turbata est;....Pater glorifica tuum nomen: et exiit vox e caelo, Et glorificavi et rursus glorificabo" (xii. 27, 28);

et apud *Lucam*,

> "Nonne hoc oportebat pati Christum, et ingredi in gloriam?" (xxiv. [2]26.)

Haec dicta sunt de passione Ipsius: "glorificare" est Divinum facere. Inde nunc constat quod nisi Dominus in mundum venerit et Homo factus sit, et eo modo liberaverit ab inferno omnes illos qui credunt in Ipsum, et amant Ipsum, nullus mortalium salvari potuerit: ita intelligitur quod absque Domino nulla salus.

295. Quum Dominus plene glorificavit Humanum suum, tunc exuit humanum ex matre, et induit Humanum ex Patre, quod est Divinum Humanum: quare tunc non amplius Mariae filius fuit.

296. Primum et primarium ecclesiae est, cognoscere et agnoscere suum Deum; nam absque cognitione et agnitione illa non est conjunctio; ita in ecclesia absque agnitione Domini. Hoc docet Dominus apud *Johannem*,

> "Qui credit in Filium, vitam aeternam habet; qui vero non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet apud illum" (iii. 36);

et alibi,

> "Nisi credideritis quod ego sim, moriemini in peccatis vestris" (viii. 24).

297. Quod trinum in Domino sit, nempe ipsum Divinum, Divinum Humanum, et Divinum procedens, est arcanum e caelo, et pro illis qui in sancta Hierosolyma erunt.

(EX ARCANIS CAELESTIBUS.)

298. *Quod Divinum Domino fuerit ex ipsa conceptione.*

Quod Domino Divinum ex Patre fuerit (n. 4641, 4963, 8041[? 5041], 5157, 6716, 10125).

Quod Domino soli fuerit semen Divinum (n. 1438).

Quod anima Ipsius fuerit Jehovah (n. 1999, 2004, 2005, 2018, 2025).

Quod sic intimum Domini fuerit ipsum Divinum, [1]induitio a matre (n. 5041).

Quod ipsum Divinum fuerit Esse vitae Domini, a quo Humanum dein exivit, et factum est Existere ex illo Esse (n. 3194, 3210, 10270, 10372).

299. *Quod Divinum Domini agnoscendum sit.*

Quod intra ecclesiam, ubi est Verbum, et per id notus est Dominus, non negandum sit Divinum Domini, nec Sanctum procedens ab Ipso (n. 2359).

Qui non agnoscunt Dominum intra ecclesiam, quod eis non conjunctio sit cum Divino; aliter qui extra ecclesiam sunt (n. 10205).

Quod essentiale ecclesiae sit agnoscere Divinum Domini, ac unitionem Ipsius cum Patre (n. 10083, 10112, 10370, 10728[? 10738], 10730, 10816–10818, 10820).

300. *Quod Dominus glorificaverit Humanum suum in mundo.*

Quod in Verbo multis agatur de glorificatione Domini (n. 10828).

Et quod ubivis in sensu Verbi interno (n. 2249, 2523, 3245).

Quod Dominus Humanum suum glorificaverit, non Divinum, quia hoc in se glorificatum fuit (n. 10057).

Quod Dominus in mundum venerit ut glorificaret Humanum suum (n. 3637, 4286[? 4287], 9315).

Quod Dominus glorificaverit Humanum suum per Divinum, quod fuit in Ipso ex conceptione (n. 4727).

Quod idea de glorificatione Humani Domini haberi possit ex idea regenerationis hominis, quoniam Dominus ita regenerat hominem sicut glorificavit Humanum suum (n. 3043, 3138, 3212, 3296, 3490, 4402 5688).

Aliqua de arcanis circa glorificationem Humani Domini (n. 10057).

Quod Dominus salvaverit genus humanum per id, quod glorificaverit Humanum suum (n. 1676, 4180).

De statu glorificationis et humiliationis Domini (n. 1785, 1999, 2159, 6866).

Glorificatio, ubi de Domino, quod sit unitio Ipsius Humani cum Divino, et glorificare quod sit Divinum facere (n. 1603, 10053, 10828).

301. *Quod Dominus ex Humano subjugaverit Inferna cum fuit in Mundo.*

Quod Dominus subjugaverit omnia inferna, cum fuit in mundo, et quod redegerit tunc omnia in ordinem in caelis et infernis (n. 4075, 4286[? 4287], 9937).

Quod Dominus liberaverit tunc mundum spiritualem ab antediluvianis (n. 1266).

Quales illi fuerunt (n. 310, 311, 560, 562, 563, 570, 581, 607, 660, 805, 808, 1034, 1120, 1265–1272).

Quod Dominus per subjugationem infernorum, et simul glorificationem Humani sui, salvaverit homines (n. 4180, 10019, 10152, 10655, 10659, 10828).

302. *Quod glorificatio Humani Domini, et subjugatio Infernorum facta sit per Tentationes.*

Quod Dominus prae omnibus gravissimas tentationes subiverit (n. 1663, 1668, 1787, 2776, 2786, 2795, 2816, 4295, 9528).

Quod Dominus ex Divino Amore erga genus humanum, pugnaverit (n. 1690, 1691, 1812, 1813, 1820).

Quod Domini Amor fuerit salus generis humani (n. 1820).

Quod inferna contra Amorem Domini pugnaverint (n. 1820).

Quod Dominus solus et ex propria potentia contra inferna pugnaverit, et illa vicerit (n. 1692, 1813, 2816, 4295, 8273, 9937).

Quod inde Dominus justitia et meritum factus sit solus (n. 1813, 2025–2027, 9715, 9809, 10019).

Quod tentatio Domini ultima fuerit in Gethsemane et in cruce, et tunc quoque plenaria victoria, per quam subjugavit inferna, et simul glorificavit Humanum suum (n. 2276[? 2776], 2803, 2813, 2814, 10655, 10659, 10829[? 10828]).

Quod Dominus non potuerit quoad ipsum Divinum tentari (n. 2795, 2803, 2813, 2814).

Quod ideo assumpserit humanum ex matre infirmum, in quod admisit tentationes (n. 1414, 1444, 1573, 5041, 5157, 7193, 9315).

Quod per tentationes et victorias expulerit omne hereditarium ex matre, et exuerit humanum ex illa, usque tandem ut amplius non filius ejus esset (n. 2159, 2574, 2649, 3036, 10829[? 10830]).

Quod Jehovah, qui in Ipso, in tentationibus apparuerit sicut absens, et hoc quantum fuit in humano ex matre (n. 1815).

Quod is status fuerit status humiliationis Domini (n. 1785, 1999, 2159, 6866).

Quod Dominus per tentationes et victorias etiam disposuerit omnia in ordinem in caelis (n. 4287, 9397[? 4295], 9528, 9937).

Quod etiam per easdem univerit Humanum suum Divino, hoc est, Humanum suum glorificaverit (n. 1725, 1729, 1733, 1737, 3318, 3381, 3382, 4286, 4287, 9397[? 4295], 9528, 9937).

303. *Quod Humanum Domini fuerit Divinum Verum, cum in mundo.*

Quod Dominus Humanum suum fecerit Divinum Verum, ex Divino Bono quod in Ipso, cum fuit in mundo (n. 2803, 3194, 3195, 3210, 6716, 6864, 7014, 7499, 8127, 8724, 9199).

Quod Dominus tunc disposuerit apud Se omnia in formam caelestem, quae est secundum Divinum Verum (n. 1928, 3633).

Consequenter quod caelum tunc fuerit in Domino, ac Dominus ut caelum (n. 911, 1900, 1982[? 1928], 3624–3631, 3634, 3884, 4041, 4279, 4523–4525, 6013, 6057, 6690, 9279, 9632, 9931, 10303).

Quod Dominus locutus sit ex ipso Divino Vero (n. 8127).

Quod ideo Dominus in Verbo locutus sit per correspondentias (n. 3131, 3472–3485, 8615, 10687).

Quod inde Dominus sit Verbum, et dicatur Verbum, quod est Divinum Verum (n. 2533, 2818[? 2813], 2859, 2894, 3393, 3712).

Quod in Verbo "Filius hominis" significet Divinum Verum, ac "Pater" Divinum Bonum (n. 2803, 3704, 7499, 8724, 9194).

Quia Dominus fuit Divinum Verum, quod fuerit Divina Sapientia (n. 2500, 2527[? 2572]).

Quod perceptio et cogitatio Domino soli fuerit ex Se Ipso, et supra omnem perceptionem et cogitationem angelicam (n. 1904, 1914, 1915[? 1919]).

Quod Verum Divinum potuerit tentari, non autem Divinum Bonum (n. 2814).

304. *Quod Dominus univerit Divinum Verum Divino Bono, ita Humanum suum ipsi Divino.*

Quod Dominus sicut alius homo instructus sit (n. 1457, 1461, 2523, 3030).

Quod Dominus successive progressus sit ad unionem cum Patre (n. 1864, 2033, 2632, 3141, 4585, 7014, 10076).

Quod quantum Dominus unitus est Patri, tantum locutus sit ut cum Se Ipso, et quod alioqui sicut cum alio (n. 1745, 1999, 7058).

Quod Dominus ex propria potentia univerit Humanum Divino (n. 1616, 1749, 1753[? 1752], 1813, 1921, 2025, 2026, 2523, 3141, 5005, 5045, 6716).

Quod Dominus univerit Divinum Verum, quod Ipse, cum Divino Bono quod in Ipso (n. 10047, 10052, 10076).

Quod unitio reciproca fuerit (n. 2004, 10067).

Quod Dominus cum e mundo abivit, Humanum suum fecerit Divinum Bonum (n. 3194, 3210, 6864, 7499, 8724, 9199, 10076).

Ita quod exiverit ex Pater, et quod redierit ad Patrem (n. 3194, 3210).

Quod sic unus factus sit cum Patre (n. 2751, 3704, 4766).

Quod Dominus in unitione cum ipso Divino, quod erat in Ipso, spectaverit Sui conjunctionem cum genere humano (n. 2034).

Quod post unitionem Divinum Verum procedat a Domino (n. 3704, 3712, 3969, 4577, 5704, 7499, 8127, 8241, 9199, 9398).

Quomodo Divinum Verum procedit (*illustratum*, n. 7270, 9407).

Nisi Divinum fuisset in Humano Domini ex conceptione, quod Humanum non potuisset uniri ipsi Divino, ob ardorem infiniti Amoris, in quo est ipsum Divinum (n. 6849).

Quod ideo nusquam aliquis angelus uniri possit ipsi Divino, nisi ad distantiam et per obvelationem; quod alioqui consumeretur (n. 6849).

Quod Divinus Amor talis sit (n. 8644).

Inde constare potest quod Humanum Domini non fuerit sicut humanum alius hominis (n. 10125, 10826).

Quod unio Ipsius cum Patre, ex quo anima Ipsius, non fuerit sicut inter duos, sed sicut inter animam et corpus (n. 3737, 10824).

Quod unio dicatur de Humano Domini cum Divino, at conjunctio de homine cum Divino (n. 2021).

305. *Quod sic Dominus Humanum suum Divinum fecerit.*

Quod Humanum Domini sit Divinum, quia ex Esse Patris quod Ipsi Anima (*illustratum per similitudinem patris in liberis*, n. 10270[? 10269], 10372, 10823).

Et quia ex Divino Amore, qui in Ipso (n. 6872).

Quod unusquisque homo sit talis qualis ejus amor, et quod sit suus amor (n. 6872, 10177, 10284).

Quod Dominus fuerit Divinus Amor (n. 2077, 2253).

Quod Dominus omne Humanum, tam internum quam externum, fecerit Divinum (n. 1603, 1815, 1902, 1926, 2093, 2803).

Quod ideo quoad totum Corpus resurrexerit, secus ac ullus homo (n. 1729, 2083, 5078, 10825).

Quod Humanum Domini sit Divinum, agnoscitur ex omnipraesentia Humani Ipsius in Sacra Cena (n. 2343, 2359).

Et quod pateat ex transformatione Ipsius coram tribus discipulis (n. 3212).

Et quoque ex Verbo (n. 10154).

Et quod dicatur ibi Jehovah (n. 1603, 1736, 1815, 1902, 2921, 3035, 5110, 6303, 6281, 8864, 9194, 9315).

Quod in sensu litterae distinguatur inter Patrem et Filium, seu Jehovam et Dominum, sed non in sensu Verbi interno, in quo sunt angeli caeli (n. 3035).

Quod Christianus orbis Humanum Domini non Divinum agnoscat, quod factum sit in Concilio propter Papam, ut pro vicario Ipsius agnosceretur (*ex loquela cum illis in altera vita*, n. 4738).

Quod Divinum Humanum ab aeterno fuerit Divinum Verum in caelo, ita Divinum Existere, quod postea in Domino factum est Divinum Esse, a quo Divinum Existere in caelo (n. 3061, 6280, 6880, 10579).

Status caeli prius, qualis (n. 6371–6373).

Quod Divinum non perceptibile ita nec receptibile fuerit, nisi cum transivit caelum (n. 6982, 6996, 7004).

Quod Dominus ab aeterno, fuerit Divinum Verum in caelo (n. 2803, 3195, 3704).

Quod id sit Filius Dei natus ab aeterno (n. 2628, 2798).

Quod in caelo non aliud Divinum percipiatur quam Divinum Humanum (n. 6475, 9303, 9267[? 9356, 9571], 10067).

Quod antiquissimi non adorare potuerint infinitum Esse, sed infinitum Existere, quod est Divinum Humanum (n. 4687, 5321).

Quod antiqui agnoverint Divinum, quia apparuit in humana forma, et quod hoc fuerit Divinum Humanum (n. 5110, 5663, 6846, 10737).

Quod incolae omnium tellurum adorent Divinum sub humana forma; et quod gaudeant cum audiunt quod Deus actualiter Homo factus sit (n. 6700, 8541–8547, 9361, 10736–10738; videatur in opusculo *De Telluribus in Mundo nostro solari, et in Caelo astrifero*).

Quod de Deo nisi in humana forma non cogitari possit, et quod incomprehensibile est, in nullam ideam cadat (n. 9359, 9972).

Quod homo colere possit de quo aliquam ideam habet, et non de quo nullam (n. 4733, 5110, 5633[? 5663], 7211, 9267[? 9356], 10667[? 10067]).

Quod ideo a plerisque in universo terrarum orbe Divinum colatur sub humana forma, et quod id sit per influxum e caelo (n. 10159).

Quod omnes qui in bono sunt quoad vitam, cum cogitant de Domino, de Divino Humano cogitent, et non de Humano separato a Divino (n. 2326, 4724, 4731, 4766, 8878, 9193, 9198).

Quod cogitent de Humano Domini absque Divino hodie in ecclesia illi qui in malo quoad vitam sunt, tum qui in fide separata a charitate, et quoque quod non capiant quid Divinum Humanum, causae (n. 3212, 3241, 4689, 4692, 4724, 4731, 5321, 6372[? 6371], 8878, 9193, 9198).

306. *Quod Trinum sit in Domino.*

Quod Christiani in altera vita explorati sint, qualem ideam de Deo uno haberent; et compertum quod haberent ideam trium deorum (n. 2329, 5256, 10736–10738, 10821).

Quod Trinum Divinum in una Persona concipi possit, et sic unus Deus; non autem in tribus personis (n. 10738, 10821, 10824[? 10832]).

Quod trinum in una Persona, ita in Domino, sit ipsum Divinum quod Pater vocatur, Divinum Humanum quod Filius, ac Divinum procedens quod Spiritus sanctus; et quod sic Trinum sit Unum (n. 2149, 2156, 2288, 2321, 2329, 2447, 3704, 6993, 7182, 10738, 10822, 10823).

Quod Divinum Trinum in Domino agnoscatur in caelo (n. 14, 15, 1729, 2005, 5256, 9303).

Quod Dominus unus sit cum Patre, ita ipsum Divinum et Divinum Humanum (n. 1729, 2004, 2005, 2018, 2025, 2751, 3704, 3736, 4706[? 4766).

Quod Divinum Ipsius procedens sit etiam Divinum Ipsius in caelo, quod Spiritus sanctus vocatur (n. 3969, 4673, 6788, 6993, 7499, 8127, 8302, 9199, 9228, 9229, 9270[? 9278], 9407, 9818, 9820, 10330).

Ita quod Dominus sit solus et unicus Deus (n. 1607, 2149, 2156, 2329, 2447, 2751, 3194, 3704, 3712, 3939[? 3938], 4577, 4687, 5321, 6280, 6371, 6849, 6993, 7014, 7091, 7182, 7209, 8241, 8724, 8763[? 8760], 8864, 8865, 9194, 9303).

307. *De Domino in Caelo.*

Quod Dominus appareat in caelo ut Sol et ut Luna; ut Sol illis qui in regno caelesti, ac ut Luna illis qui in regno spirituali (n. 1053, 1521,

1529–1531, 3636, 3643[? 3641], 4321, 5097, 7078, 7083, 7173, 7270, 8812, 10809).

Quod lux, quae procedit ex Domino ut Sole, sit Divinum Verum, ex quo omnis sapientia et intelligentia angelis (n. 1053, 1521–1533, 2776, 3138, 3195, 3222, 3223, 3225, 3399[? 3339], 3341, 3636, 3643, 3993, 4180, 4302, 4415, 5400, 9399, 9407, 9548, 9571, 9684).

Et quod calor, qui procedit ex Domino ut Sole, sit Divinum Bonum ex quo amor angelis (n. 3338, 3636, 3643, 5215).

Quod ipsum Divinum Domini sit longe supra Divinum Ipsius in caelo (n. 7270, 8760).

Quod Divinum Verum non [1]sit in Domino, sed quod procedat ex Domino; sicut lux non est in sole, sed ex sole (n. 3969).

Quod in Domino sit Esse, et a Domino Existere (n. 3938).

Quod Dominus sit centrum commune, ad quod omnes angeli in caelo se vertunt (n. 3633, 9828, 10130, 10189).

Quod tamen angeli se non vertant ad Dominum, sed quod Dominus illos vertat ad Se (n. 10189): quia non est praesentia angelorum apud Dominum, sed Domini apud angelos (n. 9415).

Quod praesentia Domini apud angelos se habeat secundum receptionem boni amoris et charitatis ab Ipso (n. 904, 4198, 4206, 4211, 4320, 6280, 6832, 7042, 8819, 9680, 9682, 9683, 10106, 10811[? 10810]).

Quod Dominus praesens sit apud omnes in caelo, et quoque in inferno (n. 2766[? 2776, 3642, 3644]).

Quod Dominus ex Divino Amore velit adducere omnes homines ad Se in caelum (n. 6645).

Quod Dominus sit in continuo conatu conjunctionis cum homine, sed quod influxus et conjunctio impediatur per proprios hominis amores (n. 2041, 2053, 2411, 5696).

Quod Divinum Humanum Domini influat in caelum et faciat caelum, quodque nulla conjunctio cum ipso Divino sit in caelo, sed cum Divino Humano (n. 3038, 4211, 4724, 5633[? 5663]).

Et quod Divinum illud influat e caelo et per caelum apud homines (n. 1925).

Quod Dominus sit omne caeli, et quod sit vita caeli (n. 7211, 9128).

Quod Dominus in suo habitet apud angelos (n. 9338, 10125, 10151, 10157).

Inde, quod qui in caelo sunt in Domino sint (n. 3637, 3638).

Quod caelum correspondeat Divino Humano Domini, et quod homo quoad omnia et singula caelo, et quod inde caelum in communi sit sicut unus Homo, qui ideo Maximus Homo vocatur (n. 2948[? 2988], 2996, 3624–3649, 3636–3643, 3741–3745, 4625).

Quod Dominus sit solus Homo, et quod illi modo homines sint qui recipiunt Divinum ab Ipso (n. 1894).

Quod quantum recipiunt, tantum imagines Domini sint (n. 8547).

Quod angeli sint formae amoris et charitatis in humana forma, et quod hoc a Domino (n. 3804, 4735, 4797, 4985, 5199, 5530, 9879, 10177).

308. *Quod a Domino omne Bonum et Verum.*

Quod Dominus sit ipsum Bonum et ipsum Verum (n. 2011, 5110, 10336, 10619).

Quod a Domino omne bonum et verum; proinde omnis pax, innocentia, amor, charitas, fides (n. 1614, 2016, 2751, 2882, 2883, 2891, 2892, 2904).

Et quod omnis sapientia et intelligentia (n. 109, 112, 121, 124).

Quod a Domino nihil nisi quam bonum veniat, at quod mali vertant bonum quod a Domino in malum (n. 7643, 7679, 7710, 8632).

Quod angeli sciant quod omne bonum et verum sit a Domino, sed quod mali hoc non scire velint (n. 6193, 9128).

Quod angeli ex praesentia Domini plus in bono sint, at infernales ex praesentia Domini plus in malo (n. 7989).

Quod mali conjiciant se in infernum ex sola praesentia Domini (n. 8137, 8266[? 8265]).

Quod Dominus judicet omnes ex bono (n. 2335).

Quod Dominus omnes aspiciat ex misericordia (n. 223).

Quod Dominus nusquam alicui irascatur, non alicui malum faciat, et non aliquem in infernum mittat (n. 245, 1683, 2335, 8632).

Quomodo intelligendum est, quod in Verbo dicatur quod Jehovah seu Dominus irascatur, occidat, conjiciat in infernum, et plura similia (n. 592, 696, 1093, 1874, 1875, 2395, 2447, 3605, 3607, 3614, 6073[? 6071], 6997).

309. *Quod Domino sit omnis Potestas in Caelis et in Terris.*

Quod universum caelum Domini sit (n. 2751, 7086).

Et quod Ipsi potestas in caelis et in terris sit (n. 1607, 10089, 10827).

Quia Dominus regit universum caelum, quod etiam regat omnia quae inde pendent, ita omnia in mundo (n. 2026, 2027, 4523, 4524).

Quod etiam regat inferna (n. 3643[? 3642]).

Quod Dominus regat omnia secundum Divinum ordinem; et quod Divinus ordo se referat ad illa quae sunt voluntatis Ipsius, ad illa quae fiunt ex venia, et ad illa quae fiunt ex permissione (n. 1755, 2447, 3074[? 6574], 9948[? 9940]); de ordine vide supra (n. 238[? 279]).

Quod Dominus regat ultima ex primis, et prima ex ultimis, et quod inde sit quod dicatur Primus et Ultimus (n. 3702, 6040, 6056).

Quod Domino soli sit potentia removendi inferna, detinendi a malis, ac tenendi in bono, ita salvandi (n. 10019).

Quod Domino sit judicium (n. 2319–2321, 10810, 10811).

Quid sacerdotale Domini. et quid regium Ipsius (n. 1728, 2015).

310. *Quaedam de Domino in Verbo, quomodo intelligenda.*

Quid "Semen mulieris," in prophetico de Domino (n. 256).

Quid significat "Filius hominis" et "Filius Dei" in Verbo (n. 2159, 2813).

Quid significant bina nomina "Jesus Christus" (n. 3004–3011).

Quid significat quod de Domino dicatur, "Missus a Patre" (n. 2397, 6831, 10561).

Quomodo intelligendum est, quod Dominus portaverit omnium iniquitates (n. 9937).

Quomodo intelligendum est, quod Dominus redemerit hominem per sanguinem suum (n. 10152).

Quomodo intelligendum est, quod Dominus impleverit omnia legis (n. 10239).

Quomodo intelligendum est, quod Dominus intercedat pro homine (n. 2250, 8573, 8705).

Quomodo intelligendum est, quod absque Domino nulla salus (n. 10828).

Quod non sit salvatio per intuitionem Patris, seu per precationem ad Ipsum ut misereatur propter Filium; Dominus enim dicit,

"Ego sum via, veritas et vita; nemo venit ad Patrem nisi per Me" (*Joh.* xiv. 6:)

(n. 2854).

Contradictoria quae involvit recepta fides, quod Dominus per passionem crucis reconciliaverit humanum genus Patri (n. 10659).

Quod Adventus Domini sit praesentia Ipsius in Verbo (n. 3900, 4060).

Quod Dominus non velit gloriam ab homine propter Se, sed propter hominis salutem (n. 5957, 10646).

Quod "Dominus" in Verbo, ubi "Dominus" nominatur, significet Divinum Bonum (n. 4973, 9167, 9194).

Quod ubi "Christus," significet Divinum Verum (n. 3004, 3005, 3008, 3009[? 3004-3009]).

Quod vera agnitio et verus cultus Domini sit facere praecepta Ipsius (*ostensum ex Verbo*, n. 10143, 10153, 10578, 10645, 10829).

[XXIII.]

DE REGIMINE ECCLESIASTICO ET CIVILI.

311. SUNT duo quae apud homines in ordine erunt; nempe, quae caeli sunt, et quae mundi. Illa quae caeli sunt, vocantur ecclesiastica; quae mundi sunt, vocantur civilia.

312. Ordo non potest teneri in mundo absque praefectis, qui observaturi omnia quae secundum ordinem, et quae contra ordinem, fiunt; et qui remuneraturi illos qui secundum ordinem vivunt, et punituri illos qui contra ordinem. Si id non fit, peribit genus humanum; nam cuivis ex hereditario connatum est velle imperare aliis, ac possidere bona aliorum, unde inimicitiae, invidiae, odia, vindictae, doli, saevitiae, et plura alia mala; quapropter nisi in vinculis teneantur per leges, et per remunerationes convenientes amoribus illorum, quae sunt honores et lucra, pro illis qui bona faciunt, ac per punitiones contrarias amoribus illis, quae sunt jacturae honorum, possessionum, et vitae, pro illis qui mala faciunt, periturum esset genus humanum.

313. Erunt itaque praefecti, qui coetus hominum tenebunt in ordine, qui legisperiti, sapientes, et timentes Deum. Inter praefectos etiam erit ordo, ne aliquis ex lubitu aut inscitia permittat mala contra ordinem, et sic destruat illum; quod cavetur cum praefecti superiores et inferiores sunt, inter quos subordinatio.

314. Praefecti super illa apud homines quae caeli sunt, seu super ecclesiastica, vocantur sacerdotes; ac munus eorum sacerdotium. Praefecti autem super illa apud homines quae mundi sunt, seu super civilia, vocantur magistratus; ac summus eorum, ubi talia imperia, rex.

315. Quod concernit sacerdotes, docebunt illi homines viam ad caelum, et quoque ducent illos; docebunt illos secundum ecclesiae suae doctrinam ex Verbo, ac ducent ut vivant secundum illam. Sacerdotes qui docent vera, et per illa ducunt ad bonum vitae, et sic ad Dominum, sunt pastores ovium boni; qui autem docent, et non ducunt ad bonum vitae, et sic ad Dominum, sunt pastores mali.

316. Sacerdotes non sibi aliquam potestatem super animas hominum vindicabunt, quia non sciunt in quo statu sunt interiora hominis; minus sibi vindicabunt potestatem aperiendi et claudendi caelum, quoniam ea potestas est solius Domini.

317. Sacerdotibus erit dignitas et honor propter sancta quae obeunt; sed qui sapiunt, dant honorem Domino a quo sancta, et non sibi: qui autem non sapiunt, tribuunt honorem sibi; hi illum adimunt Domino. Qui honorem tribuunt sibi propter sancta quae obeunt, illi praeferunt honorem et lucrum saluti animarum, cui consulent; qui autem honorem dant Domino et non sibi, illi praeferunt salutem animarum honori et lucro. Nullus honor alicujus functionis in persona est, sed ei adjungitur secundum dignitatem rei quam administrat; et quod adjungitur, hoc non ipsius personae est, et quoque separatur cum functione: honor in persona est honor sapientiae et timoris Domini.

318. Sacerdotes populum docebunt, ac ducent per vera ad bonum vitae; sed usque nullum cogent, quoniam nullus cogi potest ad credendum contra id quod cogitavit ex corde esse verum: qui aliter credit quam sacerdos, et non turbas facit, relinquetur in pace; at qui turbas facit, separabitur; nam hoc etiam est ordinis, propter quem sacerdotium.

319. Sicut sacerdotes praefecti sunt ad administrandum illa quae legis Divinae et cultus sunt, ita reges et magistratus ad administrandum illa quae legis civilis et judicii sunt.

320. Quia rex non solus potest administrare omnia, ideo sunt praefecti sub illo, quorum unicuivis data est provincia administrandi quod rex non potest et valet. Hi praefecti simul sumpti constituunt regium, sed ipse rex est summus.

321. Ipsum regium non est in persona, sed adjunctum est personae. Rex qui credit quod regium sit in sua persona, et praefectus qui credit quod praefecturae dignitas sit in sua persona, non sapit.

322. Regium consistit in administrando secundum leges regni, et in judicando secundum illas ex justo. Rex qui spectat leges supra se, is sapit; qui autem spectat se supra leges, is non sapit. Rex qui spectat leges supra se, is regium ponit in lege, et lex dominatur super illum; scit enim quod lex sit justitia, et omnis justitia quae justitia est Divina: qui autem spectat se supra leges, is regium ponit in se, et credit se vel esse legem, vel legem quae justitia esse a se; inde quod Divinum est, sibi arrogat, sub quo tamen erit.

323. Lex quae justitia a legisperitis sapientibus et timentibus Deum in regno ferenda est, secundum quam dein et rex et subditi vivent: rex qui secundum legem latam vivit, et in eo praecedit subditis exemplo, is vere rex est.

324. Rex cui absoluta potestas, qui credit quod subditi ejus tales servi sint ut jus habeat in eorum possessiones et vitas, et si id exercet, non rex est sed tyrannus.

325. Regi erit obedientia secundum leges regni, nec factis et dictis ullo modo laedendus; inde enim pendet securitas publica.

Index Locorum Scripturae Sacrae.

Praefatiuncula Editoris.—*In hoc Indice, non aliter quam in ceteris nostris,*

Notae numeri hujusmodi, ... **1, 3**, *designant* versus ad verbum productos.
Notae generis ejusdem, cum punctis, designant versuum partes :—
Puncta signum antecedentia, **..1**, partem primam non datam indicant ;
Puncta supra signum posita, **1̈**, partem mediam non datam indicant ;
Puncta signum sequentia,.... **1..**, partem ultimam non datam indicant.
Omissionem verbi unius *puncto uno monstravimus ;* duorum vel trium verborum, *punctis duobus ;* plurium, *tribus.*
Notae hujusmodi,............... *1, 3*, *designant* versus ad verbum non productos.
Interclusae hoc modo,........... (1, 3,) *designant* versus memoratos, sed non allatos.

NOTAE CRITICAE EDITORIS.

Pag.	*Sig.*	
24	I	quoad *pro* "quod"
34	I	sit *pro* "fit"
51	I	Cogitant, (2.) *pro* "2. Cogitant"
55	I	"sit":—*sic editio princeps; sic etiam A. C.*, n. 7367 : *forte legeres* fit.
66	I	"est":—*sic editio princeps. In A. C.*, n. 6935, *legitur* "sit".
	2	sint *pro* "sit"
70	I	37–40 *pro* "35, 36, 37, 38"
77	I	charitas *pro* "quod charitas"
79	I	secundo *pro* "tertio"
80	I	"et praecipue consistit in eo, quod homo ponat omnem cultum Divinum in sancto cum est in templis":—*haec verba, vitio typothetae, editioni principi desunt. Videatur Praefatiuncula Editoris.*
91	I	2880 *pro* "8700, 2880"
95	I	qui *pro* "Is qui"
96	I	Qui *pro* "Quod qui"
101	I	appropriaretur *pro* "approprietur"
112	I	"qua":—*sic editio princeps; a nonnullis hic legeretur* quae.
115	I	illa *pro* "non illa"
116	I	posset *pro* "possit"
118	I	credunt *pro* "credit"
127	I	possint *pro* "possit"
148	I	habeant *pro* "habeat"
152	I	ex *pro* "est"
160	I	quid *pro* "quod"
164	I	40 *pro* "4"
	2	moriatur *pro* "moritur"
	3	25, 26 *pro* "21, 23"
	4	18 *pro* "20"
165	I	*Matthaeum* pro "Eundem"
	2	*Johannem* pro "Eundem"
166	I	31 *pro* "3"
167	I	18 *pro* "16"
168	I	I–19 *pro* "I ad 20"
	2	26 *pro* "30"
169	I	induitio *pro* "inductio"
174	I	sit *pro* "fit"

DOCTRINA NOVAE HIEROSOLYMAE

DE CHARITATE

OPUS POSTHUMUM

EMANUELIS SWEDENBORGII

EX EXEMPLARI ARTE PHOTOLITHOGRAPHICA CONFECTO, NUNC PRIMUM INTEGRUM TYPIS EXCUSUM

NEW YORK

AMERICAN SWEDENBORG PRINTING AND PUBLISHING SOCIETY

20 COOPER UNION

MDCCCLXXXV

PRAEFATIUNCULA EDITORIS.

Hoc opusculum, ab auctore numquam ad finem peractum, manu ipsius scriptum ad hoc tempus mansit. Paginae 1–48, ex copia mendosa, anno 1840, Londinii typis sunt excusae. Integrum opus, photolithographice transscriptum, anno 1870 foras editum est.

SAMUEL H. WORCESTER.

SALEM, MASS., NOV. 1877.

DE CHARITATE.

Paragraphi in sua serie :—

I.—Quod primum charitatis sit spectare ad Dominum, et fugere mala ut peccata.

II.—Quod secundum charitatis sit facere usus proximo.

III.—Quod proximus cui usus faciendi sunt in naturali sensu sit concivis, sit societas minor et major, sit patria, et sit genus humanum; et quod usus sint spirituales et quod sint civiles.

IV.—Quod proximo usus faciendi sint secundum ejus bonum spirituale, et inde morale, civile et naturale; consequenter quod proximus qui amandus in spirituali sensu sit bonum.

V.—Quod quisque amet proximum ex bono charitatis in se, consequenter quod talis sit charitas cujusvis, qualis ipse est charitas.

VI.—Quod homo natus sit ut fiat charitas, et non fieri potest, nisi perpetuo velit et faciat bonum charitatis ex affectione et ejus jucundo.

VII.—Quod omnis homo qui spectat ad Dominum, et fugit mala ut peccata, si sincere, juste et fideliter agit opus quod ejus officii et muneris est, fiat charitas in forma.

VIII.—Quod signa charitatis sint omnia quae cultus sunt.

[Notae ex Margine sinistra:]—Appendix, de sorte illorum post obitum qui in fide separata a charitate sunt.

Enumerentur peccata de quibus homo nihil conscit si non scrutatur se, sed apud se vel confirmat vel non ut peccata reputat, et sic continue facit, propter jucunda eorum ex hereditario; ex Decalogo et ex ratione; quae possunt ad 50 vel centum enumerari, tam civilia quam spiritualia, etc.

IX.—Quod beneficia charitatis sint omnia bona quae homo, qui est charitas, facit extra suum officium ex libero.

X.—Quod debita charitatis sint omnia praeter supra memorata, quae hominem oportet facere.

XI.—Quod sint diversoria charitatis, quae sunt variae jucunditates et amoenitates sensuum corporis utiles ad recreandum animum.

XII.—Quod charitas et fides unum faciant.
Quod non ecclesia sit ubi non verum fidei, et non religio ubi non bonum charitatis.

I.

Quod primum charitatis sit spectare ad Dominum, et fugere mala quia sunt peccata, quod fit per poenitentiam.

Exponendum in hoc ordine :—

1. *Quod quantum quis non fugit mala quia peccata sunt, tantum maneat in illis.*
2. *Quod quantum quis non cognoscit et scit peccata quaenam sunt, tantum non videat aliter quam quod absque peccatis sit.*
3. *Quod quantum quis cognoscit et scit peccata quaenam sunt, tantum possit videre illa apud se, confiteri illa coram Domino, et poenitentiam ab illis agere.*
4. *Quod bonum ante poenitentiam sit bonum spurium; similiter charitas, quia bonum est charitatis.*
5. *Consequenter quod primum charitatis sit spectare ad Dominum et fugere mala quia peccata sunt.*

---

1. Quod quantum quis non spectat ad Dominum et fugit mala quia peccata sunt, tantum maneat in illis.

HOMO nascitur in mala omnis generis; voluntas ejus, quae est proprium ejus, non est nisi quam malum: quare nisi homo reformatur et regeneratur, manet non modo sicut natus est, sed etiam pejor, quia malis hereditario acceptis addit ex se actualia. Talis manet homo si non fugit mala ut peccata; fugere illa ut peccata, est ut

diabolica et infernalia, et sic mortifera, proinde quod in illis sit damnatio aeterna; si homo ita spectat illa, tunc credit dari infernum et dari coelum, et quoque quod Dominus possit removere illa, si homo etiam sicut ex sese illa conatur removere. Sed videantur quae in *Doctrina Vitae pro Nova Hierosolyma* (n. 108–113), de hac re demonstrata sunt; quibus haec addam: Omnia mala nascuntur jucunda, quia homo nascitur in amorem sui, et amor ille jucundat omnia quae proprii ejus sunt, ita quae vult et quae cogitat; et unusquisque in jucundis illis a nativitate irradicatis manet ad mortem, nisi domentur; et non domantur nisi spectentur sicut venena dulcia quae necant, aut sicut flores ad apparentiam pulchri ferentes in se toxicum, ita nisi jucunda malorum spectentur ut lethifera, et hoc usque dum fiunt injucunda.

2. Quod quantum quis non cognoscit et scit peccata quaenam sunt, tantum non videat aliter quam quod absque peccatis sit.

Quod sciat quod peccator sit, in malis a capite ad calcem, fit ex Verbo; at non usque scit, quia non videt aliquod peccatum in se; quare orat sicut vox tinniens, confitetur sicut vox tinniens, et tamen intime in se credit quod non peccator sit, quae fides manifestatur in altera vita; dicit enim tunc, purus sum, mundus sum, insons sum, et tamen cum exploratur est impurus, immundus, imo etiam morticinus; est sicut cutis sit nitida in externis et mollis, interiora ab ipso corde morbosa; et est sicut liquor in superficie aqueus, sed intus ex stagnatione putidus.

3. Quod quantum quis cognoscit et scit peccata quaenam sunt, tantum possit videre illa apud se, confiteri illa coram Domino, et poenitentiam ab illis agere.

Dicitur quod possit si velit, et vult qui credit vitam aeternam. Sed usque non cogitabit de illis quae facit, sed de illis quae vult facere, quae si licita credit, tunc etiam facit illa, ac quod non faciat est propter mundum. Est effectus internus et externus, seu opus internum et externum; effectus seu opus externum procedit et existit ex effectu seu opere interno sicut actus ex conatu; conatus in homine est voluntas; quare si non facit corpore, si licitum facit id, tunc conatus seu voluntas remanet, et hoc est ipse actus in spi-

ritu; quare cognoscere et scire sua peccata quaenam sunt, est cognoscere et scire cogitata sua, et ex illis quid facit licitum, tum quid concupiscit, ac cui cogitationi favet; ut si cogitat num scortatio peccatum sit, et quam grave, num odium et vindicta peccata sint, num furta et similia, num fastus et superbia, num contemtus aliorum, num avaritia; et tunc removebit obvelationes, si homo quas superinjecerat, hoc est confirmationes, et conferet Verbum, et videbit.

Quod ille qui agnoscit quod peccatum sit peccatum [possit videre peccata apud se], quisque videt; at qui licita facit cogitatione, et illicita corpore propter mundum, ille non potest videre illa; est sicut qui obvertit speculum ut videat suam faciem, aut sicut qui vult videre faciem et ponit linum foraminosum ante illud.

4. Quod bonum ante poenitentiam sit bonum spurium, similiter charitas, quia bonum est charitatis.

Est enim malum intus apud hominem, quia non apertum, et inde non sanatum, et ex malo non potest scaturire bonum genuinum; fons est impurus; bonum quod ex malo scaturit potest in externa forma apparere bonum, sed intus in illo est homo qualis est intus; omne quod inde homo facit est imago ejus; ipse coram angelis in sua imagine apparet, imo extra se, quod millies vidi; quare bonum quod quis facit *[1] cum corpore, hoc apparere potest bonum coram illis qui non vident nisi quam externum, sed intus latet voluntas et intentio, quae possit esse, quod velit credi sincerus et bonus, ut captet animas honoris et lucri causa; verbo, est vel bonum meritorium, vel hypocriticum, vel diabolicum, quod est ut fallat, vindicet, occidat, etc.; sed hoc bonum cum morte aufertur, dum in interiora sua mittitur, et fit apertum malum.

Omne bonum quod homo facit proximo, est charitatis seu est charitas; quare charitas cognoscetur qualis est, ex praecedentibus tribus, nempe:—1. Quantum fugit mala ut

---

[NOTA EX MARGINE SINISTRA:]—Exploratio, (1) si solum quoad actus, non multum invenit, et haec non sufficit; causa; (2) [2]sed si quoad cogitationes et intentiones, tunc plus invenit; (3) at si explorat quid pro peccato vel non pro peccato reputat, tunc invenit. Quicquid enim homo licitum in se facit, hoc facit; licitum facere est voluntatis, est conatus, et est factum in spiritu; et faciet in corpore dum obstacla remota sunt. Tales etiam sunt Macchiavelistae.

[* Signa, hic et alibi, ad Annotationes Editoris referunt. Pagina ultima videatur.]

peccata. 2. Quantum scit et cognoscit peccata quaenam sunt. 3. Et quantum viderit illa apud se, et confessus illa, et poenitentiam egerit. Haec sunt cuivis indicia qualis ei charitas est.

5. Consequenter quod primum charitatis sit spectare ad Dominum et fugere mala quia peccata sunt.

Omne bonum quod homo facit proximo propter proximum, seu propter verum et bonum, ita propter quod secundum Verbum est, seu propter religionem, ita propter Deum, ita quod amore seu affectione spirituali, vocatur bonum charitatis seu bonum opus. [1]Hoc non est bonum quantum trahit ex homine, sed quantum ex [2]homine per hominem; Dominus bonum facit cuique, imprimis per alios, sed usque ita, quod homo vix aliter sciat quam quod ex se; quare agit saepius impios ad faciendum bonum aliis, sed ex affectione amoris sui et mundi; hoc bonum quidem est Domini seu a Domino, sed homo non propterea remuneratur; at si homo non ex amore seu affectione mere naturali facit, sed ex amore seu affectione spirituali, remuneratur; remuneratio est jucundum coeleste illius amoris et affectionis, quod manet illum in aeternum, et hoc quantum ex se non id facit, hoc est, quantum credit quod omne bonum sit a Domino, et non ponit meritum in eo.

Quod nemo possit bonum facere quod bonum est a se, sed quod quantum homo fugit mala ut peccata, tantum faciat bona non a se sed a Domino, videatur in *Doctrina Vitae pro Nova Hierosolyma ex praeceptis Decalogi* (n. 9–17, et n. 18–31).

Ex quibus patet, quod ante poenitentiam non sit charitas cujus bonum est a Domino, sed ab homine; at post poenitentiam fit charitas cujus bonum non est ab homine, sed a Domino; non enim potest Dominus intrare apud hominem et aliquod bonum facere a Se per illum, antequam diabolus, hoc est malum, ejectus est, sed postquam ejectus est; diabolus per poenitentiam ejicitur, quo ejecto intrat Dominus et facit bonum ibi per hominem, sed usque semper ita ut homo non percipiat aliter quam quod id faciat ex se, sed usque sciat quod sit a Domino.

Ex his nunc patet, quod primum charitatis sit fugere mala ut peccata, quod fit per poenitentiam. Quis non vi-

det quod impoenitens sit malus; et quis non videt quod malus non habeat charitatem; et quis non videt quod qui non charitatem habet, [non] possit facere charitatem; charitas erit ex charitate in homine.

6. Ad finem afferantur aliqua ex Verbo, ut ex Domini verbis ad Pharisaeos, quod purificandus internus homo.

Verba apud *Esai.* i.

Aliqua ex illis quae in *Doctrina Vitae pro Nova Hierosolyma* (n. 28–31; etiam 50–52).

II.

Quod secundum charitatis sit facere bona quia sunt usus.

Exponantur in hoc ordine:—

1. *Quod non [velle] malum facere proximo sit charitatis.*
2. *Quod velle bonum facere proximo sit charitatis.*
3. *Quod homo possit facere bonum, quod credit esse charitatis, et usque non fugere malum, et tamen omne malum est contra charitatem.*
4. *Quod sicut homo non vult facere malum proximo, ita velit ei facere bonum; et non vicissim.*
5. *Quod primum removendum sit malum, quia id est contra charitatem, quod fit per spectare ad Dominum et per poenitentiam, antequam bonum quod facit est bonum charitatis.*
6. *Quod qualis est cognitio et inde remotio mali per poenitentiam, tale sit bonum quod est charitatis.*
7. *Quod inde sequatur, quod primum charitatis sit spectare ad Dominum et fugere mala ut peccata; et quod secundum charitatis sit facere bona.*

---

1. Quod non velle malum facere proximo sit charitatis.

Omnis videt quod charitas non malum faciat proximo, quia charitas est amor erga proximum, et qui amat aliquem timet malum ei facere. Est conjunctio animarum inter illos; unde est, cum malum facit ei cui per amorem conjunctus est, in anima percipiatur sicut ipse sibi malum faciat;

quis potest malum facere liberis suis, uxori suae, amicis suis; malum enim facere est contra bonum amoris.

Quis non videt quod qui odio habet alterum, hostem et inimicum contra illum agit, vindicta flagrat, cupit ejus necem, non amet proximum; qui vult scortari cum alterius uxore, qui deflorare vult virgines ac deserere illas, et violare mulieres, non amet proximum; qui vult depraedari et sub varia specie furari ejus bona, qui famam alterius laedit, blasphemando, et sic testando false, non amet proximum; imo nec qui concupiscit ejus domum, ejus uxorem, et plura quae proximi sunt. Ex quibus patet, quod non velle malum facere proximo sit charitatis.

De hoc ita Paulus, quod amare proximum sit implere legem,—in duobus locis;
et alibi ex Verbo.

2. Quod velle bonum facere proximo sit charitatis.

Hoc notum est, quia creditur quod dare pauperibus, suppetias ferre indigentibus, opitulari viduis et pupillis, benefacere ministris, conferre ad templa, ad hospitalia, ad varios usus pios, sit charitatis; tum dare cibum esurienti, potare sitientem, colligere peregrinum, vestire nudum, visitare aegrotum, venire ad vinctos in carcere, et plura alia, sint bona charitatis; sed usque non plus bona sunt, quam quantum homo fugit mala ut peccata; bona illa si homo facit antequam fugit mala ut peccata sunt bona externa, imo meritoria, quia scaturiunt ex fonte impuro, et quae ex tali fonte profluunt sunt interius mala; est homo in illis et mundus in illis.

Quod facere bona Christiana sit charitatis, notum est; et a multis creditur quod bonum deleat malum, et quod sic mala apud hominem non sint, vel quod non spectentur; sed non delet malum, si homo non cogitat de malis apud se, et poenitentiam ab illis agit.

Sunt plures qui ita crediderunt, et putaverunt malum apud se non esse; explorati, confessi sunt quod pleni sint malis, et quod nisi detineantur in externis, salvari nequeant.

3. Quod homo possit facere bonum quod credit esse charitatis, et usque non fugere malum, et tamen omne malum est contra charitatem.

Quod fugere malum [et facere bonum] sint duo distincta

patet; sunt enim qui omne bonum charitatis ex pietate et ex cogitatione de vita aeterna faciunt, et usque non sciunt quod odio habere et vindicare, scortari, depraedari et injuriam facere, blasphemare, ita false testari, et plura [sint mala]. Sunt judices qui pie vivunt, et tamen non faciunt peccatum judicare ex amicitia, ex affinitate, et respectu honoris et lucri; imo si sciunt, confirmant apud se quod non sint mala; ita quoque alii. Verbo, sunt duo distincta, fugere mala ut peccata, et facere bonum Christianum; qui fugit mala ut peccata is facit bona Christiana; qui autem faciunt bonum et non fugiunt mala ut peccata, non faciunt aliquod bonum Christianum; malum enim est contra charitatem, quare id primum abolendum est, antequam bonum quod facit sit cum charitate, hoc est, charitatis. Non potest quis bonum facere et simul malum velle facere, seu bonum velle et quoque malum.

Omne bonum quod in se bonum est, procedit ex interiore voluntate; ex hac voluntate removetur malum per poenitentiam; ibi etiam residet malum in quod homo nascitur; quare nisi poenitentiam agit, remanet malum in interiore voluntate, et bonum procedit ab exteriore voluntate, ita est status perversus; interius qualificat exterius, et non exterius interius. Dominus dicit, *Purga prius interius poculi et patinae.*

N.B.

Est homini duplex voluntas, interior et exterior. Interior voluntas purificatur per poenitentiam, exterior tunc bonum facit ex interiore; et bonum exterius non removet malum concupiscentiae, seu radicem mali.

4. Quod sicut homo non vult facere malum proximo, ita velit ei facere bonum; et non vicissim.

Est bonum civile, est bonum morale, et est bonum spirituale. Bonum antequam homo fugit mala ut peccata est bonum civile et morale; at sicut homo fugit mala ut peccata fit bonum tam civile, quam morale, etiam spirituale; et non prius.

Concupiscentia latet intus, et extra jucundum ejus; quare cum homo cogitat ex concupiscentia et ejus jucundo, vel confirmat malum et credit quod licitum sit, et sic in malo est, vel non cogitat de aliquo malo apud se, et sic credit se integrum esse.

Verum est quod homo se confiteri [1] debeat esse peccatorem, et quod non integrum sit a capite ad volam pedis; hoc potest loqui, et ex scientia loqui; sed tamen non potest interius credere id, nisi id sciat per explorationem; tunc potest haec dicere, et tunc primum animadvertit quod non integrum in eo sit. Sic, non aliter, aperitur ulcus et sanatur; alioquin est curatio palliativa.

Annon Dominus praedicavit poenitentiam, etiam discipuli, etiam Joh. Baptista.

Esaias dicit, quod primum sit desistere a malis, et quod tunc discet bonum facere. Prius non scit homo quid et quale bonum; malum nescit quid bonum, at bonum inde scit malum.

5. Quod primum removendum sit malum, quia id est contra charitatem, quod fit per poenitentiam, antequam bonum quod facit est bonum charitatis.

Quoniam malum primum sciendum est ob causam ut removeatur, ideo Decalogus fuit primum Verbi; et quoque in toto orbe Christiano est primum doctrinae Ecclesiae. Omnes initiantur in Ecclesiam per scire malum et non facere id quia contra Deum.

Quare hoc primum tam sanctum fuit ex causa quia nemo potest facere bonum Christianum prius.

Quod bonum sequatur patet clare ex hoc: Judex dicit, non volo judicare ex malo, propter varias causas, sed juste; et facit bonum.

Colonus dicit, Non volo facere opus nisi juste et fideliter; sic facit opus bonum.

Ita in mille aliis; cum non facit malum, facit bonum.

Quare regula potest esse, quod fugere malum ut peccatum sit facere bonum.

6. Quod qualis est cognitio et inde remotio mali per poenitentiam, tale sit bonum quod est charitatis.

Prout scit quid malum plus aut minus; prout scit mala fidei ac mala vitae; et quomodo desistit ab illis; et desistit ab illis sicut spectat ad Dominum, et credit in Ipsum.

Exempla possunt docere: nam talis est intus, eo purior est, eo fons melioris aquae, ex quo fluit bonum.

Verbo, in simili gradu et in simili qualitate cuivis bonum

est bonum, sicut ei malum est malum: non potest separari unum ab altero.

Quantum quis veterem hominem exuit, tantum novum induit.

Quantum quis crucifigit carnem, tantum spiritu vivit.

Nemo potest duobus dominis simul servire.

Cognitio involvit quod sciendum sit quid verum et quid falsum; remotio est voluntatis; utrumque vitae.

7. Quod inde sequatur, quod primum charitatis sit spectare ad Dominum et fugere mala quia sunt peccata; et quod secundum charitatis sit facere bona.

Malus potest aeque bonum facere sicut bonus; potest ei suppetias ferre, potest ei plura bona facere, ex benevolentia, ex benignitate, ex amicitia, ex miseratione; sed usque non sunt charitatis apud illum qui facit, sed apud illum cui fit; est in externa specie charitas.

Quando quis fugit malum ut peccatum aliquoties, tunc apparet modo ei bonum quod facit; et sunt simul apud eum; sed usque unum erit prius; et unum est realiter prius, et interius.

III.

Quod proximus qui amandus in spirituali idea sit bonum et verum.

Dicitur in spirituali idea, quia illa idea est in qua est spiritualis homo interius, inque eadem sunt angeli; est idea illa abstracta a materia, a spatio et tempore, imprimis abstracta a persona.

Dispositio in ordinem:—

1. Quod homo non sit homo ex forma, sed ex bono et vero apud illum, seu quod idem, ex voluntate et intellectu.

2. Quod ideo bonum et verum apud hominem sit proximus, qui amandus.

3. Quod quale proximi sit secundum quale boni et veri apud hominem, seu qualis homo talis proximus.

4. Quod gradus proximi sit secundum gradus boni et veri apud hominem; proinde quod non unus homo sit in simili gradu proximus ut alter.

5. Quod bonum internae voluntatis sit proximus qui amandus, et non bonum externae voluntatis, nisi hoc cum illo unum facit.

6. Quod verum sit proximus, quantum id procedit ex bono, ac unum facit sicut forma et essentia.

---

1. Quod homo non sit homo ex forma, sed ex bono et vero apud illum, seu quod idem, ex voluntate et intellectu.

Quod voluntas et intellectus sint ipse homo, et non forma, quae apparet sicut homo facie et corpore, notum est. Sunt quidam stulti et insani, et apparent usque homines; sunt quidam ita naturales ut sint sicut animalia, modo quod possint loqui; sunt alii rationales et spirituales. Potest forma horum humana impulchrior apparere, sed usque sunt plus homines quam illi; aufer bonum et verum ab illis, est forma humana in qua non est homo; sunt sicut picturae et sculptilia, et sunt sicut simiae.

Dicitur bonum et verum, hoc est voluntas et intellectus, quia bonum est voluntatis et verum est intellectus; voluntas enim est receptaculum boni, et intellectus est receptaculum veri.

Sed usque bonum et verum non possunt esse nisi in suo subjecto; non separari potest aliquid a suo subjecto; quare homo est proximus; sed in spirituali idea bonum et verum, ex quibus homo est homo.

2. Quod ideo bonum et verum apud hominem sit proximus qui amandus.

Pone tres aut decem ante oculos quos eligas ad aliquam rem domesticam, num eligis aliter quam secundum bonum et verum apud illos; inde homo est homo.

Si ad famulitium eligis inter decem aliquem, annon inquiris voluntatem et intellectum ejus.

Qui eligitur est tibi proximus qui amatur. Homo diabolus potest similis facie apparere sicut homo angelus; annon homo angelus amandus, et non homo diabolus. Benefacis homini angelo propter bonum et verum apud illum, non autem homini diabolo; charitas est, ut hic puniatur si malum facit, et homo angelus remuneretur.

Si spectas decem virgines ut eligas unam in uxorem, inter quas quinque meretrices, quinque castae, nonne eligis unam ex castis, secundum ejus bonum, quod cum tuo bono concordat.

3. Quod quale proximi sit secundum quale boni apud hominem, seu qualis homo talis proximus.

Quod non omnis homo sit similis proximus ut alter, docet parabola Domini de vulnerato a latronibus, ubi dicitur quod ille sit proximus, qui opem tulit ei.

Qui non distinguit proximum secundum quale boni et veri apud illum, potest millies decipi; fit charitas confusa et tandem nulla; potest homo diabolus clamare, ego sum proximus, fac mihi bonum; et si facis ei bonum, potest occidere te aut alios; das cultrum aut gladium in manum.

Simplices ita faciunt; dicunt quod omnis homo sit aeque proximus, et tum quod rati operis non sit explorare qualis est, sed hoc spectetur a Deo; modo opem feram proximo: sed usque hoc non est amare proximum. Ille qui amat proximum ex genuina charitate, exquirit qualis homo est, et discrete secundum quale bonum ejus benefacit.

Simplices tales in altera vita abstrahuntur et separantur; nam si inter spiritus diabolicos veniunt, alliciuntur ad illis benefaciendum, ac ad malefaciendum bonis; clamant, libera me, opitulare mihi. Hoc est maximum robur quod mali sibi acquirunt; absque ope et quasi conjunctione cum illis, prorsus nihil valent; sed cum illis, quos per nomen proximi deceperunt, valent.

N.B. Ipsa genuina charitas est prudens et sapiens; altera charitas est spuria, quia solum est voluntaria seu boni, et non simul intellectualis seu veri.

4. Quod gradus proximi sit secundum gradus boni et veri apud hominem; proinde quod non unus homo sit in simili gradu proximus [*ut alter*].

Bonum secundum gradus distinguitur in bonum civile, bonum morale, et bonum spirituale.

Proximus quem homo ex charitate amabit, erit bonum spirituale; absque hoc bono non est charitas, nam bonum charitatis est bonum spirituale, quoniam secundum id bonum conjungitur quisque in coelis.

Bonum morale, quod est ipsum bonum humanum, est enim bonum rationale secundum quod vivit homo cum homine ut frater et socius, est proximus quantum hoc trahit ex bono spirituali; nam bonum morale absque bono spirituali est bonum externum, est externae voluntatis, ac non

est bonum internum; hoc potest esse malum, quod non amandum est.

Bonum civile est bonum vitae secundum leges civiles; et ejus primum et fundamentum, quod est non agere contra illas leges, est propter poenas. Si in illo bono non sit bonum morale, et in hoc bonum spirituale, non est aliud bonum quam bonum animale, in quo sunt bestiae, dum tenentur [1]inclusae aut vinctae, erga illos qui dant illis cibum, aut qui illas [2]puniunt, aut qui illis adblandiuntur.

Haec bona discit homo in prima infantia ex Decalogo. Leges Decalogi fiunt primum leges civiles, postea morales, et demum spirituales, et tunc bona fiunt primum bona charitatis, secundum gradus.

Ipsa charitas spectat primum bonum animae hominis, et amat illud, quia per id fit conjunctio; postea spectat bonum morale ejus, et amat illud sicut moralis vivit secundum rationis perfectionem; et ultimo spectat bonum civile, secundum quod homo est secum in mundo. Per bonum civile homo est homo mundi; secundum bonum morale homo est homo supramundanus et infracoelestis; at secundum bonum spirituale homo est homo coeli seu angelus. Consociatio hominis cum homine fit per hoc bonum, et tunc secundum gradus per bona inferiorum graduum. Per exempla: datur homo spiritualis, qui bene vult et non bene intelligit, et qui non bene intelligit non bene facit, ita vix est moralis rationalis; et qui bene intelligit et non bene vult, hic non est secundum intellectum proximus; at qui non bene vult, utcunque bene intelligit, non est proximus.

Verbo, voluntas facit proximum, ac intellectus quantum est voluntatis.

5. *Quod bonum internae voluntatis sit proximus qui amandus, et non bonum externae voluntatis, nisi hoc cum illo unum facit.*

Est voluntas interna et voluntas externa; similiter intellectus.

Voluntas interna conjunctionem habet cum coelo, et voluntas externa cum mundo.

Omne bonum est voluntatis; et ipsum bonum charitatis est bonum voluntatis internae.

Solent separari illa apud hominem, et maxime separan-

tur apud hypocritas, simulatores et assentatores propter lucra.

At cum voluntates illae unum faciunt, tunc utraque bona faciunt unum bonum, quod est proximus.

Illustrentur per exempla, et per comparationes.

6. Quod verum sit proximus quantum unum facit cum bono, ac unum facit sicut forma et essentia.

Omnis forma trahit suum [quale] ab essentia; quapropter qualis est essentia talis est forma ejus.

Hoc potest illustrari per quod talis sit intellectus in se spectatus qualis voluntas.

Illustrari potest per sonum et loquelam, et per plura alia.

Quod verum sit bonum in forma videatur in *Apocalypsi Explicata.*

Inde patet [quod] bonum sit proximus in idea spirituali qui amandus; seu homo secundum suum bonum.

IV.

QUOD OBJECTUM CHARITATIS SIT HOMO, SIT SOCIETAS, SIT PATRIA, ET SIT GENUS HUMANUM; ET QUOD OMNES SINT PROXIMUS IN SENSU STRICTO ET LATO.

Quod homo sit proximus notum est; quod societas sit proximus est quia societas est homo compositus; quod patria, est quia patria consistit ex pluribus societatibus, quae sic est homo magis compositus; et quod genus humanum sit proximus, est quia genus humanum est ex magnis societatibus, quarum unaquaevis est homo in composito, hinc homo in latissimo sensu.

Exponentur in hoc ordine:—

1. Quod unusquisque Homo sit proximus secundum quale ejus boni.

2. Quod Societas minor et major sit proximus secundum bonum usus ejus.

3. Quod Patria sit proximus secundum ejus bonum spirituale, morale et civile.

4. Quod Genus Humanum in latissimo sensu sit proximus; sed quia distinctum est in imperia, regna et respublicas, quid libet est proximus secundum bonum religionis, ac secundum bonum quod praestat patriae et sibi.

---

1. Quod unusquisque Homo sit proximus secundum quale ejus boni.

Cum bonum in idea spirituali est proximus, et homo est subjectum boni, et quoque objectum ejus qui facit bonum, sequitur quod homo in naturali idea sit proximus.

Non est unus magis proximus quam alter, quoad solam personam, sed quoad bonum ex quo homo est homo talis aut talis; quoniam tot differentiae proximi sunt, quot sunt differentiae boni; et differentiae boni sunt infinitae.

Creditur quod frater, propinquus et affinis sit magis proximus quam alienus; et quod qui natus est in patria, sit magis proximus quam qui natus est extra patriam; sed quisque est proximus secundum suum bonum, sive sit Graecus sive Gentilis.

Proximus enim quisque est secundum affinitatem et propinquitatem spiritualem; hoc videri potest ex eo, quod omnis homo post mortem veniat inter suos, cum quibus consimilis est quoad bonum, seu quod idem secundum affectiones; etiam affinitates naturales post mortem pereunt, et succedunt affinitates spirituales; quia in una societate coelesti cognoscit unus alterum, et consociantur quia in simili bono sunt. Decem fratres in mundo, quinque possunt esse in inferno, et quinque in coelo, et hi quinque in diversis societatibus; qui cum conveniunt non cognoscit unus alterum; sunt etiam omnes in facie suae affectiones. Inde patet quod quisque homo sit proximus secundum quale boni.

Bona secundum quorum quale, sunt imprimis spiritualia; charitas spectat haec primario.

2. Quod Societas minor et major sit proximus secundum bonum usus ejus.

Omnis societas in regno instituitur secundum usus, qui varii sunt. Sunt societates quarum opus est administrare varia civilia, quae sunt multiplicia, varia judiciaria, varia oeconomica, varia ecclesiastica, ut consistoria, academiae, scholae; sunt scientiarum societates, quae etiam plures.

Omnis societas non aliter potest spectari quam sicut homo in composito; quare illa est proximus secundum bo-

num usus ejus quod praestat; si praestat usus insignes, plus proximus est; si viles, minus proximus est; si malos usus, non proximus aliter est quam sicut homo malus, cujus bonum volo ut bonus fiat, ac quantum potest prospicere media ut meliorescat, etiam si foret per minas, castigationes, poenas, abrogationes.

Non potest aliquis spectare societatem cui unum munus est, quam sicut unum hominem compositum; vocantur quidam membra regiminis, dum Regnum spectatur ut homo, at inter se faciunt unum hominem, cujus membra sunt singuli ibi.

Hoc simile est sicut in coelo. Ibi omnis societas minor et major est sicut unus homo; sistitur etiam ut unus homo; vidi societatem insignem ut unum hominem. Forma coeli est forma humana.

Sic quoque societas in terris apparet coram angelis in coelis ut unus homo.

3. Quod Patria sit proximus secundum ejus bonum spirituale, morale et civile.

In omnium idea Patria est sicut unum; quare omnes leges tam justitiae quam oeconomiae sunt sicut pro uno latae; quare est patria sicut homo in concreto; vocatur etiam corpus, in quo Rex est supremus. Ejus bonum cui consulendum est, vocatur bonum publicum et bonum commune; dicitur etiam de rege, quod sint in corpore regiminis illius.

Sistitur etiam unumquodvis regnum in coelo coram angelis, cum beneplacet Domino, sicut unus homo, sic in forma qualis est; forma est forma affectionis spiritualis ejus, forma faciei, affectionis boni spiritualis, et forma corporis est forma boni civilis, et mores ejus, loquela et similia sistunt bonum rationale ejus. Quando quis videt regnum ut unum hominem, videri potest qualis est; et secundum id est proximus.

Nativitas non facit quod aliquis sit plus proximus quam alter, ne quidem quod mater et pater, nec educatio; haec sunt ex bono naturali; nec propinquitas nec affinitas facit ut aliquis sit plus proximus quam alter, ita nec patria; secundum quale boni ejus amandus est; sed obligatio est ut ei benefaciat, quod fit consulendo ejus usui, quia sic consulit omnibus; non ita aliis regnis extra illam, quia unum regnum non vult alterius bonum, sed vult id destruere, quoad opes

et quoad potentiam, ita etiam quoad tutelam; quare plus amare aliud regnum, consulendo ejus usui plus, foret contra bonum regni in quo est; quare patria amanda est in superiore gradu.

Sit exemplo: Si natus fuissem Venetiae aut Romae, et si essem Christianus reformatus, num amanda est patria, seu ubi natus, propter bonum spirituale: non possum, nec quoad bonum morale et civile quantum id dependet a bono spirituali, ut fit; sed quantum non pendet ab eo, possum, si usque patria illa odio me habet; sic non odio habebo inimicum nec hostem, sed usque amabo, non damnum inferendo, sed consulendo ejus bonum, quantum est bonum ei, non consulendo ita ut confirmem illam in suo falso et malo.

Sed de amore patriae alibi plura.

4. Quod Genus Humanum in latissimo sensu sit proximus; sed quia distinctum est [in] imperia, regna et respublicas, unumquodvis est proximus secundum bonum religionis et morum, et secundum bonum quod praestat patriae, et unum cum suo bono facit.

Haec ampliora sunt quam ut distincte possint illustrari.

Satis est quod sive hic aut ille homo ex hoc aut illo regno sit apud me, et cum illo in una domo aut in una urbe habitem, ille sit mihi proximus secundum suum bonum; simile est cum omnibus in illo regno, quibus singularis ille homo similis est: sit legatus regni qui regem suum et inde regnum repraesentat; quod ille mihi proximus sit secundum bonum suae religionis et morum, et sicut vult patriae bonum et sibi, non negari potest; imprimis quantum facit unum cum suo bono.

Non loquor de alio bono quam de bono charitatis, et de bono genuinae charitatis. Possunt mali amare se mutuo, etiam latrones, et diaboli, sed non ex charitate, seu ex bono amoris interioris; sed quia unum faciunt in malefaciendo, furando, scortando, vindicando, occidendo, blasphemando, sunt proximi inter se; sed hi non intelliguntur, quia hic agitur de charitate et ejus bono.

Possum omnes in universo amare secundum religionem, non plus illos in patria quam in aliis regnis, nec plus in Europa quam in Africa; amo gentilem prae Christiano, si bene vivit secundum religionem, si colit Deum ex corde, dicendo non volo hoc malum facere quia est contra Deum; non autem

amo illum secundum doctrinam sed secundum vitam, quoniam dum secundum doctrinam solum, amo illum ut externum hominem, at si secundum vitam etiam ut internum hominem; si enim est illi bonum religionis, est quoque illi bonum morale et quoque bonum civile; non possunt separari; at qui solum est in doctrina, potest non habere religionem; ita ejus bonum morale et civile non habet in se vitam; est modo externum; vult videri et vult credi quod sit.

V.

QUOD HOMO SIT SUBJECTUM CHARITATIS; ET QUALIS EST CHARITAS APUD ILLUM TALE EST SUBJECTUM EJUS; ET TALIS EST CHARITAS QUAM EXERCET ERGA PROXIMUM.

Exponentur in hoc ordine :–

1. *Quod homo creatus sit ut sit forma amoris et sapientiae.*
2. *Quod hodie ut homo sit homo, debeat esse charitas in forma.*
3. *Quod homo debeat esse charitas in forma, non a se sed a Domino, ita quod sit receptaculum charitatis.*
4. *Quod homo talis forma charitatis sit, sicut bonum voluntatis conjunctum est veris intellectus apud illum.*
5. *Quod quicquid procedit ex tali homine, ex forma trahat ut sit simile, ita quod sit charitas.*
6. *Quod proximus amari possit ex non charitate, et hoc tamen in se spectatum non est amare proximum.*
7. *Quod qui amat proximum ex charitate in se, ille amet proximum.*

---

1. Quod homo creatus sit ut sit forma amoris et sapientiae.

Creatus est in imaginem Dei, in similitudinem Dei; et Deus est Ipse Amor et Ipsa Sapientia.

Notum est quod qualis homo est sapientia, talis est homo; sed vita sapientiae est amor, et amor est essentia, et sapientia est amoris forma, ut multis ostensum est in *Sapientia Angelica de Divino Amore et Divina Sapientia;* quibus plura hic addere non opus est.

2. Quod hodie ut homo sit homo, debeat esse charitas in forma.

Dicitur hodie, quia homo successu temporis a prima creatione factus sit externus; deflexit enim ab amore in Dominum, ad sapientiam; edit ex arbore scientiae et ex sapientia, ac amor internus vertitur in amorem exteriorem.

Tertium coelum, quod ex primis hominibus,[1] est in amore et sapientia; sed secundum coelum est ex amore inferiori qui vocatur charitas, et ex sapientia quae vocatur intelligentia; et tandem cum prorsus externus factus est [homo], tum amor ejus vocatur charitas, et sapientia fides: talis est status Ecclesiae apud homines hodie.

Est apud quosdam amor spiritualis, non autem amor coelestis, et amor spiritualis est charitas; sed apud illos tunc fides est veritas, et veritas facit intellectum seu intelligentiam.

Per charitatem in forma intelligitur quod vita ejus sit charitas, et ex vita est forma; sed quomodo, dicetur in sequente 4to articulo.

In coelo apparet angelus in forma ut charitas; quale charitatis apparet ex facie et auditur ex sono, quoniam homo post mortem fit suus amor, hoc est, sui amoris affectio; spiritus et angelus non aliud est; imo forma charitatis etiam est ipse ille spiritus seu angelus quoad totum corpus; viderunt angelum aliqui, et agnoverunt formam charitatis in singulis membris, quod est mirabile.

Homo in mundo non est charitas quoad formam in facie, corpore, sono, sed mens ejus potest esse; et mens ejus est spiritus in forma humana post mortem; sed usque homo sincerus, qui nihil cogitat contra charitatem, ille potest cognosci ex facie et sono, at usque aegre, quia dantur tales hypocritae, ut ad vivum possint simulare, imo induere sinceritatem charitatis; at si angelus spectat ejus faciem et audit ejus sonum, cognoscet qualis est, quia ille non videt materiale quod obvelat, ad quod tamen homo materialis attendit.

Formae charitatis sunt innumerabiles, quot angeli coeli secundi, dantur numero infinitae; tot varietates ejus sunt quot varietates affectionis veri ex bono; et affectio illa est charitas.

Qui non est forma charitatis est forma odii, seu qui non est forma affectionis veri ex bono, est forma affectionis falsi

ex malo; ex talibus consistit infernum; ibi omnes varietates odii et concupiscentiae sunt.

Sicut affectionum genera et horum species sunt, ita quoque charitatum. Sunt itaque charitates in plurali; et sunt gradus ejus duplicis generis; de quibus gradibus actum est in *Sap. Ang. de Div. Amore et Div. Sapientia*, *Parte Tertia.*

3. *Quod homo debeat esse charitas in forma, non a se sed a Domino, ita quod sit receptaculum charitatis.*

Vita hominis qui est regenerandus est affectio veri ex bono, seu charitas; et vita non est nisi ex Vita, ita a Domino, Qui est Vita in Se, ut Ipse docet, quod sit *Via*, *Veritas*, *et Vita* [*Joh.*, xiv., 6]; et alibi, quod *Sicut Pater habet Vitam in Se*, *ita dedit Filio habere Vitam in Se* [*Joh.*, v., 26]; et alibi. Et quia Vita est Deus, non potest Divinum appropriari homini qui est finitus et creatus, sed potest influere et adjungi receptaculo; sicut oculus non est lux in se, at potest recipere, nec auris est auditus in se, sed est receptaculum; ita reliqui sensus; ita quoque mens et ejus interiores sensus.

Quare homo quidem est subjectum charitatis, sed est subjectum recipiens, quia creatus est in formam recipientem vitae, sicut oculus in formam recipientem lucis et ejus objectorum per lucem, ac auris in formam recipientem soni per sonum cum ejus harmoniis influentem.

Qui credit quod a se sit forma charitatis, fallitur; vel credit quod sit Deus aut Divinum transfusum in illum, sic negat Deum; vel si hoc non cogitat, ponit meritum in operibus charitatis, et sic fit externum ejus charitas et non internum ejus; et tunc non potest Dominus habitare apud illum; Dominus non habitat in illis quae sunt proprii hominis, sed in Suo; habitabit in Divino, et facit sic hominem recipientem Divini procedentis, quod est charitatis.

Sed homo ita creatus est, ut cogitet et velit sicut ex se, et inde loquatur et agat sicut ex se; sed usque datum est scire, quod omne bonum charitatis et verum fidei sit a Domino: qui non cogitat secundum id verum, non est in luce veri, sed in lumine fatuo, et haec sunt tenebrae in luce coeli; inde nec potest illustrari in reliquis veris, nisi solum quoad memoriam, non autem quoad perceptionem, quae est fides in sua essentia.

Ex his patet quod homo modo sit forma charitatis, et quod charitas sit Domini apud illum; et quod datum sit homini [agere] sicut ipse sit charitas, propter finem ut possit fieri receptaculum, et sic in conjunctione reciproca sicut a se, tametsi a Domino.

4. Quod homo talis forma charitatis sit, sicut bonum voluntatis conjunctum est veris intellectus apud illum.

Omne voluntatis vocatur bonum, et omne intellectus verum, quia voluntas est in calore coeli, et intellectus in luce coeli; et sicut voluntas absque intellectu non habet quale, ita non potest vocari aliquid, sed in intellectu accipit quale et fit aliquid, et secundum quod est in intellectu fit tale aut tale, seu fit aliquid [aut] aliquid; ita bonum absque vero, tum bonum cum vero.

Quare vera genuina discenda sunt; cum illis conjungit se bonum voluntatis, et sic fit bonum voluntatis bonum charitatis.

Omnis varietas charitatis est inde, seu ex veris in intellectu; verum enim in sua essentia est bonum, et verum est forma boni, prorsus sicut loquela est forma soni, quod illustretur.

Datur forma soni duplex, una cantus et altera loquelae; similiter affectionis veri ex bono, seu charitatis; de quibus agetur. N.B.

Quoniam ita est, ideo dictum est, quod charitas sit affectio veri ex bono, seu affectio veri spiritualis; inde fit affectio veri rationalis seu moralis, et affectio veri civilis seu naturalis.

Inde est quod qui in charitate sunt, in luce sint; et si non sunt, quod ament lucem; lux est verum, et calor est bonum; et notum est quod omnis vegetatio et fructificatio sit ex bono per verum; ita quoque vegetatio et fructificatio spiritualis.

Sed qui non in charitate sunt, non amant verum in luce, sed possunt amare verum in umbra; et hoc verum est verum fidei hodie, hoc est, quod credendum sit verum,[1] tametsi non videtur intellectu; sic enim potest falsum vocari verum, et ex confirmatione ejus vocari verum, ut fit.

5. Quod quicquid procedit ex tali homine, ex forma trahat ut sit simile, ita quod sit charitas.

Sunt tria quae procedunt, est cogitatio, est loquela et est actus; ex homine qui est forma charitatis procedit cogitatio ex affectione quae est charitas, loquela ex sono qui est affectionis, in quo est affectio cogitationis, et actus per motum in quo est charitas; motus ille procedit ex conatu, et conatum facit affectio cogitationis.

Forma charitatis est principaliter in perceptione interiore ejus, quae procedit ex calore et luce spirituali. Ibi ipse homo est homo. Exinde producitur charitas in consequentia seu inferiora, et producit se, et effectuat se, vix aliter quam sicut ex semine germen et successive arbor, et fit arbor sicut arbor manens; et fructus sunt bona opera quae fiunt ex voluntate boni per intellectum veri, in corpore; et sic primum arbor existit.

Forma intima ejus est sicut semen; quod non aliud possit nasci ex semine, quam quod illius prosapiae est, notum est; similia sunt omnia, tametsi cum multa varietate; at usque nascitur et surculus et ramus in quibus fructus, quod fit ex illa arbore.

Quare homo qui interius est charitas, quicquid facit, [facit] ex charitate, tametsi facta et loquelae ac cogitationes sunt infinitae varietatis; sunt omnia quae producit sicut ejus imagines sub varia forma, in quibus tamen omnibus est forma communis sicut planum ex quo.

Inde etiam homo cognoscitur ab altero, modo scitur ejus affectio dominans, dum loquitur et facit aliquid, ex quo fine et ex quo amore, sicut ex quo fonte. Dicit Dominus quod mala arbor faciat malos fructus, et bona arbor bonos fructus, et quod mala arbor non possit facere bonos fructus.

Vita hominis est in omni quod vult et cogitat, quod loquitur et quod facit. Nemo potest aliquid agere ex alia vita quam ex sua; sunt omnia vitae ejus effectus; quare est simile.

In mundo spirituali omnes affectiones effigiantur vario modo, sicut arbores, horti, volucres, animalia; in his appa-

---

[NOTA EX MARGINE SINISTRA:]—Est miseratio charitatis, est clementia charitatis, est amicitia charitatis, est benevolentia charitatis, est modestia charitatis; verbo, omnes virtutes sunt charitas, sed veniunt sub alio nomine, ita sub alia specie.

ret imago hominis, dum introspicitur intime; sunt repraesentativa ejus.

Verbo, imago hominis est in omnibus et singulis ejus.

6. Quod proximus amari possit ex non charitate, et hoc tamen in se spectatum non est amare proximum.

Exempla illustrent. Potest homo malus amare hominem bonum, et tum non amat in se bonum; potest homo dicere de gentili, qui dicit, opus ejus faciet fideliter quia Deus ita vult, hunc potest atheus amare; potest quis, qui non amat patriam, cum [aliquem] audit loquentem, et novit quod amet patriam, illum quasi amare; ei auscultat, dicens, bonus ex corde [1]est, loquitur ex amore, obediens ei; audi aliquot centum obedientem viro de quo fama fuit quod amaret patriam, et vix decem inter illos erant qui amabant patriam; potest, si quis audit praedicatorem, et dicit quod loquatur ex Deo, ex zelo pro animabus illis; et illi qui nihil amant Deum, et qui credunt nihil, usque dum audiunt illa, afficiunt, laudant illum, amant illum, mittunt ei dona. Omnis sincerus amatur ex insinceris, omnis verus amatur ex mendacibus, fidus ab infideli, castus qui amat conjugem ab incastis, et sic porro.

Sed hoc fit apud unumquemvis hominem, dum in [2]cogitatione communi est; ut vero primum perit haec communis perceptio, lux perit; quod fit dum mittit rem sub intuitionem cogitationis inferioris, et cogitat num ita sit vel non; in hanc cogitationem influit lux ex homine aut mundo, in communem autem influit lux e coelo; haec influit in intellectuale hominis jugiter, modo non se demittit in suam lucem; tunc extinguit lucem coeli, si talis est. Communis perceptio veri est omnibus; sed amor inferioris dejicit hominem ex alto in perceptionem ex proprio; haec perceptio est materialis quae communicat cum visu oculi; est phantasia seu [3]imaginatio.

7. Quod qui amat proximum ex charitate in se, ille amet proximum.

Conjungit ille se cum bono ejus et non cum persona; quare si persona recedit a bono, non amat illum; et illa conjunctio est conjunctio spiritualis, quia proximus in spirituali idea est bonum.

Quare homo ut amet proximum erit charitas in forma.

VI.

QUOD HOMO NATUS SIT UT FIAT CHARITAS, ET NON FIERI POTEST, NISI PERPETUO FACIAT PROXIMO BONUM USUS EX AFFECTIONE ET [EJUS] JUCUNDO.

Expositio communis in hoc ordine :—

1. *Quod commune bonum existat ex bonis usus quae singuli praestant, et quod bona usus quae singuli praestant, subsistant ex communi bono.*
2. *Quod ministeria, functiones, officia et varia munera sint bona usus quae singuli praestant, ex quibus bonum commune existit.*
3. *Quod omnia officia et munera quoad bona usus spectata in Regno, Republica et Civitate, faciant formam quae correspondet formae coelesti.*
4. *Quod etiam faciant formam quae correspondet formae humanae.*
5. *Quod in hac forma unusquisque sit bonum usus secundum extensionem officii et muneris sui.*

---

1. *Quod commune bonum existat ex bonis usus quae singuli praestant, et quod bona usus quae singuli praestant, subsistant ex communi bono.*

Vocantur bona usus, quia omnia bona quae amoris erga proximum seu charitatis sunt, usus sunt ; et omnes usus sunt bona, quare una voce nominantur bona usus ; vocantur etiam usus fructus.

Quod omnis homo natus sit ut usum faciat, notum est, et quod usus faciat aliis ; qui hoc non facit, etiam vocatur inutile membrum, et rejicitur ; is quoque est, qui sibi soli usus facit, tametsi non ita vocatur ; quare in Republica bene constituta providetur ne quisque sit inutilis ; si inutilis, adigitur ad quoddam opus, etiam mendicus, si sanus est.

Infantes et pueri quamdiu sub nutricibus et magistris sunt non quidem faciunt bona usus, sed usque discunt facere, et pro fine habebunt ; sic bonum usus est in fine. Ut aedificetur domus, comparanda prius sunt materialia, et ponendum fundamentum, et erigendi parietes, et sic demum habitatur in ea ; bonum domus est habitatio.

Commune bonum consistit ex his : quod in societate seu Regno, 1. Sit Divinum apud illos ; 2. Sit justum apud illos ;

3. Sit morale apud illos; 4. Sit gnavum, scium, probum apud illos; 5. Sint necessaria vitae; 6. Sint necessaria operum; 7. Sint necessaria tutelae; 8. Sit sufficientia opum, quia inde sunt tria illa necessaria.

Ex illis est commune bonum, et id non venit ex seipsis sed ex singulis ibi, et per bona usus quae singuli praestant, ut Divinum etiam ibi sit per ministros, et justum per magistratus et judices, ut morale per Divinum et justum, ut necessaria per opera et commercium, et sic porro.

Notum est quod omne commune sit ex particularibus; inde nominatur commune; quales itaque partes sunt tale est commune; hortus in communi est quales sunt arbores et eorum fructus; prata in communi sunt quales sunt segetes; campi in communi sunt quale est granum cum herbis et floribus; navis in communi est qualia sunt omnia ejus, quae plura; ordo inter partes et quale partium facit ut commune sit perfectius aut imperfectius.

Quod bona usus quae singuli praestant subsistant ex communi, notum est; quisque enim trahit suum bonum usus ex communi; omnia necessaria vitae, tum operum, tutelae, et opes per quas comparentur necessaria, inde sunt; nam per commune intelligitur non modo civitas et ejus societas, sed etiam regio et quoque regnum; sed haec quia sunt amplae extensionis, patebunt clarius in sequentibus; quia dantur multae varietates, quae tamen usque cum illa lege concordant.

2. *Quod ministeria, functiones, officia, et varia opera sint bona usus quae singuli praestant, ex quibus bonum commune existit.*

Per ministeria intelliguntur sacerdotia et illorum munia; per functiones intelliguntur officia varia quae sunt civilia; et per munera intelliguntur opera, ut artificum, quae plura sunt; per officia intelliguntur studia varia, negotia, et famulitia; ex his quatuor consistit Respublica, seu societas.

Qui in ministeriis sunt praestant ut Divinum ibi sit; functiones variae quae civiles sunt, ut justum ibi sit, etiamque ut morale sit, tum gnavum, scium et probum; varii operistae ut sint necessaria vitae; etiam negotiatores ut sint necessaria operum; milites ut sit tutela; et haec ultima imprimis ut sit sufficientia opum; et quoque coloni.

Quod secundum bona omnis qualitatis, industrias, studia, commune bonum sit, quisque potest scire.

3. Quod omnia officia et munera quoad bona usus spectata faciant formam quae correspondet formae coelesti.

Forma coelestis talis est, quod unusquisque ibi in aliquo ministerio, aliqua functione, in aliquo officio seu munere, et in opere sit. Omnes societates coelestes tales sunt, ut nullus sit inutilis. Qui nihil operatur, [et] qui vivere vult in otio, seu solum conversari, ambulare et dormire, is non toleratur ibi. Omnia ibi ita ordinata sunt, ut secundum usum sortiuntur locum propius ad centrum aut remotius a centro; quo propius centro, eo magnifica magis palatia; quo remotius a centro eo minus magnifica; aliter in oriente, occidente, meridie et septentrione; quisque dum in societatem venit, initiatur suo officio, et sortitur domum operi suo correspondentem; est omnis societas affectionum series in omni ordine.

Quisque ibi delectatur ex suo studio; jucundum ejus inde est; fugiunt otia sicut quis pestem; causa est haec, quod unusquisque ibi sicut ex amore usus facit opus suum, ita habet jucunda cordis; influit commune in illum. Sic ex societate coelesti imprimis datum est scire, quod non modo singuli secundum varietates affectionum ordinati faciant commune bonum, at quod quisque trahat ex communi suum bonum.

Similiter est in terris; sic enim societas terrestris correspondet societati coelesti; et cum correspondet, haec ibi. Divinum est, justum est, morale et probum est, sapiens est, gnavum est; commune inspirat singulis illa, quando pars quae est angelus in charitate est.

Dantur illi necessaria vitae et operum, et quoque opulentia, et imprimis jucunditas et felicitas ex communi sicut est charitas.

Sed hoc non scitur in terris ubi quisque ponit jucundum et faustum in honoribus et in opibus; qui hoc faciunt in terris, fiunt viles et pauperes, et degunt in infernis; at qui studet alicui operi ex affectione charitatis, is venit in societatem coelestem.

Sunt functiones, officia et opera ibi innumerabilia, omnia spiritualia, quae quidem describi possunt, sed non ita [ad] captum.

4. Quod etiam faciant formam quae correspondet formae humanae.

Simile est in humano corpore; ibi omnia sunt bona usus in perfectissima forma; et quia in perfectissima forma sunt, sentiuntur ut unum; sunt tamen omnia varia, et in omni vario sunt varia in sua serie et in suo ordine; sunt sensoria quae quinque, sunt viscera quae multa, sunt organa generationis quae etiam plura in utroque sexu, sunt membra externa, sunt adhuc plura quae mentis, hoc est, quae voluntatis et intellectus sunt.

Communia in corpore sunt cor et pulmo; horum actus influunt in omnia corporis, tam organa, viscera et membra. In mente sunt voluntas et intellectus communia. Haec ibi communia spectant singula ut suas partes ex quibus subsistit, et partes [1]spectant commune ex quibus existit.

Omnia ibi ex usu, in usu, et ad usum formata sunt; sunt omnia formae usus.

In corpore animali talis est forma regiminis, ut unumquodvis trahat suum pensum ex communi, et caveat quod commune det unicuivis ut subsistat. Cor dat sanguinem singulis in toto corpore; et unumquodvis, sicut opus habet, sumit suum quale, et quodvis ex suo indit; verbo, est forma mirabilis.

Est forma coelestis usus ibi; quod confirmatur ex eo, quod unaquaevis societas coelestis sit sicut homo; apparet etiam sicut homo; usus ibi faciunt illum hominem, quia forma societatis coelestis correspondet formae corporis animalis quoad usus.

Forma coelestis est in minimis et in maximis homo; inde universum coelum est Homo, omnis societas est homo, unusquisque angelus est homo; causa est, quia Dominus ex Quo coelum est Homo. [2]

5. Quod in hac forma unusquisque sit bonum usus secundum extensionem officii seu muneris.

Charitas non aliud est quam affectio veri ex bono, et affectio veri ex bono est affectio usus; nam nisi affectio veri ex bono fit actus, perit; et actus inde est usus.

Genuinum verum, cujus affectio est charitas, non spectat aliud quam vitam cum proximo; quare affectio veri ex bono non aliud est; bonum ex quo affectio est velle facere, et

velle scire propter facere; alioquin non est genuinum bonum ex quo verum est.

Quando itaque homo est usus, seu bonum usus, est etiam ille charitas.

Et tunc vocatur homo charitas in forma; etiam ejus imago est; omnia in illo homine sunt charitatis; nam cum ipse homo in communi spirat usum, etiam in omni particulari spirat illum; vita ejus et anima ejus fit amor usus, seu affectio usus.

Et tunc spectat homo intus ad Dominum, et exterius ad suum opus.

6. Quod homo natus sit ut fiat charitas; et non fieri potest charitas, nisi perpetuo faciat proximo bonum usus ex affectione et ejus jucundo.

In sequenti articulo dicetur quomodo homo perpetuo facturus sit bonum usus proximo, et hoc ex affectione et ejus jucundo.

Qui ponit charitatem in benefactis solis, non potest perpetuo id facere.

Et nisi perpetui usus fiant, fit interruptum; et in hoc intervallo, potest divertere in omnes amores et inde concupiscentias, et sic non modo intermittere charitatem, sed etiam abstrahi ab illis; sic perit charitas, ex suis oppositis; et servit duobus dominis.

Potest homo etiam bonum usus facere ex affectione gloriae, honoris et lucri, et horum jucundis; et tunc non est charitas, sed est concupiscentia; ita non est forma coeli, sed est forma inferni; etiam in inferno cogitur quisque facere bonum opus, sed non ex affectione ejus; cogitur ad id.

VII.

QUOD OMNIS HOMO QUI SPECTAT AD DOMINUM, ET FUGIT MALA UT PECCATA, SI SINCERE, JUSTE ET FIDELITER AGIT OPUS QUOD EJUS OFFICII ET MUNERIS EST, FIAT FORMA CHARITATIS.

Hoc sequitur ut consequens ex praecedente lege, quod homo natus sit ut fiat charitas, et non fieri potest charitas

nisi perpetuo faciat bonum usus ex affectione et [ejus] jucundo; quare dum homo sincere, juste, fideliter agit opus, quod ejus officii aut muneris est, ex affectione et jucundo ejus, est continuus in bono usus, non modo erga commune seu publicum sed etiam erga particulares et privatos; sed hoc non potest nisi spectet ad Dominum et fugiat mala ut peccata; nam, ut supra ostensum est, primum charitatis est spectare ad Dominum et fugere mala ut peccata (n. —); et secundum charitatis est facere bona; et bona quae facit sunt bona usus, quae facit quovis die; et dum non facit, cogitat facere; est interior affectio quae manet interius, et desiderat illud. Inde est, quod perpetuo sit in bono usus, a mane ad vesperam, ab anno in annum, ab prima aetate ad finem vitae. Aliter non potest fieri charitatis forma, hoc est receptaculum.

Nunc dicetur de charitate apud Sacerdotem, apud Magistratum, et apud officiarios sub illis, apud Judicem, apud Ducem exercitus, et apud praefectos sub illis, etiam apud militem gregarium, apud negotiatorem, apud operarium, apud colonum, apud nauclerum et nautam, apud famulos.

[1.] *Charitas apud Sacerdotem.*

Si spectat ad Dominum et fugit mala ut peccata, et facit sincere, juste et fideliter opus ministerii ei injuncti, facit bonum usus continue, et fit charitas in forma. Sed tunc facit bonum usus seu opus ministerii sincere, juste et fideliter, dum afficit illum salus animarum; et sicut haec afficit illum, ita afficiunt illum vera, quia per illa ducet animas ad coelum; et tunc ducit animas per vera ad coelum, cum ducit illas ad Dominum. Amor ejus tunc est sedulo docere illa ex Verbo, quia dum docet illa ex Verbo docet illa ex Domino. Dominus enim non modo est Verbum (*Joh.* i., 1, 2, 14), sed etiam est Via, Veritas et Vita (*Joh.*, xiv., 6), et est Janua; quare qui per Dominum ut januam ad ovile intrat, est pastor bonus; at qui non per Dominum ut januam ad ovile intrat, is est pastor malus, qui vocatur fur et latro (*Joh.*, x., 1–9).

[2.] *Charitas apud Magistratus.*

Per magistratus intelliguntur supremi in Regnis, Re-

buspublicis, Provinciis, Civitatibus, Societatibus, super quibus iis jurisdictio est in civilibus. Quisque ex illis in suo loco, si spectat ad Dominum, et fugit mala ut peccata, ac sincere, juste et fideliter facit opus supereminentis functionis suae, facit bonum usus communi et singulis in communi continue,[1] et fit charitas in forma; et hoc fit dum afficit illum bonum subditorum aut civium; et dum hoc afficit illum, afficit illum, una cum sapientibus et timentibus Deum, sancire leges usus, prospicere ut serventur, et vivere sub illis primario; tum praeficere coetibus sub se officiarios intelligentes et simul bene volentes, per quos sub ejus auspicio judicium et justitia regnet, ac commune bonum jugiter perficiatur. Spectabit se ut supremum in ordine inservientium aliis, et sic non ut caput, quoniam caput ducit omnia corporis sui ex amore et sapientia in se; ac Amor et Sapientia in se est solus Dominus, a Quo etiam ille ut servus ducetur.

[3.] *Charitas apud Officiarios sub illis.*

Per officiarios sub magistratibus intelliguntur qui ab illis praefecti sunt coetibus ad obeundum varias functiones necessarias et utiles. Quisque ex illis, si spectat ad Dominum et fugit mala ut peccata, ac sincere, juste et fideliter facit opus officii sui, fit charitas in forma; quia facit bona usus continue, dum in officio est, et quoque dum non in officio; insidet enim tunc animo ejus affectio faciendi, et affectio faciendi bona usus est charitas in sua vita. Illum afficit usus, et non honor nisi propter usum. Est quoddam minus commune bonum sub quovis officiario, secundum extensionem muneris ejus, quod subordinatum est majori et maximo communi bono, quod est Regni aut Reipublicae. Officiarius qui est charitas consulit minori communi bono, quod est [2]spartae ejus, et sic majori et maximo, dum sincere, juste et fideliter facit suum opus. Praeterea simile est cum officiario sicut cum magistratu, de quo actum est, modo cum differentia quae est inter majus et minus, latum et strictum, extensum ad usus in genere et extensum ad usus in specie; praeter quod hoc pendeat ab illo, sicut famulitium.

[4.] *Charitas apud Judices.*

Si spectant ad Dominum et fugiunt mala ut peccata ac faciunt judicia justitiae, fiunt charitates in forma, quia bona

usus faciunt tam communi quam singulis in communi, ita proximo; et illa faciunt continue dum judicant, etiam dum non judicant, quia cogitant ex justo; loquuntur etiam ex justo, et faciunt ex justo; justum enim est affectionis illorum, et in spirituali sensu est proximus. [Judex justus] judicat omnes ex justo et simul aequo, quia non separari possunt; etiam tunc judicat ex lege, quia omnis lex pro fine habet utrumque; et sic dirimit litem, dum astutus conatur legis sensum pervertere. In judicando spectare amicitiam, aut donum, aut affinitatem, aut auctoritatem, aut aliud emolumentum, quam ut quisque qui secundum leges vivit tutus sit, pro peccato reputat; et quoque si juste judicat. et justitia non sit primo loco, sed secundo. Judicia judicis justi sunt omnia charitatis, etiam dum mulctam aut poenam irrogat sontibus malis; sic enim emendat illos, et praecavet ne [1]malefaciant insontibus aliis, qui sunt proximus; est enim sicut pater qui si amat liberos castigat illos dum mala faciunt.

[5.] *Charitas apud Ducem exercitus.*

Per ducem exercitus intelligitur supremus ejus, sive sit Rex, sive archidux, sive dux ex illis constitutus, qui summas tenet. Ille, si spectat ad Dominum et fugit mala ut peccata, et si sincere, juste et fideliter agit in rebus ducatus et regiminis sui, bona usus quae sunt bona charitatis facit; et quia [2]perpetuo meditatur illa, studet illis, et exercet illa, fit charitas. Is, si Rex est, aut archidux, non amat bellum sed pacem, et continue in bello amat illam; non init bellum nisi propter tutelam patriae, ita non est aggressor sed defensor; postea vero, cum bellum initum est, etiam est aggressor, dum aggressio est defensio. In proeliis, si non aliter natus sit, est fortis et strenuus; post proelium mitis et miserescens; in proeliis vult si potest leo esse, post proelium autem ovis. Intus in se non ovat ex strage hostium et ex honore victoriae, sed ex patriae et suorum ibi liberatione ab invasione hostium, et inde pernicie aut interitu. Agit prudenter, consulit fideliter exercitui suo sicut paterfamilias liberis et famulis, amat illos, quemque sicut facit opus suum sincere et strenue: praeter plura similia. Astutia apud illum non est astutia sed prudentia.

[6.] *Charitas apud Praefectos sub Duce exercitus.*

Quisque ex illis potest fieri charitas, hoc est, angelus coeli, si spectat ad Dominum, et fugit mala ut peccata, ac opus praefecturae suae sincere, juste et fideliter agat; sic enim etiam illi bona usus quae sunt charitatis perpetuo agunt; sunt enim mentes illorum in illis, et dum mens perpetuo est in bonis usus, fit illa forma charitatis. Patria ei est proximus; in idea spirituali est tutela ejus, et securitas ab invasione et internecione; non ovat ex non merito mentiens, nec ex merito; cogitat hoc esse debitum, quod facit illum contentum animo, et non gloriabundum. In bello amat milites sub se secundum strenuitatem eorum, sinceritatem, et obedientiam, consulit illis, vult illis bene sicut sibi; sunt enim victimae ejus gloriae usus; est enim gloria usus et gloria honoris praefectis; his qui sunt charitates est gloria usus, et non gloria honoris. Reliqua apud illum sunt similia illis quae apud ducem exercitus, de quo actum est, cum differentia secundum extensionem praefecturae. Vidi praefectos tales in coelo superiori, et vidi praefectos non tales in inferno.

[7.] *Charitas apud Militem gregarium.*

Is si spectat ad Dominum et fugit mala ut peccata, et opus suum sincere, juste et fideliter facit, fit quoque charitas, et quoad id amat, non est discrimen personarum; is enim aversatur depraedationes injustas, abominatur sanguinis effusionem injustam; aliter in proeliis; tunc non hanc aversatur, quia tunc non cogitat de illa, sed de hoste ut hoste, qui vult suum sanguinem. Cedit furor dum audit tympani sonum, quod a caede desistendum sit. Captivos post victoriam aspicit pro proximo secundum quale boni illorum. Ante proelium elevat animum ad Dominum, ac vitam suam in Ipsius manum commendat; et postquam hoc fecerat, animum ab elevatione in corpus demittit, et fit fortis, remanente usque in animo ejus supra fortitudinem cogitatione de Domino, quam tunc nescit; et tunc si moritur, moritur Domino, si vivit, vivit Domino.

[8.] *Charitas apud Negotiatorem.*

Is si spectat ad Dominum et fugit mala ut peccata, et negotiationem suam sincere, juste et fideliter facit, fit chari-

tas. Ille ex prudentia sicut propria agit, sed usque fidit Divinae Providentiae; quare non despondet animum in infortuniis, nec superbit animo in successibus; cogitat de crastino et usque non cogitat de illo; cogitat de crastino quid et quomodo facturus; sed non cogitat de crastino quia Divinae Providentiae et non propriae prudentiae tribuit futura; etiam prudentiam suam eidem tribuit. Amat negotiationem ut principale officii sui, et pecuniam ut instrumentale ejus, et hoc non facit principale et illud instrumentale, sicut faciunt plerique ex Judaeis. Sic amat opus, quod in se est bonum usus, et non media supra illud; haec quidem non ita distinguit, sed usque distinguuntur ita, dum spectat ad Dominum et fugit mala ut peccata; fugit enim avaritiam, quae est malum, et plurium malorum radix; amat commune bonum dum amat suum bonum, quia in hoc illud latet, sicut radix arboris quae se occultat sub terra, ex qua tamen crescit et floret et fructus fert; non quod ei ex suo det praeter debita, sed quia bonum publicum est quoque bonum concivium, inde enim existit, quos ex charitate, cujus forma est, amat. Nemo potest occulta charitatis apud se nosse, quia illa non videt, sed Dominus videt.

[9.] *Charitas apud Operarios est.*

Per Operarios intelliguntur opifices et artifices, varii generis. Hi si spectant ad Dominum et fugiunt mala ut peccata, ac sincere, juste et fideliter faciunt sua opera, fiunt formae charitatis, quisque sicut amat suum opus, et studet illi; opera enim illorum sunt bona usus inservientia proximo pro variis necessitatibus ac utilitatibus, ut pro victu, amictu, habitatione, tutela, conservatione, jucunditate, et aliis pluribus, et sunt emolumenta Reipublicae. Quisque sicut intendit mentem suam operi et labori suo ex amore ejus, est quoad affectionem et cogitationem de illo in illo; et quantum in illo est, tantum detinetur a cogitando et amando vana, ac post ducitur a Domino ad cogitandum et amandum bona, et quoque ad cogitandum et amandum media ad bonum, quae sunt vera; aliter qui non alicui operi intentus est. Omnis operarius qui spectat ad Dominum, et fugit mala ut peccata, fugit otium, quia hoc est pulvinar diaboli; fugit insinceritatem et fraudem, et fugit luxuriam et intemperantiam; est sedulus, sincerus, sobrius, contentus

sua sorte, et facit opus pro proximo sicut pro semet, quia amat se et illum in faciendo opus suum, in pari gradu.

[*10.*] ***Charitas apud Colonos.***

Coloni seu agricolae et vinitores, si spectant ad Dominum et fugiunt mala ut peccata, et opus suum sincere, juste et fideliter faciunt, fiunt charitates quoad spiritus suos, et post mortem dum fiunt spiritus, in forma charitatis sunt, et forma illa est forma humana, in qua sunt omnes post mortem. Illi coloni tales surgunt mane, ordinant opus, impendunt studium labori suo, impigri in opere, et laeti ex opere. Post opus, sunt oeconomi, sobrii, vigiles; domi cum suis agunt ex justo, foris cum aliis ex sincero; spectant leges justitiae civiles, quales sunt Decalogi, ut Divinas, et servant. Agros suos et vineas suas amant, quia proventus, ac proventus quia sunt benedictiones, et gratias agunt Domino, et sic jugiter spectant ad Dominum.

[*11.*] ***Charitas apud Naucleros.***

Naucleri, quibus naves et merces in illis concreditae sunt, aut [qui] possident illas, fiunt etiam charitates, si spectant ad Dominum, et fugiunt mala ut peccata, et faciunt opus suum sincere, juste et fideliter. Opus illorum est bonum usus prae multis aliis, quia per id fit communicatio et quasi conjunctio, totius orbis cum partibus ejus, et partium cum toto; et hoc excellens opus fit bonum usus, quod est bonum charitatis in illis, dum ex scientia sua prudenter agunt, in vigilia et sobrietate navant operam ut iter succedat, non temere se exponunt discriminibus, dum in illis sunt ex non proviso non despondent animum, salvi post [1]illa laudes ac gratias agunt Domino; juste et sincere cum nautis agunt, fideliter cum possessoribus navis, juste cum exteris ad quos appellit navis; cum piratis nullam sortem habent; stipendiis suis contenti sunt, et insuper lucris ex licito. Illi qui super mari versantur, qui charitates sunt, quia spectant ad Dominum, et fugiunt mala ut peccata, et opus suum sincere, juste et fideliter agunt, devotius orant et psallunt mane et vespere, quam qui super arida versantur; fidunt enim prae his Divinae Providentiae. Consulo versantibus super mari ut post hoc orent ad Dominum, quia, Ipse est Deus coeli et terrae et maris, et non alius [2](*Joh.*, iii., 35; xvii., 12; *Matth.*, xi., 27).

[*12.*] ***Charitas apud Nautas.***

Nautae etiam fiunt charitates si spectant ad Dominum et fugiunt mala ut peccata, dum faciunt opus suum sincere, juste et fideliter; nam dum fugiunt mala ut peccata, tunc fugiunt diabolum, quia diabolus est ipsum malum; et tunc acceptantur a Domino; et bona quae tunc faciunt, a Domino faciunt; et bona non aliter continue faciunt quam in suo opere quod eis injunctum est, quod est nauticum. Opus illud est bonum opus, quia est bonum usus; et amorem erga proximum seu charitatem habere non aliud est quam facere bonum usus. Et cum fugiunt diabolum et acceptantur a Domino, tunc non faciunt illa mala quae in Decalogo descripta sunt; hoc est, non occidunt, non adulterium committunt, non furantur, non false testantur; haec enim nemo facit, qui amat proximum; non enim amat proximum, qui tali odio illum habet ut velit illum occidere; non amat proximum qui vult adulterium committere cum uxore alterius; non amat proximum qui vult furari et depraedari ejus bona; non amat proximum qui false testatur contra illum, et sic porro. Haec sunt mala quae praecipue fugiunt illi qui spectant ad Dominum; tunc quoque non timent mortem, quia si moriuntur, moriuntur in Domino, et veniunt in coelum; et ibi amat unus alterum sicut frater et socius fratrem et consocium, et mutuas operas ferunt. Hortor etiam nautas, sicut mox prius nauclerum, ut adeant Dominum, et orent ad Ipsum, quia non alius est Deus coeli, terrae et maris.

[*13.*] ***Charitas apud Famulos.***

Sicut domini ita famuli fiunt charitates, hoc est angeli, dum spectant ad Dominum et fugiunt mala ut peccata, et opera famuli sincere, juste et fideliter agunt. Illorum opera, quae sunt bona charitatis propria et continua, sunt, ut attendant ad dominos suos, illis bene velint, de illis non male loquantur, tam sincere agant in absentia illorum quam in praesentia, non spernant servire, quia unusquisque, in quocunque gradu dignitatis sit, servire debet; etiam Rex serviet Domino; et sicut quisque fideliter servit, ita amatur et ducitur a Domino; et quantum quis spectat ad Dominum et fugit mala ut peccata, servit libere et non coacte.

VIII.

Quod signa charitatis sint omnia quae cultus sunt.

Omnia quae charitatis sunt, referunt se ad spectare ad Dominum, ac fugere mala ut peccata, et facere bona usus quae cujusvis officii sunt. Omnia autem cultus sunt externa corporis et externa mentis; externa corporis fiunt per actus et per loquelas; et externa mentis sunt quae fiunt voluntate et cogitatione, quae cohaerent cum externis corporis.

Externa corporis, quae sunt cultus, sunt, 1. Frequentare templa; 2. Auscultare praedicationes; 3. Devote psallere, et super genubus orare; 4. Sacramentum coenae obire:— tum domi, 1. Mane et vespere orare, etiam ad prandia et coenas; 2. Loqui cum aliis de charitate et fide, deque Deo, coelo, vita aeterna, salute; 3. Apud sacerdotes etiam praedicare, et quoque privatim docere; 4. Et apud quemvis liberos et servos de talibus instruere; 5. Legere Verbum et libros instructionis et pietatis.

Externa mentis, quae sunt cultus, sunt, 1. Cogitare et meditari de Deo, de coelo, de vita aeterna, de salute; 2. Reflectere super cogitationes et intentiones suas, num sint malae vel bonae, et quod malae sint a diabolo, bonae a Deo; 3. Aversari loquelas de impiis, obscoenis et spurcis animo suo; 4. Praeter cogitationes etiam sunt affectiones, quae ad visum et sensum hominis perveniunt.

Haec vocantur externa, quia cohaerent cum externis corporis, et unum faciunt.

Quod talia sint externa cultus, et quod externa cultus sint signa charitatis, videbitur in hoc ordine:—

1. *Quod ipsa charitas sit in Interno homine, et signum ejus in Externo.*
2. *Quod cum charitas est in Interno homine, et [1]facit illum, tunc omnia cultus quae fiunt in Externis sint signa ejus.*
3. *Quod cultus in Externo homine procedens ex charitate quae est in Interno, appareat coram angelis sicut signifer cum vexillo in manu; at quod cultus in Externo homine non procedens ex charitate in Interno, appareat coram angelis sicut histrio cum torre in manu.*

1. Quod ipsa charitas sit in Interno homine, et signum ejus in Externo.

Quod Internus et Externus homo sit, notum est ; et quod Internus homo dicatur spiritus et Externus caro, etiam notum est ; quia dicitur, et a quibusdam cognoscitur, quod pugna sit inter spiritum et carnem. Spiritus qui pugnat cum carne, est internus homo, qui est charitas.

Internus homo qualis est, non potest se manifestare coram homine nisi per Externum ; manifestat se cum pugna est cum Externo ; imprimis se manifestat, cum homo explorat se, et videt sua mala, et ex cognitione confitetur illa, ac cogitat de poenitentia, et tunc resistit suis malis, et satagit vivere novam vitam.

Si homo illa non facit, Internus homo est malus ; at si illa facit, Internus homo est bonus. Dominus enim per Internum hominem operatur in Externum ; et quia tunc malum residet in Externo, fit pugna ; in Externum enim hominem, qui vocatur caro, admittuntur spiritus ex inferno, qui vocantur diabolus, et Dominus apud hominem pugnat cum illo; et si homo etiam sicut ex se pugnat, vincit ; et quantum [diabolus] vincitur, tantum datur locus pro bonis ex Interno homine ut intrent. Ita homo successive fit novus et regeneratur.

Quicquid Internus homo producit, et sistit videndum et sentiendum in Externo, vocatur signum. Si charitas est in Interno, producit ut homo reflectat super mala apud se, et actualiter cognoscit et scit illa, et sic porro. Si hoc non facit, externum ejus non est signum charitatis, et si usque externum est in cultu et pietate, non est signum charitatis, sed est charitas externa absque charitate interna, quae non est charitas.

Per signum intelligitur indicium et testificatio quod sit, quia signat et significat, ac indicat et testificat.

Internum absque signo suo, indicio suo, non datur; si charitas est in Interno homine seu in spiritu, et illa non pugnat cum externo homine et ejus carne, perit charitas. Est sicut fons purae aquae, si non datur exitus, stagnat ; et tunc vel cessat vena ejus, vel ex stagnatione foedascit aqua. Plures confirmationes alibi ex Verbo de his.

*   *   *   *   *   *

*   *   *   *   *   *

[*Duo hic perierunt folia ex autographo.*]

[IX.]

[QUOD BENEFICIA CHARITATIS SINT OMNIA BONA QUAE HOMO, QUI EST CHARITAS, FACIT EXTRA SUUM OFFICIUM EX LIBERO.—*Ex pagina sexta.*]

*   *   *   *   *   *

4. Quod nemo salvetur per beneficia illa, sed per charitatem ex qua illa fiunt, et sic quae in beneficiis illis est.

Beneficia illa sunt extra hominem, at charitas est intra illum, et quisque salvatur secundum quale boni seu charitatis in illo. Plerique post mortem, qui in mundo cogitaverunt de salute sua, quia tunc vident se vivos, et audiunt quod coelum et infernum sint, venditant quod bona fecerint, dederint pauperibus, opitulati sint indigentibus, aliquas sportas contulerint ad usus pios. Sed dicitur illis, Ex qua origine fecistis illa. Num fugistis mala ut peccata. Num cogitavistis de illis. Quidam respondent quod fidem habuerint. Sed dicitur, Si non cogitaveritis de malis ut peccatis apud vos, quomodo potueritis fidem habere. Fides et malum non se conjungunt. Quare inquiritur vita ejus in functione ejus, num propter famam, honorem et lucrum, ut principalia bona, usus functionis suae fecerit, ita propter se, vel num propter proximum. Dicunt quod haec non distinxerint ita. Respondetur, Si spectaveritis ad Deum et fugeritis mala ut peccata, tunc illa duo se ex se distinguunt, quia Dominus distinguit; et quantum non id fecerint, ex malo et non ex bono fecerint. Ipsa affectio cujusvis communicatur in mundo spirituali, et ostenditur qualis est; et qualis ipse est quoad affecti-

onem, talia sunt omnia quae procedunt ab illo. Sic deducitur ad societatem ubi ejus affectio est.

Illi qui in beneactis seu beneficiis illis ponunt solum charitatem, si non in se charitatem habent, interius cum infernalibus se conjungunt, et exterius cum coelestibus; sed unicuivis aufertur exterius, et relinquitur interiori suo.

X.

Quod debita charitatis sint omnia, praeter supra memorata, quae hominem oportet facere.

Debita charitatis sunt tributa pro variis necessitatibus et pro variis usibus in Republica, quae subditis et civibus imposita sunt; sunt vectigalia teloniorum, sumptus et impensae pro variis necessitatibus et usibus domi, quae concernunt semet ipsos, uxorem, liberos, famulos, ancillas, operarios, et horum vicissim; tum aliqua quae per sponsiones fiunt debita. Praeter haec etiam sunt civilia quae sunt subordinationis, obedientiae, honoris et conversationis, quae debita dicenda, quia hominem oportet illa facere. Sed haec et illa in specie enumerare foret implere membranam. Varia quae leges Regni imponunt, vocantur debita charitatis quia charitas facit illa ex debito, et non ex beneplacito, et quia charitas spectat illa ut usus, facit illa sincere et benigne. Sinceritas et benignitas charitatis sunt in omni debito intus apud illos qui in charitate sunt; sed et sinceritas et benignitas sunt secundum usus, quos in debitis prospiciunt, et quoque secundum dispensationem usuum quam norunt.

At eadem debita apud illos qui non in charitate sunt, apparent similia in externis, sed non sunt similia in internis; apud hos enim non est sinceritas nec benignitas; quare si non timent leges, aut si has sub aliqua specie possunt eludere, defraudant. Apud hos non solum illa, quae supra memorata sunt, debita sunt, sed etiam leges justitiae; has enim servant ex timore poenae et jacturae famae, et propter haec ex debito et non ex amore justi, ita non ex amore proximi.

XI.

QUOD SINT DIVERSORIA CHARITATIS, QUAE SUNT VARIAE JUCUNDITATES ET AMOENITATES SENSUUM CORPORIS, UTILES AD RECREANDUM ANIMUM.

Talia sunt conversationes, et tunc confabulationes de variis rebus, publicis, privatis, oeconomicis ; tum ambulationes, et tunc aspectus jucundi ex variis pulchritudinibus et splendoribus palatiorum et domuum, ac arborum et florum in hortis et sylvis et campis, tum hominum, volatilium, et gregum ; et quoque spectacula varii generis repraesentativa virtutum moralium, tum eventuum e quibus aliquid Divinae Providentiae elucet. Haec et similia sunt pro sensu visus. Tum harmoniae musices variae et cantus, quae afficiunt animum secundum correspondentias cum affectionibus ; et praeter illa, jocularia decora, quae animum dilatant. Haec pro sensu auditus. Ut et convivia, epulae et comestiones, ac variae hilaritates tunc ; et praeterea lusoria domi, quae fiunt cum talis, globulis, chartis ; et quoque in nuptiis et in festivis conventibus saltationes. Haec et similia sunt diversoria utilia ad recreandum animos ; et praeterea varia opera manuum, quae movent corpus, et divertunt animum ab operibus functionis suae ; tum etiam lectiones in libris, in quibus historica et dogmatica quae delectant ; tum nova in novellis.

Haec sunt diversoria cujusvis qui in officio aut munere ; inde possunt vocari diversoria officiorum seu munerum ; sed actualiter sunt diversoria affectionum, e quibus quisque facit suum munus ; affectio est in omni munere, et illa intendit animum, tenet mentem intentam in opere seu studio, quae nisi relaxatur, fit hebes, et ejus desiderium infatuatur ; sicut sal dum salsedinem suam amittit, unde non excitatio seu stimulus ; et est sicut arcus intentus, qui nisi remittitur, amittit vim quam trahit ex elasticitate sua ; pariter si mens in similibus ideis absque varietatibus diu tenetur ; sicut visus oculi dum modo unum subjectum aut unus color continue spectatur ; perit enim si continue nigrum, aut continue rubrum, aut continue album ; ut si continue nix perit visus ; at vivificatur si [1]successive aut simul ex pluribus. Omnis

forma ex variis suis delectat, ut sertum ex rosis diversicoloribus in pulchra serie dispositis. Inde est quod iris prae ipsa luce amoena sit.

Mens operi continue intenta spirat ad requiem; et dum illa requiescit, descendit in corpus, et ibi quaerit sua jucunda operationibus mentis correspondentia, quae mens eligit secundum interiorem statum suum in visceribus corporis; interiora corporis praecipue hauriunt sua delectamenta ex sensibus visus, auditus, olfactus, gustus et tactus, quae quidem hauriuntur ab externis, sed usque insinuant se in singula corporis, quae vocantur membra et viscera. Inde et non aliunde sunt illis jucunditates et amoenitates. Singulae fibrae, et singuli textus fibrarum, singula vasa capillaria, et inde vasa communia, et sic omnia viscera in communi, trahunt suas delitias; quas tunc homo non sentit singulariter, sed universaliter, sicut commune unum; sed sicut mens capitis est in illis, tales sunt delitiae purae aut impurae, spirituales aut naturales, coelestes aut infernales; nam intus in quavis sensatione corporis est amor voluntatis ejus cum suis affectionibus; ac intellectus facit percipere illarum delitias; nam amor voluntatis cum ejus affectionibus facit vitam cujusvis, et perceptio intellectus inde facit sensationem; inde omnia jucunda et amoena.*

Sed quia ministeria, functiones, officia, et opera cujusvis tenent mentes intentas, et hae sunt quae per diversoria relaxandae, refocillandae, et recuperandae sunt, videri potest quod varient diversoria ex interiore affectione in illis, et quod alia sint si in illis affectio charitatis est, alia si in illis affectio solius honoris, alia si affectio solius lucri, alia si solum obeuntur propter victum et necessitates vitae, alia si solum propter nomen ut celebrentur, aut si solum propter salaria, ut possint ditescere opes, vel ut possint genio vivere; et [sic] porro.

Si in [1]illis affectio charitatis est, tunc omnia supra memorata sunt ei pro recreatione; etiam spectacula et lusoria, praeter harmonica musices et cantus, et pulchritudines omnes in campis et hortis, et in genere conversationes. Intus in illis manet affectio usus, quae dum sic quiescit, successive

---

* [Nota ex Margine sinistra:]—Corpus enim est opus concatenatum, et forma una; sensatio communicat se sicut vis illata catenae cum singulis uncis, ac sicut forma quae ex perpetuis catenis conflata est.

renovatur. Desiderium ad suam functionem frangit seu finit illa. Dominus enim e coelo influit in illa, ac renovat; et quoque dat interiorem sensum voluptatis in illis, de qua nihil sciunt qui non in affectione charitatis sunt; spirat in illa sicut fragrans, aut sicut dulce, non perceptibile nisi sibi; fragrans dicitur, per quod intelligitur amoenum spirituale, et dulce dicitur, per quod intelligitur jucundum spirituale; amoenum dicitur de sapientia et inde perceptione intellectus, et jucundum dicitur de amore et inde affectione voluntatis. Apud illos qui non in affectione charitatis sunt, haec non sunt, quia mens spiritualis est occlusa; et quantum recedunt a charitate, est mens spiritualis quoad voluntarium sicut glutine confarcta.

In illis quibus est affectio solius honoris, hoc est, apud illos qui faciunt opera functionis suae solum propter famam, ut laudentur et promoveantur, sunt diversoria illa similia in externis; laborant, invigilant operi suo, faciunt usus in copia; sed non ex amore usus, sed ex amore sui, ita non ex amore proximi, sed ex amore gloriae; possunt etiam jucundum sentire in operibus suae functionis, sed est jucundum infernale; hoc coram illis mentiri potest jucundum coeleste, quoniam utrumque est simile in externis; sed jucundum illorum est plenum injucundis, non enim est aliqua requies animi et pax nisi cum cogitant de fama et honore, et cum honorantur et adorantur; dum non cogitant de illis, conjiciunt se in voluptates, in ebrietates, in luxurias, in scortationes, in odia et vindictas, et in diffamationes proximi, si non libant honori illorum. Sed successive, si non altius in honores elevantur, fastidiunt officia, et se dant otio, et fiunt ignaviae, et post excessum e mundo fiunt daemones.

In illis quibus est affectio solius lucri, diversoria illa etiam sunt diversoria, sed carnea, inspirata intus a solo jucundo opulentiae. Sunt seduli, prudentes, industrii, imprimis mercatores tales, et operarii; si officiarii, invigilant operibus quae officii sunt, et vendunt usus; si judices, vendunt justitiam; si sacerdotes, vendunt salutem; lucrum illis est proximus; ex officio amant lucrum, et lucrum ex officio. Qui in officio eminenti sunt, possunt vendere patriam, et quoque exercitum et cives tradere hostibus. Ex quibus patet, qualis est amor illorum in diversoriis supra memoratis; sunt haec plena rapinis, et quantum non timent leges civiles seu poenas publicas, et jacturam famae propter lucra, deprae-

dantur et furantur; sunt sinceri in externis, sed insinceri in internis; usus, quos faciunt in officiis et muneribus suis, sunt illis jucundi et amoeni sicut sunt stercora suibus, mures felibus; aspiciunt homines sicut tigris aut lupus agnos et oves, quos si possunt devorant; bonum usus non sciunt quod sit aliquid. Est jucundum et amoenum infernale in illorum diversoriis; sunt sicut asini qui in pratis et campis non vident aliquas amoenitates, solum ut depascant illa, sive sit triticum sive hordeum in spicis. Sed haec dicta sunt de avaris.

In illis autem, qui solum obeunt munera sua propter victum et necessitates vitae, tum qui obeunt illa solum propter nomen ut celebrentur, et illi qui obeunt illa solum propter salaria, ob finem ut ditescant, vel ut vivant genio, sunt diversoria supra memorata soli usus; sunt corporei et sensuales; spiritus eorum sunt immundi, concupiscentiae et appetitus. Opera muneris sui propter diversoria faciunt; sunt homines bestiae, mortui; et officia sunt illis oneri; vicarios quaerunt, qui functionis opera faciunt; modo retinent nomen et salarium. Dum non in supra recensitis diversoriis sunt, sunt otia et ignaviae; jacent in lecto absque meditatione alia quam quomodo inveniant consortia confabulandi, edendi, bibendique causa; sunt publica onera. Omnes tales post mortem includuntur ergastulis, ubi sub judice administratore sunt, qui illis quotidie indicat opera quae facturi; et si non faciunt, non datur illis cibus, nec vestis, nec lectus; et hoc usque dum ad aliquid utile agendum adiguntur. Abundant inferna talibus ergastulis, de quibus in fine hujus operis aliquid. Illa ergastula putent, quoniam omnis odor gratus est ex vita amoris spiritualis, seu ex vita amoris usus.

De conjunctione charitatis et fidei actum est in *Doctrina Novae Hierosolymae de Fide;* tum in *Explicatione super Apocalypsin;* ut et in *Sapientia Angelica de Divina Providentia;* et in *Sapientia Angelica de Divino Amore et Divina Sapientia.*

Quorum omnia ad haec duo se referunt: 1. Quod non detur granum fidei spiritualis absque charitate, quoniam charitas est vita, anima et essentia fidei; 2. Quod qualis est charitas talis sit fides; et quod fides quae praecedit charitatem, sit fides cognitionum, quae est fides historica, in se scientia.

ARTICULUS PRIMUS.

QUOD PRIMUM CHARITATIS SIT SPECTARE AD DOMINUM, ET FUGERE MALA UT PECCATA.

Quod charitas seu amor erga proximum sit bonum aliis facere, notum est; sed quomodo aliquis bonum faciet, et quibus, ut charitas sit charitas, in sequentibus dicetur. Quisque scit quod nemo possit bonum facere, quod in se bonum est, nisi ab Ipso qui est Ipsum Bonum, seu Bonum in Se, ita nisi a Deo; et quoque potest quisque scire, quod homo, quamdiu est in malo, ita per malum cum diabolo, non possit facere aliud bonum quam impurum, quod exterius apparet ut bonum, sed interius est malum; quod bonum vel est Pharisaicum vel est meritorium; quare necessum est ut praemittatur, qualis homo erit, ut bonum quod procedit ab illo sit in se bonum, ita bonum charitatis.

Sed hoc dicetur in hoc ordine:—

1. *Quod nemo possit habere charitatem nisi a Domino.*
2. *Quod nemo possit habere charitatem a Domino nisi fugiat mala ut peccata.*
3. *Quod homo debeat fugere mala ut peccata sicut a se, sed usque a Domino.*
4. *Quod quantum quis non fugit mala ut peccata, tantum maneat in illis.*
5. *Quod quantum quis non cognoscit et scit peccata quaenam sunt, tantum non videat aliter quam quod absque peccatis sit.*
6. *Quod quantum quis cognoscit et scit peccata quaenam sunt, tantum possit videre illa apud se, confiteri illa coram Domino, et poenitentiam ab illis agere.*
7. *Quod bonum ante poenitentiam non sit bonum, ita nec charitas.*
8. *Consequenter quod primum charitatis sit spectare ad Dominum, ac fugere mala ut peccata, quod fit per poenitentiam.*

N.B. [NOTA EX MARGINE SINISTRA:]—Ex Paulo de amore erga proximum;—si quaeritur quid primum, an fugere illa ut mala, vel an amare proximum.

Quod PRIMUM attinet,

[*1.*] ***Quod nemo possit habere charitatem nisi a Domino:***

Hic ut in sequentibus solum nominamus Dominum, quia Dominus est Solus Deus; est enim Deus coeli et terrae, ut Ipse docet: ....
est Ipse et Pater unum, sicut anima et corpus, ut quoque Ipse docet: ....
est Ipse et Spiritus Sanctus idem, sicut Divinum in Ipso et Divinum ab Ipso; ita est Ipse Solus et Unus Deus, ac Divina Trinitas est in Ipsius Persona, et nominatur Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Nunc quia universa Ecclesia et omnis religio fundatur super idea mei, et super idea quod Deus unus sit, et haec idea nequicquam datur nisi Deus sit unus Essentia et Persona, et haec unitas trinitatis et trinitas unitatis datur in Solo Domino; ideo hic nunc in principio, et postea in sequentibus nominamus solum Dominum. (Videatur insuper *Doctrina Novae Hierosolymae de Domino*, a principio ad finem; tum *Sapientia Angelica de Divina Providentia*, n. —.) Quod nemo possit habere charitatem nisi a Domino, est quia per charitatem intelligitur omne bonum quod homo facit aliis; et bonum quod homo facit aliis est quidem bonum illis quibus fit, sed non est bonum apud illum a quo fit, nisi sit a Deo; omne enim bonum quod in se est bonum, et vocatur bonum charitatis, et quod in sua essentia est bonum spirituale, non potest profluere ab homine, sed a solo Domino; ut enim bonum charitatis seu bonum spirituale sit, Dominus erit in Bono, imo erit Bonum; procedit enim ab Ipso, et quod procedit ab aliquo, hoc trahit essentiam ab illo; est enim ipse in suo; quare si non Dominus foret Bonum quod homo facit proximo, seu quod idem, nisi bonum quod homo facit proximo foret a Domino, non haberet essentiam boni in se, sed haberet essentiam mali; homo enim foret in illo, et homo in se et suo proprio non est nisi quam malum; hoc malum primum removendum est, ut bonum quod procedit ab homine non sit hominis, sed Domini; homo non est nisi quam recipiens vitae; non est vita in se, nam si foret vita in se foret Deus; quare homo non est nisi recipiens boni, bonum enim est vitae, quia amor et sapientia sunt vita, et bonum est amoris, ac verum est sapientiae; haec vita non potest

addici homini ut ejus, est enim homo finitus et est creatus, et non potest Dominus creare et finire Se in alio; sic Ipse non foret amplius, et sic universum genus humanum foret Deus, et unusquisque per se; quod cogitare non modo est irrationale sed etiam abominabile; talis idea de Deo et homine in mundo spirituali putet sicut cadaver. Ex his constare potest, quod non aliquod bonum, quod in se bonum est, et vocatur bonum charitatis, possit dari ab homine sed a Domino, Qui unice est Ipsum Bonum, ita in Se Bonum. Hoc Dominus quidem producit ex Se, sed per hominem. Non datur aliud subjectum per quod Dominus ex Se producat bonum quam homo. Sed usque dedit Dominus homini facultatem sentiendi id apud se, imo sicut a se, proinde sicut suum, propter causam ut faciat illud; nam si sentiret quod non a se sed a Domino, non faceret illud, crederet enim se tunc non hominem, imo nec vivum, et tandem vix aliter quam sicut automaton; et ab experientia scio, quod homo potius vellet mori, quam vivere ex alio in se usque ad sensum; imo nisi homo sentiret bonum quod facit, sicut a se, nec bonum remaneret apud illum, sed transflueret sicut aqua per utrem perforatum, et sic nec posset formari ad coelum, hoc est, reformari et regenerari, et sic salvatus vivere in aeternum. Sed ne homo, ex illa apparentia, attribueret sibi bonum, seu charitatem quam facit proximo, et sic appropriaret sibi malum, loco boni, credendo se vivere ex se, et sic facere bonum ex se, ac sibi addiceret quod Domini est, placuit Domino revelare id in Suo Verbo et docere id; dicit enim Dominus, *Qui manet in Me, et Ego in illo, is facit fructus multos; nam sine Me, non potestis facere quicquam* (*Joh.*,[1]xv., 5, et alibi).

2. *Quod nemo possit habere charitatem a Domino nisi fugiat mala ut peccata.*

Per charitatem intelligitur hic ut supra bonum quod homo facit proximo. Bonum facere proximo potest unusquisque, tam malus quam bonus; sed facere illud ex bono apud se, non potest aliquis nisi a Domino, et nisi fugiat mala ut peccata. Quod nemo possit facere bonum proximo ex bono apud se nisi a Domino, mox supra ostensum est; quod autem nemo possit nisi fugiat mala ut peccata, est quia Dominus non potest influere in aliquem cum bono, ut [2]recipiatur, nisi remota sunt mala apud illum, mala enim non

recipiunt bonum, sed rejiciunt illud; est enim simile cum homine qui in malis est, sicut est cum diabolis in inferno; apud hos influit Dominus cum bono, aeque sicut influit apud angelos in coelo; sed diaboli non recipiunt illud, sed vertunt bonum in malum et verum in falsum, est enim forma vitae illorum talis, et omne quod influit vertitur in simile formae, sicut purus calor solis vertitur in nidores putres et maleolentes dum influit in urinas stagnatas, stercora et cadavera; similiter lux pura solis influens in objecta in quibus omnia sunt inordinata, in colores tetros; similiter calor coelestis, qui est Divinum Bonum, et lux coelestis, quae est Divinum Verum, apud hominem cujus vitae forma est inversa ac formae coelesti opposita. Inde patet, quod quamdiu homo non fugit mala ut peccata, non possit aliter quam amare mala; et amor apud unumquemvis facit formam vitae ejus. Est comparative sicut arbor, quae si mala est, recipit similiter calorem et lucem a sole sicut arbor bona; sed usque non potest producere fructus, nisi formae suae similes, et ita malos; et sunt comparative sicut herbae malignae et noxiae, quae aeque vitam vegetationis suae trahunt ex calore et luce solis, sicut herbae bonae et utiles, et usque non possunt producere aliud quam quod convenit formae illarum. Unusquisque homo est forma sui amoris; non aliud format hominem quoad ejus spirituale, quam amor; si amat mala, fit forma mali, quae est forma infernalis; si vero amet bona, fit forma boni, quae est forma coelestis; inde patet quod nisi homo fugit mala ut peccata, fiat forma mentis ejus quoad spiritualia forma infernalis, quae in se non aliquod bonum a Domino recipit, proinde nec aliquod bonum, quod in se bonum est, producit. Dominus potest producere bonum per unumquemvis hominem, et potest vertere malum, quod malus homo producit, in bonum; potest excitare malum hominem ad faciendum bonum propter se et propter mundum, sed tunc Dominus non influit in ipsius hominis malum, sed circum illud in peripherias ejus, ita in externum ejus, per quod homo vult apparere sicut bonus; quare id bonum est superficie tenus bonum, sed intrinsecus malum; est sicut stercus auratum, apud hypocritas, ut vix credatur aliter quam quod purum aurum sit; sed usque si admovetur nari acutae sensationis, percipitur ex stercore ejus nidor. Sed haec plene ostensa sunt in *Doctrina Vitae*

pro Nova Hierosolyma, in articulo ubi demonstratum, quod quantum homo fugit mala ut peccata tantum faciat bona non a se sed a Domino (n. [1]18–31); quibus hoc solum adjiciam, quod hoc possit quisque ex solo influxu communi ex coelo videre. Sume quemcunque velis, sive famulum, sive colonum, sive operarium, sive nauclerum, sive mercatorem, modo ei aliquod rationale est, ac dic solum quod qui odit malum faciat bonum, et clare videbunt; et quia sciunt quod omne bonum sit a Deo, dic quantum homo odit malum quia est contra Deum, tantum faciat bonum a Deo, et videbunt; at dic similia alicui qui se confirmavit in sola fide, et tunc simul in eo, quod nemo possit facere bonum a se, et non [2]videbit; falsa enim hujus visum rationalem seu intellectum occluserunt, non autem illorum.

3. Quod homo debeat fugere mala ut peccata sicut a se, sed usque a Domino.

Quis non scit, qui legerit Verbum, et cui religio est, quod mala sint peccata. Hoc docet Verbum a principio ad finem, et hoc est omne religionis. Mala dicuntur peccata ex eo, quod sint contra Verbum, et contra religionem. Quis non scit quod nemo possit fugere mala ut peccata nisi sicut a se. Quis aliter potest poenitentiam agere. Annon secum dicet, hoc non volo, ab hoc faciendo desistam, imo quando redit pugnabo cum illo et vincam illud. Sed usque ita nemo secum loquitur nisi credat in Deum; qui non credit in Deum, non reputat malum pro peccato, ita non pugnat contra illud, sed potius pro illo; sed qui credit in Deum, secum etiam dicit, a Deo vincam illud; ac supplicat et obtinet; hoc non negatur alicui, sed datur, quia Dominus in continuo conatu est, ex Divino Suo amore, reformandi et regenerandi hominem, ita purificandi illum a malis; et tunc perpetuus ille conatus Domini fit actus, quando homo etiam vult id ac intendit id; sic et non aliter recipit homo potentiam resistendi malis, et pugnandi contra illa; prius non recipit sed rejicit; hoc itaque est fugere mala ut peccata sicut a se sed usque a Domino. Sed de hac re videatur etiam *Doctrina Vitae pro Nova Hierosolyma* (n. 101–107); quibus haec adjiciam: Dic homini sanae rationis, crede modo quod Christus Filius Dei redemerit te ab inferno, et sic ab omni malo, et supplica ad Deum Patrem ut propterea remittat tibi peccata, ac remittet, et tunc non opus habebis fugere mala ut peccata

sicut a te ; num potes quicquam a te ; quid tunc sicut a te. Et sume lapillum et lignulum ex terra in manum, et dic illi, Ad justificationem et salvationem non potes plus quam hic lapillus et hoc lignulum. At respondebit sanae rationis homo, Scio quod nihil possim ex me, sed usque poenitentiam a malis agam ; hoc docuit Ipse Dominus, hoc Ipsius Apostoli, hoc Paulus, hoc Verbum, hoc omnis Religio ; num poenitentiam agendo nihil faciam sicut a me. Tunc dicetur, Quid facies cum nihil potes. Fac si vis ; ego poenitentiam ago per fidem, et fides absque operibus salvat. Sed sanae rationis homo respondebit, Erras, magister ; Dominus docuit me facere, et docuit me credere ; pro te sit fides ; pro me erunt fides et opera simul ; scio quod homo post mortem redditurus sit rationem operum suorum, et quod quisque sicut facit ita credat.

4. Quod quantum quis non fugit mala ut peccata tantum maneat in illis.

Homo creatus est in imaginem et in similitudinem Dei, et factus ut sit recipiens amoris et sapientiae Domini ; sed quia non voluit recipiens esse, sed ipse amor et ipsa sapientia, ita similis Deo, ideo convertit formam suam, ac avertit affectiones et cogitationes suas a Domino ad se, ac semet plus quam Dominum coepit amare, imo colere, et sic abalienavit se a Domino, et retro ab Ipso spectavit, et sic pervertit imaginem et similitudinem Dei apud se, et fecit illam in imaginem et similitudinem inferni ; hoc significatur per quod ederit ex arbore scientiae boni et mali ; per serpentem cui obedivit, significatur sensuale quod est ultimum naturalis hominis, et ejus cupiditas ; sensuale illud hominis, quia exstat mundo, ac recipit inde sua objecta, amat quae mundi sunt ; et si datur ei dominium, abstrahit illud mentem ab objectis coeli, quae sunt bona amoris et vera sapientiae, in se Divina ; ex hac origine est, quod homo quoad proprium suum non sit nisi quam malum, et quod in illud a parentibus nascatur ; sed ne ideo pereat, provisa sunt media a Domino, quae sunt, spectare ad Dominum et agnoscere quod ab Ipso omne bonum amoris et omne verum sapientiae sit, et a semet nihil ; sic invertit formam suam, avertendo a semet et convertendo ad Dominum ; et sic redit ad statum in quem creatus est, et qui fuit, ut dictum est, quod esset recipiens boni et veri a Domino, et nullatenus a semet ; et quia pro-

prium hominis per reversionem illam factum sit mere malum, est alterum medium recuperationis imaginis Dei, fugere mala ut peccata; nam si non fugit mala ut peccata, sed modo ut damna, usque non spectat ad Dominum sed ad semet, et sic permanet in statu perverso; dum autem fugit mala ut peccata, fugit illa quia sunt contra Dominum et contra leges Divinas Ipsius, et tunc supplicat ad Dominum de ope et de potentia resistendi illis, quae potentia supplicata nusquam negatur; per haec duo media purificatur homo a malis sibi connatis; quare si illa duo media non amplectitur, non potest aliter quam manere qualis natus est; non potest purificari a malis si solum spectat ad Deum et orat; tunc enim credit postquam oraverat quod prorsus absque peccatis, seu quod remissa, per quod intelligit quod sint ablata: at sic usque manet in illis; et manere in illis est augere illa; nam sunt instar morbi qui circum se depascit omnia et mortificat; nec mala removentur per solum fugere illa, nam sic spectat ad se, et per id confirmat originem mali, quae fuit quod semet retro verterit a Domino et converterit ad semet.

5. Quod quantum quis non cognoscit et scit peccata quaenam sunt, tantum non videat aliter quam quod absque peccatis sit.

Omnis homo amat proprium suum, tam proprium voluntarium quam proprium intellectuale; proprium voluntarium est malum, et proprium intellectuale est falsum ex illo malo, ita est falsum mali; et quia omnis homo amat sua propria, ita amat malum et ejus falsum, et quia omne quod amatur etiam jucundum est, ideo non scit aliter quam quod malum apud se sit bonum, et quod falsum ejus sit verum; omne enim id dicitur bonum quod est jucundum. Ex his primum videri potest, quod nisi homo cognoscat et sciat peccata quaenam sunt, tantum non videat aliter quam quod absque peccatis sit. Sed quia homo amat malum suum et hujus falsum, quia amat proprium, non potest scire quid malum et inde quid falsum a semet, sed videbit id aliunde; videbit id ex praeceptis religionis, quorum omnia se referunt ad decem praecepta Decalogi; quae praecepta si ex animo rejicit, nequaquam potest videre aliter quam quod absque peccatis sit; et tunc quia ex infantia initiatus est in cultum Dei, et ex doctrina Ecclesiae novit quod peccator sit a prima origine et dein a nativitate, incipit confiteri quod peccator sit; sed

usque, quia ignorat quid peccatum, credit usque quod non peccator sit. Audivi aliquos dicentes quod peccatores sint, quod in omnis generis peccatis a conceptione et a nativitate sint, quod nihil integrum a capite ad volam pedis sit apud illos, et plura similia; et quia non sciverunt quid peccatum, non sciverunt quod amor sui et fastus sint capita omnium peccatorum; non sciverunt [quod] odio habere et vindicare, modo non honoratur ac colitur sicut semideus, sit peccatum; nec quod blasphemare proximum pro inimicitia, et sic testari false contra ipsum, sit peccatum; nec [quod] fallere aliquem verbis et factis sit peccatum; nec quod contemnere alium prae se, invidere ei sua bona, concupiscere illa, sit peccatum; tum meritum ponere in omnibus cultus Dei, tam in fide quam in charitate, sit peccatum; praeter innumera alia; audivi ex illis quod non sciverint talia esse peccata, imo nec aliquid, qualecunque sit, quod quis cogitat et non loquitur, et quod quis vult et non facit: ex illa ignorantia [unus] dixit quod non sciat quod peccator sit; et si sim, dixit, sum purificatus ab illis cum oravi quod non sciam mea peccata, Deus, remitte illa; at idem, cum exploravit se, quod factum est in mundo spirituum, animadvertit quod peccata ejus in tali numero essent ut non posset illa effari, et quoque quod potuisset si voluisset cognoscere ac scire illa; sed dixit quod hoc noluerit, quia sic abstineret etiam ab illis cogitandis et volendis, quod facere foret contra jucundum vitae ejus. Ex his nunc patet, quod quantum quis non cognoscit et scit peccata quaenam sunt, tantum non videat aliter quam quod absque peccatis sit.

6. Quod quantum quis cognoscit et scit peccata quaenam sunt, tantum possit videre illa apud se, confiteri illa coram Domino, et poenitentiam ab illis agere.

Hoc consequitur ex illis quae nunc dicta sunt. Ut homo videat quaenam peccata sunt, ideo primum Verbi fuit Decalogus, et ideo quoque Decalogus est complexus omnium Verbi, quare vocatur decem Verba, et per decem Verba significantur omnia vera in complexu, et ideo similia praecepta sunt apud omnes gentes in universo apud quas est religio; et homo qui scit quod sint leges Divinae, et ideo [quod] qui facit contra illa faciat contra Deum seu peccet, potest recipere influxum Divinum, et tunc etiam voluntatem

seu conatum sicut a se, quod velit desistere ab illis et poenitentiam agere. Confessio peccatorum suorum coram Domino facit conjunctionem cum Ipso, ac receptionem influxus ab Ipso; et tunc Dominus id facit, at usque dat homini facere sicut a se; alioquin homo non faceret; Dominus tunc operatur in [illum] per intima usque ad extrema, ac removet concupiscentias, quae sunt radices mali; hoc nequit ipse homo a se; homo a se non operatur nisi in extrema, et tamen intima faciunt illa; quare si homo a se removeret illa, usque manent.

7. Quod bonum ante poenitentiam non sit bonum, ita nec charitas.

Homo ante poenitentiam est in malo, est mere malum, est enim forma mali et imago inferni; per poenitentiam autem removetur malum et implantatur bonum; ex quibus sequitur quod bonum ante poenitentiam non sit bonum; bonum ante poenitentiam non fit a Domino, sed ab homine; quare non essentiam boni sed essentiam mali intus in se habet, utcunque in sua forma exterius apparet sicut bonum: hoc non cognoscitur in mundo, sed manifeste post mortem: auditur ex ipso sono loquelae, imo quidnam malum in illo sit, si fraudulentum, si invidum, si gloriosum, si superbum, si blasphemum, si hypocriticum, imo si meritorium; omnes voces loquelae sonant ex malo quod in illa; et spectat unice semet. At bonum post poenitentiam est prorsus aliud; est plenum bonum apertum ab Ipso Domino, est amabile, est innocens, est gratum, coeleste; est Dominus et coelum in illo; est ipsum bonum in illo; est vivum, formatum a veris; quicquam est ex bono, in bono, et ad bonum, non est nisi aliquis usus proximo, et inde est inservire; in quovis spiraculo removet se et proprium suum, ita malum; forma ejus est sicut forma floris venusti et pulchre colorati, qui exsplendescit a radiis solis. Quare etiam N.B. apud illos qui in bono sunt, sunt formae quae nusquam possunt comprehendi a naturali homine; non possunt pingi, nec possunt describi; illae formae sunt formae boni. Vere dicitur quod sint formae boni; sed ipsa forma sunt vera, at vita ejus est bonum amoris; bonum enim ponit vera in formam sibi congruam, et omne verum ejus vivificat. Tale est bonum post poenitentiam.

8. Consequenter quod primum charitatis sit spectare ad Dominum, ac fugere mala ut peccata, quod fit per poenitentiam.

Quis non intelligit quod homo prius purificandus sit a malis, quam possit bonum facere quod bonum est. Annon poculum purificandum est; et nisi purificetur, trahit vinum ex sorde ejus saporem. Et annon patina purificanda est, antequam cibus immittitur; si enim interiora patinae sunt merae sordes, annon cibi aversationi sunt. Num aliquod purum e coelo potest influere in hominem, dum non est nisi quam impurus et immundus; annon impura et immunda prius removenda sunt. Imple cubiculum tuum stercoribus, et annon tota domus tetre olebit; an quisquam potest intrare; annon si qui intrat dicit, non possum, et aversatur domum, dicens, haec pro suibus est. Quare antequam Dominus potest influere cum bono, removendum est malum; periculum enim est prius influere, nam vertitur in malum et auget id; ideo primum est removere malum, et postea influere cum bono et id operari per hominem; qui petit ut faciat bonum a Domino antequam remotum est malum per poenitentiam, seu nisi fugiat mala ut peccata, is petit impossibilia, et talia quae illum facient pejorem, quoniam bonum vertitur in malum apud malum, et sic prophanatur bonum. Quod removendum prius sit malum, patet clare a praeceptis Decalogi; quis qui vult occidere hominem, seu odio habet illum, amat illum; qui scortatur cum alterius uxore, non amat proximum; qui furatur et defraudat proximum, non amat illum; qui blasphemat proximum, non amat illum; qui cupiscit illa quae proximi sunt, non amat illum; quare illa mala prius removenda sunt; et sicut illa removentur, tantum amatur proximus. De his dicit ita Paulus: . . . .

Sed quaeritur an amor erga proximum erit primum, vel fugere mala illa erit primum. Quisque potest videre quod fugere illa mala erit primum; quia homo natus est in malum, annon poenitentiam tum aget.

N.B. N.B. N.B. N.B. N.B.

[ARTICULUS] SECUNDUS.

Quod secundum charitatis sit facere bonum proximo.

[Ex] *Esaja*, capite 1mo; et de poculo et patina quae intus purganda prius.

Quod si non purgantur, [1]appareant usque exterius bona; quod hoc sit Pharisaicum seu hypocriticum, vel quoddam naturale in quo non spirituale, ita bonum spurium; et si fit propter salutem, est bonum meritorium.

Sed haec illustranda sunt in hoc ordine:—

1. *Quod non velle malum facere proximo sit amare illum.*
2. *Quod velle bonum facere proximo sit amare illum.*
3. *Quod quantum homo non vult malum facere proximo, tantum velit ei facere bonum ex charitate; et non vicissim.*
4. *Quod inde sequatur, quod primum charitatis sit spectare ad Dominum et fugere mala ut peccata; et quod secundum charitatis sit facere bonum proximo.*

---

1. Quod non velle facere malum proximo sit amare illum.

Qui enim amat alterum, non facit illi malum; dicit etiam Paulus, quod qui amat proximum, servet praeceptum Decalogi, non vult occidere, non vult scortari cum uxore alterius, non vult furari, non falsum testem agit; quare dicit quod plenitudo legis sit charitas. Sed quaeritur quid prius et quid posterius, num prius sit amare proximum, et ex amore illo illa non facere, vel num prius illa mala a se removere, et sic amare proximum. Hoc evidens est, quod qui amat proximum illa non faciat. Sed quaeritur quomodo quis potest amare proximum, num possit antequam illa mala fugit, et pugnat contra illa. Apparet sicut ipse ille amor pugnat; et pugnat, sed non priusquam cum in illo est; sed quod in illum amorem non possit venire, nisi prius removeat mala illa, constare potest ex eo, quod unusquisque homo ex nativitate sit in omnis generis malis, quod non concupiscat aliud quam quod malum est, et quod si non poenitentiam ab illis agit, inibi maneat; quare illa mala obstant, ut non ex amore spirituali illo possit amare proxi-

mum; quare Paulus etiam dicit quod caro sit contra spiritum, et quod crucifigenda sit caro cum sua concupiscentia, et quod homo sic fiat spiritualis et nova creatura; exinde videri potest, quod quantum homo crucifigit carnem, tantum vivat [in] spiritu; cum itaque homo talis est ex nativitate, sequitur quod spiritus ejus non possit amare proximum nisi crucifigat carnem suam, quod fit per poenitentiam; et quantum hoc facit, tantum ex spiritu, hoc est, interius, amet proximum; et quod amare proximum prius ex corde, sit contra naturam hominis. Invaluit fides in Christiano orbe quod qui fidem habet, amet proximum; sed illa fides est erronea; non potest aliquis habere fidem in qua aliquod vivum est, nisi fugiat mala ut peccata, imo quantum fugiat illa. Ex his nunc patet quod *primum charitatis sit non facere malum proximo;* nam non malum facere proximo est pugnare contra mala apud se, et poenitentiam ab illis agere; et quod *secundum charitatis sit bonum facere proximo.* Potest quis ex principio quod Christianum sit non facere malum proximo, etiam non facere; at qui ex solo illo principio non malum facit proximo, et bonum ei facit, usque non amat illum; sed facit ei non malum, ex obedientia legis Divinae, et non ex affectione amoris erga proximum; de hac affectione non scit aliquis, sed qui fugit mala ut peccata, hoc est, qui non amat mala; ille venit in affectionem illius amoris. Aliud enim est ex obedientia non facere malum sed facere bonum, et aliud est ex affectione amoris erga proximum non facere ei malum, sed facere illi bonum: differentia est sicut in- N.B. [ter] calorem et lucem nocturnam ex luna et stellis, et inter calorem et lucem diurnam ex sole; in obedientia non est calor amoris istius, nec est lux amoris istius; sed in affectione est; nam affectio amoris est calor; quare etiam illi qui ex obedientia fecerunt bonum, in ultimis coeli N.B. sunt, et in luce et calore sicut lunae; etiam lux intellectus illorum est umbrosa; non vident aliqua vera spiritualia in luce. Discrimen etiam est quod qui faciunt bonum ex obedientia faciant illud ex timore poenae, et sic quoque abstineant a malis faciendis; sed qui ex affectione faciunt bonum, illi non ex timore poenae faciunt; imo, [quod] qui ex obedientia faciunt bonum sint naturales, at qui ex N.B. affectione faciunt sint spirituales; tum qui faciunt bonum ex obedientia sint qui [1]reformantur; praecedit etiam;

at qui ex affectione, regenerantur; hoc sequitur in ordine. N.B. Omnes illi qui crediderunt hominem salvari per solam fidem, si Christiane vivunt, confitendo quod peccatores sint, ac qui non exploraverunt se, ex obedientia faciunt bonum, et non ex affectione; imo nec sciunt quicquam de fide, nec de amore, nec de Deo, praeter quod a praedicatore audiunt; benefaciunt usque. [1]Qui ex obedientia faciunt bonum illi praeeunt in beneficiis, quae sunt dare N.B. pauperibus, opitulari egenis, et dotare templa et hospitalia; et non possunt aliter quam in illis meritum ponere, nec intelligunt Verbum aliter ubi dicitur quod illis merces futura sit; nec sciunt quod ipsa affectio boni cum ejus jucundis sit merces.

N.B. Ipsa affectio amoris est sicut flamma, ex qua lux in veris; causa est quia Dominus influit in affectionem hominis, et dat lucem; etiam amor in mundo spirituali apparet e longinquo ut flamma; quandoque sicut flammae descendunt e coelo, quae sunt affectiones boni et veri ita apparentes. Est sicut qui honorat regem, magistratum, et praefectum, secundum leges subordinationis, et sic caeteros; et tunc non interius amat illum; hic amat illum qui videt in illo [bonum].

XII.

Quod non Ecclesia sit ubi non verum fidei, et non Religio ubi non bonum vitae.

Ecclesia et religio unum faciunt sicut verum et bonum; et quia verum est fidei et bonum est charitatis, unum faciunt sicut fides et charitas; ac ut adhuc clarius intelligatur, unum faciunt sicut intellectus et voluntas. Notum est quod homo possit bene intelligere et usque non bene velle, et quod possit intelligere vera et inde loqui illa, et usque non

ex velle facere illa; at cum vult sicut intelligit, et facit sicut loquitur, tunc unum faciunt voluntas et intellectus apud illum. Simile est cum Ecclesia et cum [1]Religione; Ecclesia est Ecclesia ex doctrina ejus; et Religio est Religio ex vita secundum doctrinam; et doctrina erit ex veris, et vita erit ex bonis.

Sed ut haec in clariorem lucem veniant, explicanda sunt in hoc ordine:—

1. *Quod omnia vera fidei in Eccclesia sint ex Verbo.*
2. *Quod vera fidei quae ex Verbo sunt, doceant quid credendum est et quid faciendum, ut homo sortiatur vitam aeternam.*
3. *Quod Ecclesia dicatur ex doctrina, ac Religio ex vita secundum illam.*
4. *Quod apud illos qui in fide separata a charitate et doctrina et vita sunt, non sit Ecclesia nec Religio.*

[ARTICULUS] QUARTUS.

QUOD PROXIMUS AMANDUS SIT SECUNDUM EJUS BONUM SPIRITUALE, ET INDE MORALE, CIVILE ET NATURALE; CONSEQUENTER QUOD PROXIMUS QUI AMANDUS EST, IN SPIRITUALI SENSU SIT BONUM.

[Exponentur in hoc ordine:—]

1. *Quod homo non sit homo ex facie et corpore, sed ex bono voluntatis ejus.*
2. *Quod cum bonum voluntatis hominis amatur, ipse homo ametur.*
3. *Quod homo sit homo ex bono spirituali ejus, et non ex bono morali, civili et naturali separatis a bono spirituali.*

4. *Quod quale est bonum spirituale hominis, tale sit bonum morale, civile et naturale ejus, quia haec tria bona ex unico illo vitam suam trahunt.*

5. *Consequenter quod proximus qui amandus est in spirituali sensu sit bonum.*

OBS.:—Quod bonum spirituale sit bonum charitatis, ita Dominus, coelum, et Ecclesia apud illum; quia talis est homo in bonis derivatis.

[ARTICULUS] TERTIUS.

QUOD PROXIMUS QUI AMANDUS EST, IN NATURALI SENSU SIT CONCIVIS, SIT SOCIETAS MINOR ET MAJOR, SIT PATRIA, ET SIT GENUS HUMANUM.

ORDO ET DISPOSITIO.

I.—Quod primum charitatis sit spectare ad Dominum, et fugere mala quia sunt peccata, quod fit per poenitentiam.

II.—Quod secundum charitatis sit facere bona quia sunt usus.

III.—Quod proximus in spirituali idea sit usus, et quod usus sit bonum charitatis, bonum civile in statu civili, et bonum spirituale; et quod objecta charitatis sint in stricto sensu homo in singulari, in latiori sensu societas, in adhuc latiori patria,* et in latissimo genus humanum; et quod haec sint proximus.

[a]IV.—Quod homo sit subjectum charitatis, et quale est subjectum talis est charitas ejus quam exercet.

[b]IV.—Quod ipsa charitas sit sincere, juste et fideliter agere in omni opere quod cujusvis officii est, et quod homo per id fiat charitas.

V.—Quod signa charitatis sint omnia quae cultus sunt.

VI.—Quod beneficia charitatis sint omnia bona, quae homo qui est charitas facit extra suum officium ex libero.

VII.—Quod debita charitatis sint omnia praeter supra nominata, quae hominem oportet facere.

VIII.—Quod diversoria charitatis sint variae jucunditates et amoenitates corporis et ejus sensuum.

IX.—Quod charitas non sit charitas absque fide, et quod fides neque sit fides absque charitate; et quod unum sint sicut essentia et forma.

X.—Quod qualis est charitas talis sit fides; et quod fides quae praecedit charitatem sit fides cognitionis, quae est fides historica, in se scientia.

XI.—Quod in charitate sit conjunctio hominis cum Domino et Domini cum homine.

XII.—Quod charitas, seu amor erga proximum, etiam sit amor in Dominum.

---

* [Nota ex Margine sinistra:]—Ecclesia.

NOTAE CRITICAE EDITORIS.

Pag.	*Sig.*	
8	1	"cum" *fortassis est ab auctore deletum.*
	2	sed si *pro* "si sed"
9	1	Hoc *nisi legeris* "Hinc"
	2	"ex homine;" *sic photolith. Ab editore legeretur* ex Domino.
13	1	debeat *pro* "se debeat"
17	1	inclusae aut vinctae *pro* "inclusi aut vincti"
	2	puniunt, *sic exemplum vetustum, curâ Aug. Nordenskjöld transcriptum. Quod sistit in photolith., forte est semideletum.*
23	1	hominibus, est in amore et sapientia; *pro* "hominibus est, in amore et sapientia sunt"
25	1	verum, *pro* "verum est"
27	1	est *pro* "sit"
	2	cogitatione *pro* "cogit-attentione"
	3	imaginatio *pro* "imanatio"
31	1	spectant *pro* "spectat"
	2	*Inter paragraphos, cohaerentia cum verbis ab auctore deletis, sistunt haec:* "Quod homo sit forma coeli."
34	1	communi continue, et fit *pro* "communi, continue et fit"
	2	"spartae:" *sic, nisi legeris* sportae. "Sportas" *scripsi, pag.* 42, *l.* 15 *ab infra.*
35	1	malefaciant *pro* "malefaciat"
	2	quia perpetuo *pro* "quia illa perpetuo"
38	1	illa *pro* "illis"
	2	*Restitui* "(*Joh.*, iii., 35; xvii., 12; *Matth.*, xi., 27)," *quod semideletum est.*
40	1	facit *pro* "faciunt"
44	1	si successive *pro* "si simul successive"
45	1	illis *pro* "illisque"
50	1	xv., 5, *pro* "xiv."
	2	ut recipiatur, nisi remota sunt mala apud illum, mala enim non recipiunt bonum, *pro* "ut recipiunt bonum,". *Linea integra, in editione photolithographica fortuito omissa, ex "Editione Emendata" suppleta est.*
52	1	18–31 *pro* "15–31"
	2	videbit *pro* "videbunt"
58	1	appareant *pro* "appareat"
59	1	reformantur *pro* "reformatur"
60	1	Qui *pro* "Illi qui"
61	1	Religione *pro* "Religio'

INDICES RERUM

IN OPERE DESIDERATO

Sapientia Angelica de Conjugio

OPUSCULA POSTUMA

EMANUELIS SWEDENBORGII

EX APOGRAPHO ARTE PHOTOLITHOGRAPHICA CONFECTO NUNC PRIMUM TYPIS EXSCRIPTA

NEW YORK

AMERICAN SWEDENBORG PRINTING AND PUBLISHING SOCIETY

20 COOPER UNION

MDCCCLXXXVI

PRAEFATIUNCULA EDITORIS.

Rerum in opere *Sapientia Angelica de Conjugio*, indices bini, Auctoris ipsius manu conscripti, in Academia Regia Scientiarum Holmiensi adhuc conservantur.

Opus ipsum non est inventum. Indices illos, autem, typis nunc primum exscribendos curavimus.

Ad nostram editionem adornandam, exemplari ex autographo Auctoris arte photolithographica confecto, anno 1870 edito, usi sumus.

De hoc opere, videantur *Documenta* ab Doctore R. L. Tafel collecta, pag. 1003, 1004.

SAMUEL H. WORCESTER.

BRIDGEWATER, MASS., *mense Octobris* 1885.

[*[1]SAPIENTIA ANGELICA DE CONJUGIO.]

[ORDO ET DISPOSITIO CAPITUM.]

[*PARS PRIMA.*†]

---

* [*Signa numeralia, hic et alibi, ad* Annotationes Editoris *referunt. Vide pag.* lx.]

† [Nota e margine superiore:—]De imputatione utriusque amoris, p. 182, n. 523. [*Sed videatur pagina nostra*, 6, x.]

‡ [*Sic articulos operis De Amore Conjugiali, anno* 1768 *editi, ubi de similibus agitur, indicavimus.*]

§ [Annotationes ex editione photolith., *pag.* 20:—]vii. Universalia:—Quod sphaera conjugialis e caelo unice influat in uxorem, et per illam in maritum, et quod recipiatur a marito secundum ejus sapientiam.

Quod delicium amoris conjugialis sit sanctum et castum.

Quod amor ille spectet aeternum.

(*Aliquid*, n. 236, iii., iv., v., vi., vii.)

‖ [Annotatio ex editione photolith., *pag.* 20:—](ix. *Vide etiam aliqua*, n. 764.)

¶ [Annotatio e margine sinistra:—](x. *Aliqua* n. 223, *quae desumantur; et* n. 1252.)

[*PARS ALTERA.*]

---

* [Annotationes ex editione photolith., *pag.* 20:—]xi. Quod conjungantur quoad mentes et tandem quoad animas; quae conjunctio est,—

Quod conjungantur quoad officia.
Quod conjungantur quoad interna plus et plus, usque ut velint esse unum.
Quod a creatione unio illa inscripta sit.
Quod quo plus uniuntur eo plus sentiant statum beatitudinis per jucunda pacis. (*Videatur etiam* n. 854, iii., iv.; n. 2007, 2023, 2036, 2047, 2048.)
Quod rationalis sapientia et moralis simul conjungantur. (*Quid una et quid altera.*)

CONTENTA IN COMMUNI.

1. *De conjugiis in caelo* (n. 2–30 [*De Am. Conj.*, n. 27–41]).
2. *De origine amoris conjugialis* (n. 31–76 [*De Am. Conj.*, n. 83–102]).
3. *De deliciis amoris vere conjugialis* (n. 77–146 [*De Am. Conj.*, n. 183; *conf.* 69, 144, 155, 293, 294]).
4. *De nexu amoris conjugialis cum omnibus amoribus caeli* (n. 147–222 [*De Am. Conj.*, n. 388–390]).
5. *De amore conjugiali masculino et feminino in specie, et de intelligentia utriusque* (n. 223–303 [*De Am. Conj.*, n. 218; *conf.* n. 32, 61, 88, 90, 168]).
6. *De conjugio boni et veri* (n. 304–407 [*De Am. Conj.*, n. 83–102, 122, 123]).
7. *De differentiis et varietate amoris conjugialis secundum status ecclesiae apud homines* (n. 408–568 [*De Am. Conj.*, n. 130]).
8. *De incrementis amoris vere conjugialis et de decrementis amoris non vere conjugialis* (n. [1]569–763 [*De Am. Conj.*, n. 162, 184–200, 213, 214, 432, 433]).*
9. *De similitudine et dissimilitudine conjugiali* (n. [2]765–882 [*De Am. Conj.*, n. 227–229, 246]).
10. *De causis frigorum, separationum, et divortiorum inter conjuges* (n. 853–1018 [*De Am. Conj.*, n. 234–260]).
11. *De polygamia seu pluralitate uxorum* (n. 1019–1110 [*De Am. Conj.*, n. 332–352]).
12. *De desponsationibus et nuptiis* (n. 1111–1193 [*De Am. Conj.*, n. 295–314]).
13. *De discrimine inter amorem sexus apud bestias, et amorem sexus apud homines* (n. 1194–1251 [*De Am. Conj.*, n. 94, 137, 230, 416; *vide etiam opusculum postumum De Divino Amore*, xxi.]).
14. *De mutatione status feminae et viri per conjugium, ex qua virgo fit uxor, et juvenis fit maritus* (n. 1252–1286 [*De Am. Conj.*, n. 184–200]).
15. *De statu viduorum et viduarum, et de iteratis conjugiis* (n. 1287–1300 [*De Am. Conj.*, n. 317–325]).

---

* [Annotatio e margine inferiore:—]Universalia de amore conjugiali (n. 569–763) videantur; imprimis n. 723 ad finem, de amore masculino et feminino; tum n. 564–852.

16. *De conjugio Domini cum ecclesia* (n. 1301–1344 [*De Am. Conj.*, n 116–131]).

17. *De correspondentia conjugii Domini et ecclesiae cum conjugialibus angelorum et hominum* (n. 1345–1457 [*De Am. Conj.*, n. 125–127]).

18. *De potentia conjugiali naturali et de potentia conjugiali spirituali* (n. 1459–1585 [*De Am. Conj.*, n. 220, 221]).

19. *De causis amoris, amicitiae, et favoris inter conjuges* (n. 1586–1641 [*De Am. Conj.*, n. 180, 214, 290]).

20. *De amore infantum seu storge* (n. 1642–1700 [*De Am. Conj.*, n. 176, 211]).

21. *De conjunctione amoris conjugialis cum amore infantum seu storge* (n. 1701–1718 [*De Am. Conj.*, n. 385–414]).

22. *De statu duorum conjugum post mortem* (n. 1719–1737 [*De Am. Conj.*, n. 45–54]).

DE AMORE SCORTATORIO (n. 1738, *seq.*).

1. *De zelotypia* (n. 1739–1791 [*De Am. Conj.*, n. 357–379]).

2. *De fornicatione* (n. 1792–1848 [*De Am. Conj.*, n. 444[*]–460]).
   Ibi,—
   (1.) *De pellicatu* (n. 1806, *seq.* [*De Am. Conj.*, n. 459, 460]).
   (2.) *De libidine varietatum* (n. 1811 [*De Am. Conj.*, n. 506–510]).
   (3.) *De libidine deflorationis* (n. 1814 [*De Am. Conj.*, n. 501–505]).
   (4.) *De libidine violationis* (n. [1]1819 [*De Am. Conj.*, n. 511, 512]).
   (5.) *De libidine seducendi innocentias* (n. 1823 [*De Am. Conj.*, n. 513, 514]).

3. *De concubinatu* (n. 1849–1873 [*De Am. Conj.*, n. 462–476]).

4. *De adulteriis* (n. 1874–1909 [*De Am. Conj.*, n. 478–499]).

5. *De oppositione amoris conjugialis et amoris scortatorii* (n. 1910–1949 [*De Am. Conj.*, n. 423–443]).

6. *De correspondentia scortationum et adulteriorum cum violatione conjugii spiritualis, quod est boni et veri* (n. 1950–2001 [*De Am. Conj.*, n. 515–520]).

([2] *Vide plura, etc.*)

[[1]ARTICULORUM CONTENTA RELIQUORUM.]

1. *De perceptione et sapientia propria viri et propria feminae, et de conjunctione utriusque per illas* (n. 2007 [*De Am. Conj.*, n. 163–173]).
2. *De officiis propriis viri et propriis feminae et de conjunctione utriusque per illa* (n. 2023 [*De Am. Conj.*, n. 174–176]).
3. *De transcriptione amoris proprii apud virum in amorem conjugialem apud uxorem* (n. 2036 [*De Am. Conj.*, n. 32, 156[*]]).[2]
4. *De facultatibus, inclinationibus, affectionibus, et qualitatibus virorum et feminarum, ac de conjunctione illarum per conjugium* (n. 2047 [*De Am. Conj.*, n. 163–180]).
5. *De propriis apud virum et feminam, et de transcriptione illorum in amorem conjugialem* (n. 2048 [*De Am. Conj.*, n. 32, 156, 163–173]).
6. *De frigoribus in conjugiis* (n. 2049 [*De Am. Conj.*, n. 234–260]).
7. *De difficultatibus intelligendi conjunctiones conjugum, et inde varietatibus* (n. 2050).[3]

DE MEMORABILIBUS.

Visi e tertio caelo conjuges vecti in curru, et descendentes; et descripti quoad facies et vestes; qui mecum locuti, demiserunt membranam in qua arcana amoris conjugialis (n. 1, pag. 16 [*De Am. Conj.*, n. 42, 43]).

De correspondentia amoris conjugialis cum igne, cum coloribus iridis, cum fragrantiis, cum rosariis, arboreis, cum volatilibus et animalibus, repraesentata ab angelis (n. 29, pag. 42½, 43 [*De Am. Conj.*, n. 76, 293, 294, 316]).

De horto nuptiali qui apparet circa domos dum nuptiae factae sunt; et de Divina Providentia circa conjugia: ex sermone cujusdam sapientis in illo horto (n. 76, pag. 49 [*De Am. Conj.*, n. 316]).

Quod visi e tertio caelo conjuges; primum infantes decorati sertis, postea ut in sua statura: quod mille annos vixerint in beatitudine conjugiali. Describitur ibi amor conjugialis, quod sit a sapientia et amore sapientiae, et apud illos qui usus faciunt, etc. (n. 146, pag. 50 [*De Am. Conj.*, n. 137]).

Aliquid de magnificis et splendidis in caelo; et postea, unde angelis perpetua potentia: confirmatum per rationes ab angelo (n. 222, pag. 46½, 47 [*De Am. Conj.*, n. 12–20, 355, 356]).

De charta, cui inscriptum "Conjugium boni et veri;"—qualis apparuit in via dum ab angelo delata in terram, et mutata; et de conjugio illo plura, in universo caelo et in ecclesia (n. 301, pag. 46 [*De Am. Conj.*, n. 115]).

Adulteri visi sicut satyri cum scortis in silva, et ibi in cavernis, et postea in domo; ubi loquebantur de conjugiis, de natura, et de religione, nefanda (n. 407 [*De Am. Conj.*, n. 521])

Deliberatio de Deo et natura,—(1.) Num natura sit vitae, vel num vita sit naturae: (2.) Num centrum sit expansi, vel num expansum sit centri: (3.) De centro et expanso naturae et vitae (n. 568, pag. 79 [*De Am. Conj.*, n. 380]).

De quodam horto, in quo plura paria conjugum, et ibi loquelae de amore, sapientia, et usu; quod tria illa procedant a Domino, et quod inde amor conjugialis et ejus ineffabiles deliciae; de quibus et quorum origine, multa (n. 763, pag. 41 [*De Am. Conj.*, n. 183]).

De juvene gloriante ex scortatione, qui ductus in caelum, et ibi per vices tenebatur in externis et per vices in internis; et quod dum in externis viderit caelestia, at vero dum in internis viderit opposita (*de quibus*, n. 852, pag. 77 [*De Am. Conj.*, n. 477]).

Quod sequendo lucem venerim ad Templum Sapientiae, circum quod habitabant sapientes; et ibi sermo cum illis de causa pulchritudinis sexus feminini (n. 1018, pag. 45 [*De Am. Conj.*, n. 56]).

De novis revelatis a Domino: ut de sensu spirituali Verbi, et correspondentiis, de caelo et inferno, de mundo spirituali et Sole ibi; tum de amore conjugiali, quod sit secundum religionem: sed quod non recipiantur in mundo, testatum per experientiam (n. 1108, pag. 88[? 48]; *adde* 50 [*De Am. Conj.*, n. 532–534]).

Ventilationes a sapientibus,—(1.) Quid imago Dei et similitudo Dei: (2.) Quod homo nascatur in nullum amorem et in nullam scientiam sicut bestiae, sed in solum facultatem ad sciendum et inclinationem ad amandum: (3.) De arbore vitae et de arbore scientiae boni et mali (n. 1193, pag. 60 [*De Am. Conj.*, n. 132–136]).

De Athenaeo, Parnassio, et Heliconeo, et loquela cum vetustis sophis ac binis advenis e terra, de hominibus inventis in silvis, et de illis quae pro natura et pro vita bestiarum relativa ad vitam hominum dixerunt (n. 1251, pag. 64 [*De Am. Conj.*, n. 151[*]–154[*]]).

Quod iterum ad Athenaeum adducti sint tres advenae, sacerdos, politicus, et philosophus, qui retulerunt de novis e terra quod quidam scripserit de vita hominum post mortem et de mundo spirituali, et quid de his ratiocinantur in terris (n. 1286, pag. 66 [*De Am. Conj.*, n. 182]).

Tumultus contra tres sacerdotes qui praedicaverunt quod adulteris non sit agnitio Dei, et inde non caelum; et quid illis evenerit e caelo (n. 1300, pag. 75 [*De Am. Conj.*, n. 500]).

De novitio qui meditatus est de caelo et inferno, cui dictum quod inquireret et disceret quid jucundum; et quod deductus sit ad tres caelos in quibus didicit quid jucundum caeli et quid jucundum inferni (n. 1344, pag. 54 [*De Am. Conj.*, n. 461]).

Spirituum disputatio de Deo et de natura, pro natura ex diabolis, et pro Deo ex angelis; et quod homo possit se pro Deo confirmare ex visibilibus plus quam pro natura; allata quae de hoc scripta sunt in *Sapientia Angelica de Divino Amore et Divina Sapientia* (n. 1458, pag. 82[? 62] [*De Am. Conj.*, n. 415–422]).

Quod auditum melos de amore sexus casto, et quod ille amor sit illis qui in amore vere conjugiali sunt, et inde in praepollente potentia (n. 1585, pag. 44[? 64] [*De Am. Conj.*, n. 55]).

Ratiocinationes variae de anima; et tandem quod anima sit homo vivens post mortem, quia est forma omnium affectionum amoris, et omnium perceptionum sapientiae, [et] harum receptaculum (n. 1691, pag. 70 [*De Am. Conj.*, n. 315]).

Post haec cum illis loquens de spirituali et naturali; et ostensum qualia discrimina inter illa sunt quoad linguas, scripturas, et cogitationes; ac dein, cum spectans de blatta; et quod divisum sit plus et plus multiplex, et non plus et plus simplex (n. 1699, pag. 72 [*De Am. Conj.*, n. 326–329]).

De convocatis sapientibus ex novem regnis Europae, qui dicturi sententiam de origine amoris conjugialis, deque virtute et potentia ejus; et demum Africo datum est praemium, quod erat cidaris (n. 1718, pag. 30 [*De Am. Conj.*, n. 103–114]).

Tres oratores ex Gallia de origine pulchritudinis sexus feminei, unus [eam esse] ex amore [dicens], alter ex sapientia, tertius ex conjunctione amoris et sapientiae (n. 1737, pag. 57½, 58 [*De Am. Conj.*, n. 381–384]).

De duobus angelis, qui infantes mortui sunt, qui non percipere possent quid scortatio, quia non a creatione. Loquela de illa et de malo, quomodo hoc exstitit cum a creatione est modo bonum (n. 1738, pag. 86 [*De Am. Conj.*, n. 444]).

Quod auditae voces, "O quam justi," "O quam eruditi," "O quam sapientes;" et ibi de illis qui justi, quod essent judices amicitiae qui dextre possent pervertere omnia, et quibus nihil intellectus de justis esset: coetus illorum describitur (n. 1791, pag. 37 [*De Am. Conj.*, n. 231]).

Praeliminaria de gaudiis caeli, et de nuptiis ibi (n. 1826–1848, pag. 1 [*De Am. Conj.*, n. 1–25]).

De amore dominandi ex amore sui apud politicos, quod velint esse reges et imperatores; apud canonicos, quod velint esse dii; de diabolis visis, qui fuerant in tali amore, et de binis papis (n. 1873, pag. 56 [*De Am. Conj.*, n. 261–266]).

Iterum in Athenaeo, ubi tres advenae auditi, quod crediderint in caelo non dari administrationes et operas, quia aeterna requies; et ostensum quod facere usus sit illa requies: etiam ibi de libris et scripturis; et quod illa ibi sint, quia ibi omnia substantialia sunt quae vocantur spiritualia (n. 1909, pag. 68 [*De Am. Conj.*, n. 207]).

De illis de quibus clamatum est, "O quam eruditi;" qui erant qui non progrediuntur ulterius ratiocinando quam num ita sit, et vocantur ratiocinatores (n. 1948, pag. 38 [*De Am. Conj.*, n. 232]).

De illis de quibus clamatum est, "O quam sapientes;" qui erant qui possent facere quicquid vellent ut esset verum, et vocabantur confirmatores (n. 1949, pag. 39 [*De Am. Conj.*, n. 233]).

Cum tribus novitiis loquela angelorum de nuptiis in caelo (*varia* n. 2001, pag. 17 [*De Am. Conj.*, n. 44]).

Visa pluvia aurea; et ductus ad aulam ubi mariti et uxores instruebant me de amore conjugiali, et de ejus deliciis ab uxoribus ibi (n. 2002, pag. 34 [*De Am. Conj.*, n. 155[*]]).

Loquela cum illis qui in saeculo aureo vixerunt, de amore conjugiali, et de eorum conjugiis (n. 2003, pag. 20, *seq.* [*De Am. Conj.*, n. 75]).

Loquela cum illis qui in saeculo argenteo vixerunt, etiam de amore conjugiali (n. 2004 [*De Am. Conj.*, n. 76]).

Loquela cum illis qui in saeculo cupreo vixerunt (n. 2005 [*De Am. Conj.*, n. 77]).

Loquela cum illis qui in saeculo ferreo; quod essent polygami (n. 2006 [*De Am. Conj.*, n. 78]).

Loquela cum illis qui vixerunt post quatuor illa saecula; quod essent scortatores et adulteri (n. 2034 [*De Am. Conj.*, n. 79, 80]).

De conversione hujus saeculi a Domino in aureum; de qua angeli Dominum glorificaverunt (n. 2035 [*De Am. Conj.*, n. 81]).

De propria intelligentia seu prudentia, quod non sit (n. 2051, pag. 59 [*De Am. Conj.*, n. 353]).

Num amor conjugialis et amor pulchritudinis apud feminas, et num amor conjugialis et amor propriae intelligentiae apud viros, dentur (n. 2052, pag. 52 [*De Am. Conj.*, n. 330, 331]).

Iterum visa pluvia aurea, et detecta aliqua arcana de amore conjugiali apud feminas (n. 2053, pag. 35 [*De Am. Conj.*, n. 208]).

Quod frigus spirituale resideat in suprema regione (n. 2054, pag. 51 [*De Am. Conj.*, n. 270]).

De illis qui in amore mundi (pag. 90[? n. 90] [*De Am. Conj.*, n. 267–269]).

Quod deliciae amoris conjugialis sint deliciae sapientiae (n. 91 [*De Am: Conj.*, n. 293]).

Et quod voluptates amoris scortatorii sint voluptates insaniae (n. 92 [*De Am. Conj.*, n. 294]).*

---

* [NOTA *nunc sequitur :—*]*De adulteris ut satyris*, num exscriptum est, videatur n. 407,—*et concidetur.*

[[1]Index Rerum Prior.]

Quod interna et spiritualis causa amoris conjugialis sit ex religione fugere adulteria (n. 1602–1606 [*De Am. Conj.*, n. 147–149]).

Quod externa seu naturalis causa amoris et amicitiae inter conjuges sit abstinentia a scortatione ex quacunque causa, modo non ex impotentia (n. 1611–1614).

De angelis innocentiae qui non intellexerunt quid amor scortationis (*Memorab.*, n. 1738 [*De Am. Conj.*, n. 444]).

De fornicatione (*vide* **Fornicatio,** *et* **Pellicatus**).

Quod plura genera adulteriorum sint: quod sint mitia, gravia, et gravissima (n. 1876 [*De Am. Conj.*, n. 479, 487, 491, 493]).

Quod adulterium univocum sit adulterium viri caelibis cum uxore alterius, ac feminae non maritatae cum marito alterius (n. 1877–1879 [*De Am. Conj.*, n. 480]).

Quod ex ratione videri possit quod adulterium sit injustum; varia (n. [1]1878 [*De Am. Conj.*, n. 481]).

Quod adulterium duplicatum sit mariti cum alterius uxore, et uxoris cum alterius marito (n. 1880–1885 [*De Am. Conj.*, n. 482]).

Apud quos illud adulterium datur; varia (n. 1882 [*De Am. Conj.*, n. 483]).

Quod in Anglia (n. 1883 [*De Am. Conj.*, n. 483]).

Quod adulterium triplicatum sit cum consanguineis (n. 1884, 1885 [*De Am. Conj.*, n. 484]).

Quod adulteria sint voluntaria, et quod sint actualia; et quod voluntaria in se sint sicut actualia cum datur copia et varii timores non inhibent (n. 1886, 1887 [*De Am. Conj.*, n. 490]).

Quod sint adulteria actualia voluntaria, et quod sint adulteria non ita voluntaria; et quod haec sint mitia, illa autem gravia (n. 1889–1892 [*De Am. Conj.*, n. 486, 491–494]).

Causae quae faciunt quod homo non in interiore voluntate committat adulteria (n. 1892 [*De Am. Conj.*, n. 486]).

Quod adulteria actualia voluntaria reddant hominem naturalem, sensualem, et corporeum quoad voluntatem, ejus inclinationes et affectiones (n. 1894–1896 [*De Am. Conj.*, n. 495, 496]).

Quod efficiant ut homo non agnoscat Deum, Divinitatem Domini, sanctitatem Verbi, et inde reliqua quae ecclesiae et religionis sunt (n. 1897–1903 [*De Am. Conj.*, n. 497]).

Quod adulteri aeque facultate intelligendi gaudeant ut non adulteri, sed quod illi rationalitate sua abutantur ad confirmandum adulteria (n. 1904–1908 [*De Am. Conj.*, n. 498, 499]).

Quomodo loquuntur adulteri pro adulteriis et contra conjugia (n. 1908 [*De Am. Conj.*, n. 500]).

De oppositione amoris conjugialis et amoris scortatorii (n. 1910–1947 [*De Am. Conj.*, n. 423–443]).

Quod tamen in mundo spirituali omnes conjungantur quoad affectiones amoris internas (n. 814–823 [*De Am. Conj.*, n. 273]).

Quod apud viros sint affectiones internae, et apud feminas affectiones externae (n. 824–832 [*De Am. Conj.*, n. 32, 88, 89).

Quod sit infinita varietas affectionum internarum apud viros, et infinita [varietas] affectionum externarum apud feminas (n. 833–840 [*De Am. Conj.*, n. 36]).

Quod detur convenientia et disconvenientia inter affectiones internas virorum et inter affectiones externas feminarum (*vide porro* ***Similitudo***) (n. 841–844 [*De Am. Conj.*, n. 195, 227]).

De inclinationibus et affectionibus, seu qualitatibus virorum et feminarum, et de conjunctione illarum per conjugium: articuli plures (n. 2047 [*De Am. Conj.*, n. 88–91, 218]).

Amicitia.—De causis amoris, amicitiae, et favoris inter conjuges (n. 1586–1640 [*De Am. Conj.*, n. 180, 214, 290]).

Quod dum inter conjuges est amor, etiam sit amicitia et favor (n. 1588–1590 [*De Am. Conj.*, n. 180, 214, 290]).

Quod si inter conjuges non est conjugialis spiritualis amor, usque possit esse amicitia et favor; et quod si inter illos non est amicitia, usque possit esse favor, hoc est, moralis vitae civilitas (n. 1591–1594 [*De Am. Conj.*, n. 278, 287–293).

Quod interna seu spiritualis causa amoris et amicitiae conjugialis sit vera religio (n. 1595–1597 [*De Am. Conj.*, n. 238, 239, 531]).
Tum quod utrique sit eadem religio (n. 1598–1601 [*De Am. Conj.*, n. 242]).
Quod etiam sit ex religione fugere adulteria (n. 1602–1606 [*De Am. Conj.*, n. 147–149]).

Quod interna et spiritualis causa amoris conjugialis sit similitudo animarum et mentium, et quod externa seu naturalis causa sit similitudo morum, ac status et conditionis in societate (n. 1606–1608 [*De Am. Conj.*, n. 246, 250]).

Quod externa seu naturalis causa amoris seu amicitiae inter conjuges sit potentia (n. 1609, 1610).
Quod etiam sit abstinentia a scortatione ex quacunque causa, modo non ex impotentia (n. 1611–1614).

Quod etiam sit indifferentia uxoris ad actus Veneris; ac inde, et quandoque per tergiversationem, persuasio mariti quod uxor sua absque omni concupiscentia ad illos sit (n. 1615–1617 [*De Am. Conj.*, n. 259, 294]).

Quod etiam sit amor infantum et liberorum utrique communis (n. 1618–1622 [*De Am. Conj.*, n. 284, 404, 409]).

Quod sit industria, sedulitas, ac intelligentia utriusque in suis officiis, et auxilium mutuum in quibusdam (n. 1622–1624 [*De Am. Conj.*, n. 164, 165, 176, 283]).

Quod etiam sit prudentia accommodandi se alterius naturae et genio (n. 1625–1627 [*De Am. Conj.*, n. 282, 294]).

De communicatione deliciarum ab uxoribus cum maritis (*vide* **Sexus**) (n. 263–265 [*De Am. Conj.*, n. 188, 189]).

Quod ex illis possit videri discrimen inter amorem conjugialem et amorem sexus; quod hic sit naturalis et communis omni animali, ille autem spiritualis et peculiaris soli homini (n. 294–300 [*De Am. Conj.*, n. 94–100]).

(*De amoris conjugialis gradibus, vide* **Gradus.**)

Quod conjugialis amor unum faciat cum ecclesia et religione apud illos (*vide* ***Religio***) (n. 393–406 [*De Am. Conj.*, n. 129–131]).

Quod amor conjugialis unum faciat cum statu ecclesiae et religionis apud hominem, et quod illi tale sit caelum (*vide* ***Religio***) (n. 393–406 [*De Am. Conj.*, n. 129–131, 238, 458]).

De differentiis et varietate amoris conjugialis secundum status ecclesiae apud homines (*vide* ***Religio***) (n. 408–568 [*De Am. Conj.*, n. 130, 434]).

Quod amor conjugialis sit internus et externus (n. 409–412 [*De Am. Conj.*, n. 534]).

Quod amor ille internus sit duplex, spiritualis et caelestis (n. 413–416 [*De Am. Conj.*, n. 305]).

Quod externus etiam sit duplex, rationalis et naturalis (n. 417–421 [*De Am. Conj.*, n. 305, 310]).

Quod internus sit angelicus, et dabilis apud homines (n. 422–425).

Quod externus sit proprie humanus (n. 426, 427).

Quod amor conjugialis naturalis separatus ab amore conjugiali rationali sit proprie ferinus (n. 427–430 [*De Am. Conj.*, n. 230]).

Quod amor conjugialis internus caelestis et spiritualis, non separari possit ab amore conjugiali externo rationali et naturali, sed quod simul sint, et sic unum agant (n. 430–434).

Quod amor conjugialis in sua prima origine sit amor boni et veri (n. 562–572 [*De Am. Conj.*, n. 83–102]).

Quod amor vere conjugialis sit illis qui in veris sunt, et amant propagare illa (n. 513–515 [*De Am. Conj.*, n. 220]).

De incrementis et decrementis amoris conjugialis (n. 569–763 [*De Am. Conj.*, n. 157–181, 211–214]).

Quod homo sit homo secundum quale amoris conjugialis apud se; varia (n. 575–592 [*De Am. Conj.*, n. 140, 432]).

Quod tantum sit homo quantum amor conjugialis spiritualis unum facit cum amore conjugiali naturali (n. 593–597 [*De Am. Conj.*, n. 230]).

Quod in amore vere conjugiali sit aeternum, et vicissim (n. 622–629 [*De Am. Conj.*, n. 38, 44, 200, 216]).

Quomodo progreditur amor spiritualis a primis ad ultima (n. 630–638 [*De Am. Conj.*, n. 101, 183, 400, 401, 440, 441, 447]).

Quod amor conjugialis sit absque omni lascivia (n. 630–638 [*De Am. Conj.*, n. 143–146]).

amoribus, per scientias promoventes illos, agatur (n. 1196–1199 [*De Am. Conj.*, n. 133, 134]).

Quod homo, quia ei est voluntas et intellectus, sciat ordinem secundum quem victurus est, et quod illum sciat ex legibus Divinis quae sunt ecclesiae, ex legibus civilibus quae sunt societatis, et ex legibus rationis; at quod bestiae non [1]sciant aliquem ordinem ex illis legibus, sed quod ferantur per scientias amoribus adnatas, sed sibi prorsus ignotas, ad faciendum quod faciunt (n. [2]1200–1211 [*De Am. Conj.*, n. 133, 134]).

De influxu in homines et bestias (n. 1200 [*De Am. Conj.*, n. 94, 137]).

Quod homo nascatur cum facultate ut possit fieri rationalis et spiritualis, et quod bestia nascatur cum nulla facultate ad illa (n. 1212–1218 [*De Am. Conj.*, n. 96, 151–153]).

Quod ex illis tribus sequatur quod in omni quod homo cogitat, loquitur, vult, et agit, sit rationale et spirituale suo modo, at quod in omni quod bestia sonat et agit non sit rationale et spirituale aliquo modo (n. 1219–1221 [*De Am. Conj.*, n. 94, 133, 134]).

Consequenter quod in amore sexus apud homines sit rationale et spirituale, et inde imputatio, at quod in amore sexus apud bestias non sint illa (n. 1220–1235).

Quod in omni quod homo agit, sit imputatio; at quod in omni quod bestia agit, non sit imputatio (n. 1222–1227 [*De Am. Conj.*, n. 96]).

Quod ideo si amor sexus apud homines foret sicut apud bestias, homo non inde foret sicut bestia, sed vilior bestia (n. 1234, 1235).

Quod discrimina inter amorem sexus apud homines et apud bestias sint plura; sed quod ab aliis non videri possint quam ab illis qui noverunt discrimina inter hominem et bestiam (n. 1236–1238).

Quod homo non nascatur in scientiam amoris sexus, sed quod bestia in omnem; at quod illa scientia homini scientia sit, bestiae autem non scientia (n. 1239–1242 [*De Am. Conj.*, n. 133, 134]).

Quod quia scientia in quam bestia nascitur, est expers rationis, non dici possit de bestia aliquis amor ad sexum, sed modo analogon ejus, quod non aliud est quam cupido ex oestro carnis (n. 1243–1246).

Quod omnia quae de conjugiis et scortationibus dicta sunt, dicta sint de hominibus; et quod non dici possint de bestiis, quia his nec conjugia nec scortationes sunt (n. 1247–1250).

Loquela cum vetustis sophis de hominibus inventis in silva, et de statu hominum relativo ad status bestiarum (*Memorab.*, n. 1251 [*De Am. Conj.*, n. 151[*], 154[*]]).

Bonum.—Quod bonum et verum sint universalissima in omnibus et singulis in caelo et in terra (n. 306–311 [*De Am. Conj.*, n. 84–86]).

Quod non detur bonum solitarium nec verum solitarium, sed ubi bonum ibi verum, et vicissim; quare unum absque altero non est nisi quam ens rationis (n. 312–314 [*De Am. Conj.*, n. 87]).

De statu conjugum post mortem (n. 1719–1736 [*De Am. Conj.*, n. 45–54]).

Quod amor sexus maneat apud hominem post mortem qualis ille interius, hoc est, in interiore ejus voluntate et inde cogitatione, fuerat in mundo (n. 1721–1723 [*De Am. Conj.*, n. 46, 47]).

Quod similiter amor conjugialis qualis ille interius fuerat (n. 1724, 1725 [*De Am. Conj.*, n. 48]).

Quod duo conjuges ut plurimum post mortem conveniant, se cognoscant, consocient, et per aliquod tempus vivant simul; quod fit in primo statu, ita dum in externis sunt sicut in mundo (n. 1726, 1727 [*De Am. Conj.*, n. 37, 46, 47]).

Historica de illis, varia (n. 1725, 1728).

Explicantur Domini verba, quod non detur uxor viro (n. 1727 [*De Am. Conj.*, n. 41]).

Quod successive, sicut exuunt externa ac intrant in interna sua, percipiant quali inclinatione [1]ad se mutuo fuerant, et sic num possint una vivere vel non (n. 1728, 1729 [*De Am. Conj.*, n. 48]).

Quod si non possunt una vivere, se separent, sive vir ab uxore, sive uxor a viro, sive uterque ab invicem (n. 1728, 1729 [*De Am. Conj.*, n. 49).

Quod tunc viro detur uxor conveniens, et feminae maritus similiter (n. 1728, 1729 [*De Am. Conj.*, n. 50, 54]).

Quod conjuges inter se fruantur deliciis conjugialibus, similibus suis in mundo, sed beatioribus, verum absque prolificatione; pro qua, seu loco ejus, est prolificatio spiritualis, quae est boni et veri (n. 1730–1732 [*De Am. Conj.*, n. 51, 52]).

Quod ita fiat illis qui in caelum veniunt; aliter illis qui in infernum (n. 1733–1736 [*De Am. Conj.*, n. 53, 54]).

De conjugiis infernalibus, varia (n. 1736 [*De Am. Conj.*, n. 54]).

Causae cur conjugia non possunt contrahi nisi in provecta aetate (n. 1795 [*De Am. Conj.*, n. 450]).

Praeliminaria de gaudiis caeli, et de nuptiis ibi (n. 1826–1848 [*De Am. Conj.*, n. 1–25).

De conjugiis in saeculis aureo, argenteo, cupreo (*Memorab.*, n. 2003–2006 [*De Am. Conj.*, n. 74–77]).

De conjugiis in saeculo ferreo, quando conjugia fuerunt polygamica (*Memorab.*, n. 2006 [*De Am. Conj.*, n. 78]).

De transcriptione amoris proprii apud virum in amorem conjugialem apud uxorem (*articuli*, n. 2036, *seq.* [*De Am. Conj.*, n. 32, 88, 156[*], 193, 293, 353]).

De inclinationibus, affectionibus, et qualitatibus virorum et feminarum, per quas fit conjunctio (*articuli plures*, n. 2047 [*De Am. Conj.*, n. 156[*]–181]).

De difficultatibus intelligendi conjunctiones conjugum (*articuli*, n. 2050).

Quod cuivis homini innatus sit amor sexus, et intus in illo amor conjugialis; et quod fornicatio sit amor sexus praecedens amorem conjugialem, ita libido ante conjugium (n. 1794–1796 [*De Am. Conj.*, n. 445]).

Quod amor sexus (qui est qui fornicatur) una cum seminali potentia incohet; et quod ejus incohamentum sit cum intellectus elevat se, et inde homo incipit cogitare a se, et cum vox puerilis vertitur in juvenile virimlem (n. 1797–1799 [*De Am. Conj.*, n. 446]).

Quod amor sexus crescat et se fortificet citius et fortius apud unum quam apud alterum (n. 1800 [*De Am. Conj.*, n. 450]).

Quod amor sexus, apud quos citius et plus se fortificat, non possit absque damnis in totum coerceri (n. 1801, 1802 [*De Am. Conj.*, n. 450]);
Quod ideo in Europaeo orbe ganeae tolerentur (n. 1803 [*De Am. Conj.*, n. 451]).

Quod maxime cavendum sit ne conjugiale humanum per fornicationes inordinatas et immoderatas disperdatur; sed quod prospiciendum sit omni modo ut illud conservetur, quoniam conjugiale est ipsum clenodium vitae humanae, et reconditorium religionis Christianae (n. 1804, 1805 [*De Am. Conj.*, n 456–458]).

(*Vide adhuc* **Pellicatus.**)

Frigus.—De causis frigorum, separationum, et divortiorum inter conjuges (n. 853–1018 [*De Am. Conj.*, n. 234–260]).

Quod calor spiritualis sit amor, et quod frigus spirituale sit non amor (n. 855–857 [*De Am. Conj.*, n. 235]).

Quod calor spiritualis caelestis sit amor boni et veri, et quod calor spiritualis infernalis sit frigus spirituale (n. 858–864 [*De Am. Conj.*, n. 235])

Quod frigus spirituale inter conjuges sit non amor, quia non unio animarum et non conjunctio mentium; unde indifferentia, contemptus, fastidium, aversatio, inimicitia, odium; ex quibus tandem apud plures separatio quoad torum, cubile, et domum (n. 867–869 [*De Am. Conj.*, n. 236]).

Quod causae frigorum sint interiores, exteriores, externae, et accidentales (n. 870–874 [*De Am. Conj.*, n. 237]).

Quod CAUSA INTERIOR *prima* sit rejectio omnium ecclesiae (n. 875–891 [*De Am. Conj.*, n. 240]);
Secunda, quod uni sit religio et non alteri (n. 892–897 [*De Am. Conj.*, n. 241]);
Tertia, diversitas religionis, seu quod alia religio sit uni quam alteri (n. 898–905 [*De Am. Conj.*, n. 242]);
Quarta, falsitas religionis imbuta (n. 906–912 [*De Am. Conj.*, n. 243]);
Quinta, quod malum scortationis non credatur esse peccatum, et plus si confirmatur quod peccatum non sit (n. 913–916 [*De Am. Conj.*, n 243]);
Causa universalis interior frigoris est omnis amor mali; imprimis amor scortationis, qui varius,—ante conjugium scortatio cum aliorum uxoribus, post conjugium amor meretricius seu concubinatus, et praeterea cupido deflorationis, libido varietatum, illecebra violationis, et in genere omne libidinosum, ex quo perit conjugiale humanum (n. 918–928 [*De Am. Conj*, n. 244, 245]).

vitae humanae, et reconditorium religionis Christianae (n. 1804–1806 [*De Am. Conj.*, n. 456–458]).

Quod conjugiale illud apud illos qui propter varias causas nondum conjugia possunt inire, et propter salaciam non possunt moderari libidinem, conservetur per addicationem pellicis (n. 1806, 1807 [*De Am. Conj.*, n. 459]);

Modo pellicatus non fiat cum virgine seu illibata, nec cum maritata, et [sit] absque amore conjugiali (n. 1808–1810 [*De Am. Conj.*, n. 460]).

[***Paenitentia.***—(*Videatur* INDEX ALTER.)]

[***Perceptio.***—(*Videatur* INDEX ALTER.)]

Polygamia.—De Polygamia (n. 1019–1108 [*De Am. Conj.*, n. 332–352]).

Quod nisi cum una uxore non dari queat amor vere conjugialis, potentia, amicitia, confidentia, et talis mentium conjunctio ut duo sint una caro (n. 1021–1029 [*De Am. Conj.*, n. 333, 334]).

Quod nisi cum una uxore non dari queant beatitudines caelestes, faustitates spirituales, et jucunditates naturales, quae ab initio provisae sunt illis qui in amore vere conjugiali sunt (n. [1]1030–1034 [*De Am. Conj.*, n. 335]).

Quod non amor vere conjugialis detur nisi illis qui ab Ecclesia Christiana sunt (n. 1042–1046 [*De Am. Conj.*, n. 337]).

Quod inde sit quod Christianis non liceat nisi unam uxorem ducere (n. 1047 [*De Am. Conj.*, n. 338]).

Quod Christianus, si plures uxores duceret, non modo adulterium naturale sed etiam spirituale committeret (n. 1051–1058 [*De Am. Conj.*, n. 339]).

Quod filiis Jacobi permissum fuerit plures uxores ducere, quia apud illos non fuit Ecclesia Christiana, et inde non dabilis amor vere conjugialis (n. 1059–1064 [*De Am. Conj.*, n. 340]).

Cur Mahumedanis permissa est polygamia (n. 1059–1064 [*De Am. Conj.*, n. 341]).

De caelis Mahumedanorum, et quod in alterum veniant qui abdicant pellices (n. 1065–1077 [*De Am. Conj.*, n. 342, 343]).

Quod polygamia sit lascivia (n. 1078–1082 [*De Am. Conj.*, n. 345]).

Quod apud polygamos non dabilis sit conjugialis castitas, puritas, et sanctitas (n. 1083–1086 [*De Am. Conj.*, n. 141, 346]).

Quod polygamia non sit peccatum apud quos illa est ex religione (n. 1090–1094 [*De Am. Conj.*, n. 348]).

Quod polygamia non sit peccatum apud illos qui in ignorantia sunt de Domino (n. 1095–1098 [*De Am. Conj.*, n. 349, 350]).

Quod polygami, [2]quamdiu manent polygami, non fieri possint spirituales (n. 1087–1089 [*De Am. Conj.*, n. 347]).

Quod polygami salventur qui vivunt secundum leges justitiae civiles (n. 1099–1102 [*De Am. Conj.*, n. 351]);

Quod potentia conjugialis naturalis successive decrescat, sicut amor ejus, qui est libido, non limitatur (n. 1568–1573).

At quod potentia conjugialis spiritualis successive crescat, sicut amor ejus, qui est caelestis, a lascivo amore sexus purificatur (n. 1574).

Quod potentia [1]conjugialis naturalis decrescat usque dum nulla fit, at spiritualis crescat usque dum fit juge (n. 1575–1577).

Quod potentia conjugialis naturalis successive exstinguat ignem vitae hominis interiorem, et hebetet ejus lucem; at quod spiritualis successive accendat ignem vitae hominis et exaltet lucem (n. 1579).

Quod potentia conjugialis naturalis deprivet animam et spiritum propriis suis beatitudinibus et deliciis; vicissim autem spiritualis (n. 1580–1582).

Quod homo qui in potentia conjugiali spirituali est, ex amore casto fiat plus et plus internus et perfectus homo; vicissim qui in potentia naturali (n. 1583, 1584).

Quod externa seu naturalis causa amoris seu amicitiae inter conjuges sit potentia (n. 1609, 1610 [*De Am. Conj.*, n. 49, 274, 290]).

Judicia sapientum e regnis Europae, de origine amoris conjugialis, et de ejus virtute et potentia (*Memorab.*, n. 1718 [*De Am. Conj.*, n. 103–114]).

De potentia seminali, quando incohat (n. 1799 [*De Am. Conj.*, n. 446]).

Procreatio. Proles. Prolificatio. Prolificum. —(*Vide etiam* ***Semen.***)

Quod procreationes fiant in terris, quia a primis per ultima (*illustr.*, n. 75).

Quod angeli fuerint homines (n. 75 [*De Am. Conj.*, n. 28–30]).

Quod proles natae a duobus qui in amore vere conjugiali sunt, trahant ex parentibus conjugiale boni et veri, ex quo illis est inclinatio et facultas, si filius ad percipiendum illa quae sapientiae sunt, si filia ad amandum illa quae sapientia docet (n. 285–290 [*De Am. Conj.*, n. 202–204]).

Quod ita fiat, quia anima prolis est a patre, ac induitio correspondens animae a matre (n. 291–293 [*De Am. Conj.*, n. 206]).

Quomodo homo in semen venit, et quale est semen; varia (n. 293 [*De Am. Conj.*, n. 183, 220, 245]).

Quod conjugio boni et veri insit genitale et prolificum, unde propagationes omnium in universo, per quas continuatur creatio (n. 330–336 [*De Am. Conj.*, n. 92, 115]).

Quod quia bona et vera sunt in formis, inde omnia substantialiter et materialiter se propagent (n. 344–352).

Quod propagationes sint continuationes creationis, et quod in illis sit imago infiniti et aeterni, a Domino Creatore qui est infinitus et aeternus (n. 353, *seq.*, *ad* 372 [*De Am. Conj.*, n. 183, 220]).

Quod anima sit in statu perpetuae prolificationis et propagationis (n. 498–501 [*De Am. Conj.*, n. 220]).

Qualitates.—[Qualitates] seu inclinationes et affectiones virorum et feminarum, per quas conjunctio (*articuli*, n. 2047 [*De Am. Conj.*, n. 88, 89]).

Rationale.—(*Vide* ***Intellectus.***)

De ratiocinatoribus qui non plus cogitant quam num sit (*Memorab.*, n. 1948 [*De Am. Conj.*, n. 232]).

Religio.—Quod amor conjugialis sit secundum religionem (n. 131–135, 140–144 [*De Am. Conj.*, n. 130, 238–243, 531]);

Quod sit ex religione (*vide supra* ***Amor conjugialis*** *et* ***Conjugium boni et veri*** *seu spirituale*).

Quod conjugium boni et veri sit in singulis Verbi, ecclesiae, et religionis; quare conjugium [1]illud unum faciat cum ecclesia et religione apud homines (n. 393–397 [*De Am. Conj.*, n. 128–130, 516]).

Quod inde sequatur quod amor conjugialis apud homines sit prorsus secundum status ecclesiae et religionis apud illos (n. 398–401 [*De Am. Conj.*, n. 130, 142, 238]).

Quod ideo sit cuivis caelum secundum amorem ejus conjugialem (n. 402–406 [*De Am. Conj.*, n. 77]).

Adulterorum loquela de natura et de religione (*Memorab.*, n. 407 [*De Am. Conj.*, n. 521, 522]).

De varietate amoris conjugialis secundum status ecclesiae apud hominem (n. 408–568 [*De Am. Conj.*, n. 324]).

Quod amor vere conjugialis sit secundum status ecclesiae apud homines (n. 435–437 [*De Am. Conj.*, n. 130, 149]).

Quod illis quibus nulla religio est, non sit amor conjugialis, sed libido quae pejor est libidine ferina (n. 439–445 [*De Am. Conj.*, n. 239]).

Quod status ecclesiae sit cuivis secundum agnitionem Dei et simul vitam suae religionis (n. 446–449 [*De Am. Conj.*, n. 129]).

Quod status ecclesiae internae sit secundum agnitionem unius Dei, et simul vitam amoris (n. 450–453).

Quod status ecclesiae [illis] internus sit qui adeunt Dominum et fugiunt mala ut peccata (*ostensum*, n. 454–463).

Quod amor vere conjugialis non sit aliis quam qui in Novam Domini Ecclesiam seu [Novam] Hierosolymam recipiuntur (n. 464–526; *imprimis*, 516–521 [*De Am. Conj.*, n. 43, 534]).

Quod amor conjugialis sit illis qui per Verbum in veris sunt et volunt propagare illa (n. 513–515 [*De Am. Conj.*, n. 128]).

De apertione mentis et de occlusione ejus, varia (n. 561, 563, 565 [*De Am. Conj.*, n. 188, 189]).

Quod amor conjugialis sit secundum status ecclesiae, varia (n. 566 [*De Am. Conj.*, n. 130, 142, 238]).

Quod violetur conjugium spirituale dum verum ecclesiae separatur a bono ejus, et dum bonum ejus separatur a vero ejus; varia ibi (*vide* **Correspondentia**) (n. 1970–1979 [*De Am. Conj.*, n. 519]).

Sapientia.—(*Vide etiam* **Intellectus.**)

Quod homo sit forma amoris, sapientiae et usus (*vide* **Homo** *et* **Usus**).

Quod amor propriae sapientiae pessundet virum (n. 734–739 [*De Am. Conj.*, n. 88, 193, 353]).

Sermo sapientum de causis pulchritudinis sexus feminini (*Memorab.*, n. 1018 [*De Am. Conj.*, n. 56]).

Quod eruditae mulieres non amentur a viris, aliquae rationes (n. 2028 [*De Am. Conj.*, n. 175]).

Quod illi qui in fastu propriae intelligentiae sunt, prorsus non possint amare uxorem; varia et multa (n. 2042–2045 [*De Am. Conj.*, n. 193]).

De perceptione et sapientia propria viri et feminae, et de conjunctione per illas (*vide* **Sexus**) (*articuli*, n. 2007, *seq.* [*De Am. Conj.*, n. 156[*]–181]).

Scortatio.—(*Vide* **Adulterium.**)

Semen.—De seminis procreatione, varia (n. 291–294 [*De Am. Conj.*, n. 220, 245]).

Quod status extremorum in corpore dependeat a statu mentis (n. 528–538 [*De Am. Conj.*, n. 221, 355]).

De regione ultima ubi organa generationis; et quod anima, et mens, ibi sit in suis ultimis; et de influxu et operatione, varia (n. 539–548 [*De Am. Conj.*, n. 183, 310]).

De formatione seminis, ita hominis (n. 539–548; *tum* 549–560 [*De Am. Conj.*, n. 183, 220, 245]).

Unde semen (n. 659–662 [*De Am. Conj.*, n. 127, 245]).

Separatio inter conjuges.—(*Vide* **Divortium.**)

Sexus.—Quod masculus sit masculus et femina sit femina post mortem (n. 6–8 [*De Am. Conj.*, n. 32, 33]).

In quo consistit masculinum et in quo femininum, et utriusque conjunctio (n. 6 [*De Am. Conj.*, n. 32, 56, 61]).

De differentiis utriusque in interna et externa forma (n. 7, 8 [*De Am. Conj.*, n. 32, 33]).

Quod sexus et ejus amor sit in toto et in omni ejus parte; et quod hic amor praecipue maneat post mortem (n. 14–17 [*De Am. Conj.*, n. 37, 46, 47]);
Quia ille amor omnium universalis est (n. 14–16 [*De Am. Conj.*, n. 46]).

Quod masculus sit sapientia et intellectus, uxor sapientiae et intellectus viri amor (n. 52–56 [*De Am. Conj.*, n. 32, 33, 88, 90]).

intima amicitia, et quod determinationes ejus in delicium ultimum sint in beneplacito mariti (n. 258–262 [*De Am. Conj.*, n. 221]).

De deliciis illius amoris, et unde; varia (n. 261 [*De Am. Conj.*, n. 188, 189, 198]).

Quod mariti sicut ex sapientia amant castitatem et amicitiam conjugialem, ita sentiant delicias amoris conjugialis ab uxoribus sibi communicatas (n. 263–265).

Quod intelligentia feminarum in se sit tenera, pacifica, cedens, mollis, pulchra, modesta, amabilis, sicut ipsae; et quod intelligentia virorum in se sit gravis, aspera, dura, tenax, animosa, vaga cum licentia (n. 269–273 [*De Am. Conj.*, n. 218]).

Quod intelligentia uxoris sit circa externa quae vocantur oeconomica et domestica; et quod quoad interna et forensia, pendeat ab intelligentia mariti; et si vidua est, ab intelligentia virorum, nisi quae ipsa ex recordatione apud se a marito hausit (n. 274–278 [*De Am. Conj.*, n. 90, 91, 325]).

Quod uxor actualiter formetur in amorem sapientiae mariti, et quod hoc fiat per proprias receptiones propagationum animae ejus cum delicio oriundo ex eo, quod velit esse sapientiae sui mariti amor; et quod sic illa fiat a virgine uxor; ita fit similitudo (n. 279–281 [*De Am. Conj.*, n. 172, 173, 198, 199]).

Varia ex loquela angelorum de hac re (n. 281).

Quod ita sapientia mariti indatur uxori, approprietur et fiat insita vitae ejus; unde in uxore existit et crescit amor sapientiae mariti (n. 282–284 [*De Am. Conj.*, n. 173]).

Quod verum boni sit masculinum, ac bonum veri femininum (n. 319–323 [*De Am. Conj.*, n. 90, 91]).

Quod masculus creatus sit ut fiat sapientia, et femina ut fiat amor sapientiae viri (n. 725–731, 732–742 [*De Am. Conj.*, n. 32, 33]).

Quod amor conjugialis praecipue a maritis dependeat (n. 753–757 [*De Am. Conj.*, n. 216[*]]).

Quaedam arcana de communicatione amoris inter conjuges (n. 758–762).

De affectionibus virorum et feminarum, illarum convenientia et disconvenientia (*vide* **Affectio** *et* **Similitudo**) (n. 766, *seq.* [*De Am. Conj.*, n. 227–229, 246, 271, *seq.*]).

Sermo sapientum de pulchritudine sexus feminini (*Memorab.*, n. 1018 [*De Am. Conj.*, n. 56]).

De discrimine amoris sexus apud homines et apud bestias (*vide* **Bestia**) (n. 1194–1251 [*De Am. Conj.*, n. 48, 94–96, 133]).

De amore sexus (*vide* **Amor Sexus**).

De status mutationibus apud virum et feminam, imprimis per conjugium (*vide* **Status**) (n. 1252–1285 [*De Am. Conj.*, n. 184–206]).

De signis quod mas et femina velint unum fieri, varia (n. 1262, 1278).

De officiis propriis viri et propriis feminae, et de conjunctione utriusque per illa (n. 2023–2033 [*De Am. Conj.*, n. 174–176]).

Quod sint officia propria viro et propria mulieri; et quod officia propria viro possint vocari forensia, et officia propria mulieris domestica (n. 2024 [*De Am. Conj.*, n. 90, 91, 174, 175]).

Quod vir ex sapientia sibi propria inclinet ad sua officia, et quod mulier ex sapientia sibi propria inclinet ad sua (n. 2024 [*De Am. Conj.*, n. 33]).

Quod officia viri sint interioris judicii, et quod officia mulieris sint exterioris (n. 2026 [*De Am. Conj.*, n. 175]).

Quod mulier non possit intrare in officia viri, nec vir in officia mulieris, et illis rite perfungi (n. 2027, 2028 [*De Am. Conj.*, n. 174, 175]).

Quod sapientes mulieres non amentur (n. 2028 [*A.C.*, n. 8994]).

Quod conjunctio illorum officiorum sit mutuum auxilium (n. 2029 [*De Am. Conj.*, n. 176]).

Quod vir et mulier per mutuum hoc auxilium faciant domum quae cohaeret ut una (n. 2030 [*De Am. Conj.*, n. 176]).

Quod officia utriusque faciant sicut unam regiminis formam (n. 2031).

Quod officia viri se referant ad sapientiam; et quod officia mulieris se referant ad faciendum delicias sapientiae viri, ita viro (n. 2032).

Quod omnia illa perfectius aut imperfectius fiant secundum statum amoris conjugialis inter illos (n. 2033 [*De Am. Conj.*, n. 118, 162]).

Inclinationes et affectiones virorum et feminarum, per quas fit conjunctio (*articuli plures*, n. 2047 [*De Am. Conj.*, n. 163–180]).

De difficultatibus cognoscendi conjunctiones conjugum (*articuli*, n. 2050).

Similitudo.—De similitudine et dissimilitudine conjugiali (n. 765–882).

De affectionum concordantia et discordantia, varia (*vide* ***Affectio***) (n. 766–840 [*De Am. Conj.*, n. 227–229, 246, 271, *seq.*]).

Quod detur convenientia et disconvenientia inter affectiones virorum et feminarum (n. 841–844).

Quod inde sit similitudo et dissimilitudo conjugialis (n. 845–852).

Quod sint variae similitudines amoris conjugialis, et quod sint variae dissimilitudines ejus (n. 853–859 [*De Am. Conj.*, n. 227]).

Quod variae similitudines amoris conjugialis possint accommodari et conjungi, sed non cum variis dissimilitudinibus (n. 860–[1]*809* [*De Am. Conj.*, n. 228]).

Quod a Domino provideatur similitudo conjugialis apud illos qui Ipsum adeunt, et desiderant amorem vere conjugialem (n. [1]*810–817* [*De Am. Conj.*, n. 49, 229]).

Quod similitudo et dissimilitudo nihil faciant apud illos qui in amore scortatorio sunt (n. [1]*818–822*).

Ac inducit illis statum novum et mirabilem, nempe plenum amore sustentandi et tutandi a se procreatam subolem (n. 1667, 1668 [*De Am. Conj.*, n. 392]).

Quod omne vivens et animans recipiat hunc statum in se post partum; nec scit quod influat, quia non sentit influxum (n. 1669 [*De Am. Conj.*, n. 391, 392]).

Quod sphaera hujus amoris afficiat sexum femininum plus quam masculinum, ita matres plus quam patres (n. 1670, 1671 [*De Am. Conj.*, n. 393]).

Quod afficiat patres et matres varie, quemlibet secundum statum mentis suae (n. 1672–1674 [*De Am. Conj.*, n. 405–408]).

Quod afficiat aeque malos ac bonos, et disponat unumquemvis ad amandum et tutandum suam progeniem ex propria sua affectione (n. 1675–1677 [*De Am. Conj.*, n. 392]).

Quod sphaera amoris innocentiae et pacis influat in animos parentum, et quoque in infantes, et se conjungat in utriusque extremis, imprimis per tactum (n. 1678, 1679 [*De Am. Conj.*, n. 396]).

Quod in eo gradu in quo recedit innocentia et pax apud infantes, etiam relaxetur illa conjunctio, seu ille amor; quod fit successive usque ad separationem (n. 1681–1684 [*De Am. Conj.*, n. 398]).

Quod status innocentiae et pacis apud infantes sit quod nihil sciant et possint ex se sed ex aliis, imprimis ex patre et matre; et quod status ille successive recedat, sicut sciunt et possunt ex se et non ex aliis (n. 1685–1689 [*De Am. Conj.*, n. 399]).

Quod sphaera amoris infantum in quadam serie a fine per causas in effectus progrediatur, et periodos faciat, per quas conservatur et continuatur creatio in statu praeviso et proviso (n. 1690–1692 [*De Am. Conj.*, n. 400]).

Quod amor storge descendat et non ascendat; causae plures (n. 1693–1698 [*De Am. Conj.*, n. 402]).

De conjunctione amoris conjugialis cum amore infantum seu storge (n. 1701–1717 [*De Am. Conj.*, n. 404]).

Quod in legitimis conjugiis infantes amentur qui sunt legitimi et heredes (n. 1703, 1704).

Quod apud conjuges qui se mutuo amant, conjungatur amor conjugialis cum amore storge per causas spirituales et rationales et inde naturales, quae apud illos a Domino sunt (n. 1707–1709 [*De Am. Conj.*, n. 404]).

Quod amor storge apud hos conjuges sit per maritum apud uxorem, ac vicissim a Domino per uxorem apud maritum; consequenter quod unius amor cum [amore] alterius apud infantes et liberos etiam mutuo et vicissim conjungatur (n. 1710, 1711).

Quod conjunctio duorum illorum amorum apud conjuges qui se mutuo non amant, tametsi non datur a superiori, interiori, aut priori, usque detur ab inferiori, exteriori, aut posteriori; sed quod haec conjunctio sit inversa, et inde levis et vaga (n. 1712, 1713 [*De Am. Conj.*, n. 408]).

[INDEX ALTER.]

De deliciis amoris conjugialis (n. 77–146 [*De Am. Conj.*, n. 68, 69]).

De nexu amoris conjugialis cum omnibus amoribus caeli (n. 147–222 [*De Am. Conj.*, n. 65–67]).

Quod amor conjugialis in terris non sit, sed quod usque resuscitabilis apud illos qui e Nova Hierosolyma erunt (n. 31 [*De Am. Conj.*, n. 59, 70–72, 81, 534]).

Quod unio reciproca sapientiae et amoris non dabilis sit quam apud masculum et feminam, quia illa unio est amor conjugialis (n. 42 [*De Am. Conj.*, n. 88–93]).

Quomodo descendit amor et sapientia a Domino in masculum et feminam (n. 43 [*De Am. Conj.*, n. 90, 91]).

Quod influxus internus amoris conjugialis a Domino non percipiatur, sed quod fiat perceptibilior et jucundior sicut descendit, et quod ex illis in effectu ultimo fiat delicium deliciarum (n. 58 [*De Am. Conj.*, n. 69, 183]).

Quod fiat tale delicium sit ex fine supremo qui Domino; qui est propagatio generis humani et inde caelum angelicum, conjunctio ibi Secum, et felicitas aeterna (n. 58 [*De Am. Conj.*, n. 68]).

Quod amor ille sit spiritualis, quia est conjunctio mentium; et quod ideo maneat post mortem (n. 59 [*De Am. Conj.*, n. 46]).

Quod amor conjugialis mentium, qui est spiritualis, faciat amorem conjugialem corporum, qui est naturalis (*per varia illustratum*, n. 62).

Quod amor conjugialis fiat plenius amor conjugialis per descensum in ultima (n. 63 [*De Am. Conj.*, n. 179]).

De amore conjugiali [1]pectorali (*qualis, describitur et illustratur*, n. 64 [*De Am. Conj.*, n. 180]).

Describitur amor lumbaris qualis est, quia intrat provinciam quam membra generationis faciunt (n. 65).

Quod sic descendat in serie per causas ad effectus (n. 66).

Quod ignotum sit quid amor vere conjugialis ex quatuor causis,—quod non adiverint Dominum, quod separaverint fidem a charitate, quod inde non amor erga proximum, ita nec amor vere conjugialis (n. 67).

Ex angelis quod amor vere conjugialis [non] sit nisi apud illos qui adeunt Dominum, [ita] nisi conjuges sint in conjugio spirituali; quod inde amicitia intima inter conjuges; quod ubi [non] illa, nec dabilis amor lumbaris (n. 68).

Quod ubi amor conjugialis perpetuus, ibi perpetua potentia (n. 68 *fin.* [*De Am. Conj.*, n. 113, 115]).

Quod conjunctio cum Domino fiat plena per amorem vere conjugialem, non autem plena a masculo solo, nec a femina sola (n. 74).

Quomodo aperiuntur interiora mentis hominis, et conjunguntur voluntas et intellectus seu amor et sapientia apud illos qui recipiunt amorem vere conjugialem (n. 75 *fin.*).

[2]De deliciis amoris conjugialis (n. 77–146 [*De Am. Conj.*, n. 68, 69]).

Quod duo conjuges non sint duo angeli, sed unus angelus (*illustr.*, n. 26, 28 [*De Am. Conj.*, n. 178]).

Quod crescat sapientia mariti in praesentia uxoris, quomodo (n. 27).

Quod duo conjuges sint unus homo, illustratum per varia in homine quae duo sunt et usque unum faciunt (n. 44 [*De Am. Conj.*, n. 316])

Hoc ostensum ex Verbo, et illustratum (n. 45).

Quod reciproca unio amoris et sapientiae apud masculum et feminam simul, sit imago Dei et similitudo Dei (*vide* ***Imago***) (n. 46).

Quale est masculinum et quale femininum, quae unum fiunt per conjugium (*vide* ***Femina***) (n. 53–55 [*De Am. Conj.*, n. 88, 89]).

De conjugio Domini et Ecclesiae, aliquid (n. 69, 70).

Quod [nec] cum masculo solo nec cum femina sola sit plena conjunctio cum Domino, sed cum utroque simul, per amorem vere conjugialem (*illustr.*, n. 74).

Quod providentia Domini peculiariter sit in conjugiis; illustratum per varia (*Memorab.*, n. 76 [*De Am. Conj.*, n. 229]).

Quod conjugiale sit in toto et in omni parte apud hominem, sed aliud in masculo et aliud in femina; at quod sint conjunctiones, illustratum per conjugium voluntatis et intellectus, et per paria plura in corpore (*Memorab.*, n. 76 [*De Am. Conj.*, n. 316]).

Quod conjugiale etiam sit in singularissimis quae nascuntur e terra (n. 76 *fin.*).

De deliciis amoris conjugialis (n. 77–146 [*De Am. Conj.*, n. 68, 69]).

Conversio.—Quod intima hominis, quae sunt ejus animae, conversa sint sursum, ita ad Dominum; inferiora antrorsum ad mundum; et infima deorsum ad se; et quod homo inde sentiat illa quae influunt sicut in se (n. 71, 72).

Deliciae.—De deliciis amoris conjugialis (*vide* ***Amor conjugialis***) (n. 77–146 [*De Am. Conj.*, n. 68, 69]).

Quod per delicias intelligantur beatitudines, faustitates, felicitates, jucunditates, et voluptates; in genere, gaudia et laetitiae (n. 77).

Unde deliciae (*vide* ***Amor***) (n. 77 [*De Am. Conj.*, n. 461]).

Quod jucundum sit vita amoris (n. 78 [*De Am. Conj.* n. 461]).

Quod jucunda amoris sequantur ordinem, sicut finis, causa, et effectus; quomodo cum deliciis fit, dum finis seu amor progreditur, moratur, et sistitur (n. 82).

Dominus.—Quod omnis amor et omnis sapientia, seu omne bonum et verum, sit a Domino (n. 33 [*De Am. Conj.*, n. 121]).

Quod masculus nascatur in facultatem quod amet scire, intelligere, et sapere; ac femina in amorem illorum in marito (*illustr.*, n. 53 [*De Am. Conj.*, n. 90, 91]).

Inde per conjugium fiunt unum (n. 54 [*De Am. Conj.*, n. 91]).

Tres causae cur ita creati sunt: *prima*, ut sit propagatio subolis et sapientiae; *secunda*, quod sit ex amore Domini erga universum genus humanum, ut beati fiant; *tertia*, quia alioqui amarent semetipsos (n. 54).

Describitur qualis voluntas ac intellectus est apud virum, et quales sunt apud feminam, ante conjugium et post illud (n. 55).

Filius.* *Filia.—Unde est quod filius significet verum ecclesiae, et filia [1]bonum ejus (n. 28).

Finis.—Quod amor sit finis, de cujus progressione per causas ad effectus (*vide* ***Amor***) (n. 81).

Quod in fine sint omnia sequentia, et in effectu omnia antecedentia; et quod finis sit omne in omnibus quae sequuntur (n. 82).

Quod finis, causa, et effectus sint in omnibus et singulis quae creata sunt (*vide* ***Causa***) (n. 83).

Generatio.* *Generationis organa.—Quod distincta sint a reliquis in homine (n. 65)

Quod procreatio subolis fiat in terris quia ibi in pleno, et operatio Divina est a primis per ultima (n. 75 [*De Am. Conj.*, n. 52]).

Quod ab homine procreetur suboles in cujus intimo est imago Dei (n. 75).

Homo.—Quod amor et sapientia sint in forma homo, et quod homo sit recipiens ejus, quod vocatur imago (n. 5).

Quod post mortem masculus sit masculus, et femina sit femina, et quod sexus non mutari possint (n. 6 [*De Am. Conj.*, n. 32, 33]).

Quod homo vivat homo post mortem, sed spiritualis homo (*illustr.*, n. 22, 23 [*De Am. Conj.*, n. 28]).

Quod miserabilior status foret homini post mortem quam bestiae, si foret pneuma, volitans in universo, aut detentus in *pu* usque ad ultimum judicium; sed quod provisum sit quod status ejus qui bene vivit, post mortem felicior fiat (n. 24 [*De Am. Conj.*, n. 29]).

Quod homo vivat homo post mortem, ex autopsia (*illustr.*, n. 25 [*De Am. Conj.*, n. 28]).

Quod homo sentiat id quod influit a Domino ut suum, et quod per id conjunctio (n. 40 [*De Am. Conj.*, n. 122]).

Quomodo fit influxus Domini in animam hominis, et abinde in superiora mentis, et per haec [in] inferiora mentis, et inde in corpus, et [1]facit conatum, qui data copia fit actus (*illustr.*, n. 57).

De influxu amoris conjugialis in intima, et inde in sequentia ordine ad ultima (*vide* ***Amor Conjugialis***) (n. 58).

Quod non sit aliquis descensus seu influxus a cerebris, seu a capite in corpus, quia mens hominis est ejus spiritus, qui est perfectus homo, et est intus ubivis corpori; ita quod descensus et influxus dicantur ex apparentia (n. 60, 61 [*De Am. Conj.*, n. 315]).

Quod mens seu spiritus hominis agat in instanti in corpus; et quod simul agat, et non successive, quia spirituale non est in loco; et quod recipiatur a materiali corporis non in instanti, sed in momento (n. 60, 61).

Quod tres gradus sint in mente, qui induti materialibus in corpore (n. 60, 61).

Quod nemo possit amare Dominum a se, sed a Domino, et hoc sicut a se; illustratum: tum per leges influxus (*de quibus*, n. 70);
Quomodo hoc fit (*vide* ***Mens et Conversio***) (n. 71).

De discrimine inter homines et bestias, ex influxu et ejus receptione (*illustratum*, n. 75 [*De Am. Conj.*, n. 134]).

Intellectus. Intelligentia. —Quod amor faciat sibi sapientiam, intelligentiam, et scientiam, ut existat (*illustr.*, n. 12). (*Vide* ***Amor.***)

Quod omnis amor et omnis sapientia, seu omne bonum et verum, sit a Domino (n. 33 [*De Am. Conj.*, n. 84]).

De reciproca unione amoris et sapientiae. seu boni et veri (*vide* ***Amor***) (n. 36–38 [*De Am. Conj.*, n. 89]).

Quod unio illa apud hominem sit a Domino (*vide* ***Amor***) (n. 39, 40 [*De Am. Conj.*, n. 92]).

Describitur qualis voluntas et intellectus sunt apud virum, et qualis apud feminam, ante conjugium et post illud (n. 54 [*De Am. Conj.*, n. 90]).

De intellectuali supremo, superiori, et inferiori apud hominem, et de influxu ejus successive (*vide* ***Influxus***) (n. 57).

Quod omne unum in intellectu consistat ex myriadibus (n. 68 [*De Am. Conj.*, n. 329]).
Quomodo conjungitur sapientia intellectus cum amore voluntatis (*illustr.*, n. 75 *fin.* [*De Am. Conj.*, n. 92, 93]).

Malum.—Fugere mala ut peccata (*vide* ***Paenitentia***) [(n. 73)].

Masculus.—Quid masculinum et femininum (*vide* ***Femina***) (n. 6 [*De Am. Conj.*, n. 90, 91]).

Quod inde sit quod masculus nascatur ut fiat intellectualis; et quod sit alius

NOTAE CRITICAE EDITORIS.

Pag.	*Sig.*	
5	1	*Titulus:—vide Apoc. Rev.*, n. 434, *et alibi.*
7	1	569 *pro* "769" (*videatur Index Rerum, s. v.* **Amor conjugialis.**
	2	765–882 *pro* "564 *ad* 852" (*videatur Index, s. v.* **Similitudo.**)
8	1	1819 *pro* "1419" (*videatur Index, s. v.* **Violatio**).
	2	*Videantur summaria quae nunc subsequuntur*, pag. 9.
9	1	*Haec contenta, in editione photolithographica, post indicem Memorabilium sistuntur.*
	2	*Linea calami per verba* "De Casto et Incasto, n. 2046," *ab auctore ducta est. Vide Art.* vi., pag. 5.
	3	*Linea calami per verba* "De Amore vere conjugiali, n. 2055," *ab auctore ducta est. Vide Art.* iii., pag. 5.
i	1	*In utroque nunc sequente Indice, successionem litterarum servantes, ordinem articulorum hic illic mutavimus.*
ii	1	1878 *pro* "1778"
v	1	*Articulus,* **Amor sui et mundi,** *ab aliis distinctus, in hoc Indice non exstat.*
xi	1	sciant *pro* "sciat"
	2	1200–1211 *pro* "1200 *ad* 1207 *ad* 1211"
xii	1	bonum *pro* "boni"
xiii	1	omnes:—*Editio photolith. habet* "omne." *Dubitare quin* omnes *ab auctore scriptum sit, non possumus.*
xvi	1	ad se *pro* "inter se ad se:" *verba* "inter se" *cum deleto cohaerent.*
xxi	1	conjugialis *pro* "conjugialis principaliter"
xxvii	1	*Hoc est iteratum; vide mox supra.*
	2	graduum *pro* "gradus". *Vide supra, s. v.* **Gradus.**
xxviii	1	inferni *pro* "infernis". *Vide infra, s. v.* **Infernum.**
	2	appareant *pro* "appareat"
	3	influxus *pro* "in influxus"
xxix	1	intellectus *pro* "voluntatis"
xxx	1	faciat *pro* "facere"
xxxii	1	1030–1034 *pro* "1030 *ad* 1029:" *vide supra, s. v.* **Deliciae.**
xxxii	2	quamdiu *pro* "non quamdiu":—"non," *in editione photolithographica restitutum, ab auctore forte est deletum.*
xxxiii	1	confirmatum *pro* "confirmata"
	2	"sit ex amore sexus:"—*horum verborum est iteratio.*
xxxiv	1	conjugialis naturalis *pro* "naturalis conjugialis naturalis"
xxxv	1	felicia *pro* "Deliciae." *Verbum semideletum, in editione photolithographica vitiose restitutum est. Vide infra, s. v.* **Religio.**
	2	pulchritudinis *pro* "conjugialis". *Vide supra, s. v.* **Intellectus.**
xxxvi	1	illud *pro* "illum"
xxxix	1	172–175 *pro* "172 *ad* 172"
	2	resideat *pro* "residerit". *Verbum semideletum, in editione photolithographica recte restitutum esse non videtur.*
xlii	1	*Linea sub hos numeros ab auctore ducta est.*
xliii	1	*Videatur nota antecedens.*
	2	"tempore":—*sic, nisi legeres* modo; *vide s. v.* **Storge.**
xlv	1	1258 *pro* "258"
li	1	sint *pro* "sunt"
lii	1	pectorali *pro* "pectoralis"
	2	*Hoc est iteratum; vide supra.*
lv	1	Quomodo *pro* "quomo"
lvi	1	bonum *pro* "verum"
lvii	1	facit *pro* "faciat"

CHRISTIANA RELIGIO

CONTINENS

Universam Theologiam Novae Ecclesiae

QUAE PER "NOVAM HIEROSOLYMAM" IN APOCALYPSI INTELLIGITUR

CANONES NOVAE ECCLESIAE

SEU INTEGRA THEOLOGIA NOVAE ECCLESIAE

De Deo uno et infinito:
De Domino Redemptore, et de Redemptione:
De Spiritu Sancto:
De Divina Trinitate.[1]

OPUS POSTUMUM

EMANUELIS SWEDENBORGII

NEW YORK

AMERICAN SWEDENBORG PRINTING AND PUBLISHING SOCIETY

20 COOPER UNION

MDCCCLXXXV

PRAEFATIUNCULA EDITORIS.

Cum Auctori in mente erat Doctrinam Novae Ecclesiae in ejus plenitudine, ita integram, in lucem edere, (consultum tandem peractum quo tempore opus magnum ipsius ultimum, *Vera Christiana Religio*, editum est,) sciagraphiam ejusdem prius emisit. Eodem tempore, in hoc opusculo, dispositionem et ordinem operis futuri quodam modo delineabat.

Pars *De Scriptura Sacra* (videatur annotatio prima, pag. 69) non est inventa.

Hoc opusculum, quadam in parte, Londini exornatum esse, e nota, pag. 65, patet. Londini quidem, anno 1840, primum typis excusum est.

Non ex ipso Auctoris chirographo, sed solum e vetustis apographis, hoc opus edere potuimus. Autographon quidem non est inventum.

Ad nostram editionem adornandam, binis exemplaribus usi sumus: quorum unum, ab Johansen exscriptum, Augusto Nordensköld curatore, *The Swedenborg Society* Londiniensis nobis usui praebuit; alterum, *Scarense exemplar* appellatum, benigne nobis commodavit Dr. R. L. Tafel, cujus *Documenta*, pag. 1012, 1013, videantur.

Unicuique exemplorum sunt plura quae alteri desunt.

Ubique a textu Nordenscoeldii abivimus, rem diligenter significavimus.

SAMUEL H. WORCESTER.

BRIDGEWATER, MASS., *Mar.*, 1885.

INDEX COMMUNIUM.

DE DEO.

DE DOMINO REDEMPTORE ET DE REDEMPTIONE.

DE DOMINO REDEMPTORE.

DE REDEMPTIONE.

DE SPIRITU SANCTO.

DE TRINITATE.

[CANONES NOVAE ECCLESIAE.]

[1]*PROLOGUS.*

Quod hodie non aliud quam [2]suisona ratio amoris instaurabit, quia lapsi sunt.

Quod hodierna ecclesia erret de Deo, quod erret de fide, quod erret de charitate, et quod nihil sciat de vita aeterna; ita quod sit in caligine.

Quod super idea Dei tota religio fundetur, et quod haec [3]sequatur secundum illam.

Quod haec ecclesia sit ad quam sicut [4]collinearunt omnes ecclesiae a prima in ordine; de qua Daniel prophetavit.

[5]Nova Ecclesia non potuit instaurari antequam ultimum judicium peractum erat, ex causa ne profanentur sancta. Tunc promissum quod sensus spiritualis Verbi detegendus, et [quod detegendum] quod solus Dominus [sit] Verbum, cujus adventus tunc fit.

Quod apud paucos hodie sit religio, est ex causa,—(1.) Quod non sciatur de Domino quod sit solus Deus persona et essentia, in quo Trinitas; cum tamen omnis religio fundatur super cognitione Dei, ac Ipsius adoratione et cultu: (2.) Quod non sciatur quod fides non aliud sit quam veritas, et quod non sciatur num hoc quod vocant fidem sit veritas vel non: (3.) Quod non sciatur quid

charitas, nec quid malum et bonum: (4.) Quod non sciatur quid sit vita aeterna.

Quantum vera vitae fiunt vitae, tantum vera fidei fiunt fidei, et ne hilum plus aut minus. Quaedam sunt scientiae, et non fidei.

---

[1]IN HOC OPERE CONTINETUR

UNIVERSA THEOLOGIA

NOVAE ECCLESIAE

QUAE PER "NOVAM HIEROSOLYMAM" IN APOCALYPSI

INTELLIGITUR.

[I.]

DE DEO.

SUMMARIA.

I.—Quod sit unus Deus.

II.—Quod unus ille Deus sit ipsum Esse, quod est Jehovah.

III.—Quod Ipse ille Deus sit ab aeterno, et inde ipsa Aeternitas.

IV.—Quod Deus, quia est ipsum Esse, et ab aeterno, sit Creator universi.

V.—Quod unicus ille Deus sit ipse Amor et ipsa Sapientia, ita ipsa Vita.

VI.—Quod creaverit universum ex Divino Amore per Divinam Sapientiam; seu quod idem, ex Divino Bono per Divinum Verum.

VII.—Quod apud Ipsum creatio universi pro fine habuerit caelum angelicum ex humano genere:—

VIII.—Proinde communicationem et conjunctionem sui amoris et suae sapientiae cum hominibus et angelis, et inde beatitudinem et felicitatem illorum in aeternum.

IX.—Quod ille finis in Deo Creatore ab aeterno fuerit, ac in aeternum sit; et quod inde ab Ipso sit conservatio universi creati.

X.—Quod Deo per suum Divinum procedens sit omnipotentia, omnipraesentia, et omniscientia. ([*Videatur*] *Apoc. Rev.*, n. 31.)*

---

* [Annotationes e margine:—]Quod Theologica supremam regionem mentis humanae teneant; quae innumerabilia sunt.

Quod in medio illorum sit Deus.

Quod influxus ab Illo sit in omnia et singula [1]infra, sicut a sole.

Quod ideo oratio, [2]ut cognitio de Illo pervadat et impleat omnia illa.

Quod conjunctio cum Ipso faciat [3]hominem Ipsius imaginem.

Quod conjunctio fiat per amorem et sapientiam.

CAPUT PRIMUM.

De Unitate Dei; seu quod unus Deus sit.

1. Quod supremum et intimum omnium doctrinalium ecclesiae, et inde universale illorum, sit cognitio et agnitio quod Deus unus sit.
2. Quod nisi unus Deus foret, non potuisset universum creari et conservari.
3. Quod in homine qui non agnoscit Deum, non sit ecclesia, ita non caelum.
4. Quod in homine qui non agnoscit unum Deum, sed plures, nihil ecclesiae cohaereat.
5. Quod universalis influxus a Deo et e caelo angelico in animam hominis sit, quod Deus sit, et quod unus sit.
6. Quod ratio humana ex multis in mundo percipere possit, si vult, quod Deus sit, et quoque quod unus.
7. Inde est quod in universo mundo non detur gens, cui est religio et sana ratio, quae non agnoscit et fatetur unum Deum.
8. Quod Scriptura, et inde doctrinae ecclesiarum in Christiano orbe, doceant quod unus Deus sit.
9. Sed quod qualis unus ille Deus est, populi et gentes abiverint et [1]abeant in diversum.
10. Quod abiverint et abeant in diversum de Deo, et de unitate Ejus, sint plures causae.

CAPUT SECUNDUM.

QUOD UNUS ILLE DEUS SIT IPSUM ESSE, QUOD EST JEHOVAH :—

seu,

DE ESSENTIA ET EXISTENTIA DEI, IN SE IPSO.

1. Quod unus ille Deus dicatur "Jehovah" ex *Esse;* ita ex eo, quod sit

   "Qui est, fuit, et venturus,"—

   seu quod idem, quod sit

   "Primus et Ultimus," "Principium et Finis," "Alpha et Omega" (*Apoc.* i. 8, 11 ; xxii. 13 : *Esai.* xliv. 6).

2. Proinde quod unicus ille Deus sit ipsa Essentia, Substantia, et Forma ; et quod homines et angeli sint spirituales essentiae, substantiae, et formae, seu imagines et similitudines, quantum ex ipsa et unica illa Divina trahunt.
3. Quod hoc Divinum Esse sit Esse in se.
4. Quod Divinum Esse in se simul sit Divinum Existere in se.
5. Quod Divinum Esse et Existere in se non possit producere aliud Divinum quod est Esse et Existere in se.
6. Consequenter, quod Deus alius, ejusdem Essentiae cum Deo uno, non detur.
7. Quod pluralitas deorum in saeculis antiquis, et quoad partem in hodiernis, non aliunde duxerit originem quam ex non intellecta Divina Essentia.

CAPUT TERTIUM.

De Infinitate Dei.

1. Quod Deus, quoniam ante mundum fuit, ita antequam spatia et tempora fuerunt, sit infinitus.
2. Quod Deus, quoniam est et existit in Se, et omnia in mundo sunt et existunt ab Ipso, infinitus sit.
3. Quod Deus, quoniam postquam mundus factus est in spatio est absque spatio, et in tempore absque tempore, infinitus sit.
4. Quod Deus, quoniam est omne in omnibus mundi, et in specie omne in omnibus caeli et ecclesiae, infinitus sit.
5. Quod Infinitas Dei correspondenter ad spatia dicatur Immensitas; et quod [1]Infinitas Ipsius correspondenter ad tempora dicatur Aeternitas.
6. Quod tametsi Dei Immensitas est correspondenter ad spatia, ac Aeternitas correspondenter ad tempora, usque nihil spatii in Ejus Immensitate, et nihil temporis in Ejus Aeternitate sit.
7. Quod per Immensitatem Dei intelligatur Divinitas Ipsius quoad Esse; et per Aeternitatem, Divinitas Ipsius quoad Existere; utrumque in se, seu in Ipso.
8. Quod omne creatum sit finitum; et quod Infinitum sit in finitis, ut in suis receptaculis.
9. Quod angeli et homines, quia sunt creati et inde finiti, non comprehendere [2]possint Infinitatem Dei, et non Ipsius Immensitatem et Aeternitatem, quales in se sunt.
10. Quod tamen usque illustrati a Deo, sicut per transennam, videre possint quod Deus infinitus sit.
11. Quod etiam imago Infiniti impressa sit varietatibus et propagationibus in mundo: varietatibus, quod non [3]detur aliquod idem; et propagationibus animatis et inanimatis, quod multiplicatio

unius seminis sit in infinitum, et prolificatio in aeternum: praeter multa alia.*

12. Quod quantum et qualiter homo et angelus agnoscit Unitatem et Infinitatem Dei, tantum et taliter, si bene vivit, fiat receptaculum et imago Dei.
13. Quod vanum sit cogitare quid fuit ante mundum, tum quid [1]est extra mundum; quoniam ante mundum non fuit tempus, et extra mundum non est spatium.
14. Quod homo ex cogitatione de illis possit in delirium cadere, nisi quoad partem a Deo abstrahatur ab idea spatii et temporis; quae omnibus et singulis cogitationis humanae inhaeret, et angelicae adhaeret.

CAPUT QUARTUM.

De Creatione Universi a Deo uno et infinito.†

1. Quod nemo possit concipere idea et percipere quod Deus creaverit universum, nisi prius aliquid sciat de mundo spirituali et ejus Sole; ut et de correspondentia et inde conjunctione spiritualium cum naturalibus.
2. Quod duo mundi sint; mundus spiritualis ubi sunt spiritus et angeli, et mundus naturalis ubi sunt homines.
3. Quod alius sol in mundo spirituali sit, et alius in mundo naturali; et quod mundus spiritualis exstiterit et subsistat ex suo Sole, et quod mundus naturalis per suum.

---

* [Annotationes e margine:—]De Essentia et Existentia Dei; De Immensitate et Aeternitate Dei:—seu imprimis talia [illustrent][2]:—

[3]Quod quaedam formae sint,—quadratura circuli, hyperbola, series numerorum,—in infinitum; faciei humanae diversitates, etiam animorum; tum [quod] caelum angelicum [4]lucis infinite augeri possit; ex caelo astrifero, etc.

† [Nota e margine:—]Videatur supra de Jehovah, seu de Esse Dei; etiam n. 1; et exsumantur inde quae hic desunt.

4. Quod Sol mundi spiritualis sit purus amor a Jehovah Deo, qui in medio ejus est; et quod sol mundi naturalis sit purus ignis.
5. Quod omne quod ex Sole mundi spiritualis procedit, sit vivum; et quod omne quod ex sole mundi naturalis, sit mortuum.
6. Quod inde omne quod ex Sole mundi spiritualis procedit, sit spirituale; et omne quod ex sole mundi naturalis, sit naturale.
7. Quod Jehovah Deus, per Solem in cujus medio est, creaverit mundum spiritualem; et per hunc, mediate, mundum naturalem.
8. Quod spiritualia sint substantialia, et quod naturalia sint materialia; et quod haec exstiterint et subsistant ex illis, sicut posterius a priore, seu exterius ab interiori.
9. Quod inde omnia quae in mundo spirituali sunt, etiam in mundo naturali sint; ac vicissim; cum discrimine perfectionis.
10. Quod [1]quia naturale oritur ex spirituali, sicut materiale a substantiali, ubivis simul sint; et quod sic spirituale per naturale suas activitates exerceat, et functiones [2]operetur.
11. Quod idea creationis perpetuo existat in mundo spirituali; quoniam omnia quae ibi existunt et fiunt, a Jehovah Deo momento creantur.
12. Quod circum unumquemvis angelum in caelo sit idea creationis.*
13. Quod inter illa quae mundi spiritualis sunt, et illa quae mundi naturalis, sit correspondentia; et per correspondentiam, utriusque conjunctio.
14. Ex his patet quod creatio universi a Deo uno et infinito, sine praevia cognitione de mundo spiri-

---

* [ANNOTATIO E MARGINE:—]Quod in mundo spirituali ad oculum videri possit creatio:—Ibi omnia creantur a Domino, ut momento: domus creantur, utensilia domus creantur, cibi creantur, vestes creantur; agri, horti, campi creantur; pecudes et armenta creantur. Illa et innumera alia creantur secundum affectiones et inde perceptiones angelorum, et apparent circum illos, et perdurant quamdiu in [3]affectionibus illis sunt, et removentur ut primum illae cessant. In infernis etiam creantur serpentes, et bestiae et aves noxiae; non quod [4]creentur a Domino, sed quod vertantur bona in mala. Inde patet quod omnia in mundo [4]creentur a Domino, et [5]figantur per naturalia quae circumdant.

tuali et ejus Sole, et de correspondentia, nequaquam concipi possit; et quod propterea, de creatione universi prodierunt hypotheses fundatae super naturalismo, quae fatuae.

CAPUT QUINTUM.

De Divino Amore et Divina Sapientia in Deo.

1. Quod Amor et Sapientia sint duo essentialia et universalia Vitae; Amor Esse Vitae, et Sapientia Existere Vitae ab illo Esse.
2. Quod Deus sit ipse Amor et ipsa Sapientia; quia est ipsum Esse et Existere in se.
3. Quod nisi Deus esset ipse Amor et ipsa Sapientia, non foret aliquid amoris et aliquid sapientiae apud angelos in caelo et apud homines in mundo.
4. Quod quantum angeli et homines uniuntur Deo per sapientiam et amorem, tantum in vero amore et in vera sapientia sint.
5. Quod duo procedant a Jehovah Deo, per Solem in cujus medio est,—calor et lux; et quod calor inde procedens sit amor, et lux sapientia.
6. Quod lux exinde procedens sit splendor amoris, qui in Verbo intelligitur per "gloriam."
7. Quod lux illa sit ipsa vita.
8. Quod angeli et homines tantum vivi sint, quantum in sapientia ex amore sunt a Deo.
9. Quod simile sit, si dicatur quod Deus sit ipsum Bonum et ipsum Verum, sive ipse Amor et ipsa Sapientia; quoniam omne bonum est amoris, et omne verum est sapientiae.
10. Quod amor et sapientia sint inseparabiles ac individui; similiter bonum et verum: quapropter, qualis est amor apud angelos et homines, talis est sapientia apud illos; seu quod idem, quale est bonum tale est verum; non autem vicissim.

CAPUT SEXTUM.

De Creatione Universi a Deo uno et infinito, ex Divino Amore, per Divinam Sapientiam.

1. Quod ratio illustrata videat quod omnium prima Origo mundi sit Amor, et quod Mundus creatus sit ex illo per Sapientiam. Inde et non aliunde est quod mundus, a primis suis ad ultima sua, sit opus in aeternum cohaerens.
2. Quod Mundus creatus sit ex Amore per Sapientiam,—ita per Solem, qui est purus Amor, in cujus medio est Jehovah Deus,—videri potest ex correspondentia amoris cum calore, ac sapientiae cum luce. Quod per haec duo, calorem et lucem, subsistat mundus, et quotannis [1]creentur omnia super ejus superficie ; et quod si duo illa subtraherentur, caderet mundus in chaos, et sic in nihilum.
3. Quod sint tria quae sequuntur ordine, et procedunt comitatu individuo, videlicet, Amor, Sapientia, et Usus.
4. Quod Amor per Sapientiam existat et subsistat in Usu.
5. Quod tria illa sint in Deo, et quod tria illa procedant ex Deo.
6. Quod Universum creatum consistat ex infinitis receptaculis trium illorum.
7. Quia Amor et Sapientia existunt et subsistunt in Usu, quod Universum creatum sit Receptaculum usuum, qui, ex origine sua, infiniti sunt.
8. Quoniam omne Bonum est a Deo, ac Bonum et Usus unum sunt, ac Universum creatum est Plenitudo usuum in formis, sequitur quod Universum creatum sit Plenitudo Dei.
9. Quod Creatio facta sit ex Divino Amore per Divinam Sapientiam, intelligitur per haec apud *Johannem*,

"In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. ....Omnia per Ipsum facta sunt: ....et mundus per Ipsum factus est" (i. 1, 3, 10).

Per "Deum" ibi intelligitur Divinum Bonum Amoris; et per "Verbum," quod etiam erat Deus, Divinum Verum Sapientiae.

10. Quod Mala, seu mali Usus, non exstiterint quam post Creationem.

CAPUT SEPTIMUM.

DE IPSO FINE CREATIONIS; QUOD SIT CAELUM ANGELICUM EX HUMANO GENERE.

1. Quod in mundo creato sint perpetuae progressiones Finium; hoc est, ex Finibus primis, per Fines medios, ad Fines ultimos.
2. Quod Fines primi sint Amoris, aut relationes ad Amorem; quod Fines medii sint Sapientiae, aut relationes ad Sapientiam; quod Fines ultimi sint Usus, aut relationes ad Usum. Quod haec sint, quia [1]infinita omnia in Deo et a Deo sunt Amoris, Sapientiae, et Usus.
3. Quod progressiones illae finium vadant a primis ad ultima, et redeant ab ultimis ad prima; et quod vadant et redeant per periodos, quae vocantur circuli rerum.
4. Quod progressiones illae finium sint universales plus et minus; et quod hae sint complexus finium singularium.
5. Quod finis universalissimus, qui est finis finium, sit in Deo: et quod ille procedat ex Deo, a primis mundi spiritualis ad ultima mundi naturalis; et quod ex his ultimis redeat ad illa prima, et sic ad Deum.
6. Quod finis ille universalissimus, seu finis finium a Deo, sit caelum angelicum ex humano genere.

7. Quod finis ille universalissimus sit complexus omnium finium et horum progressionum in utroque mundo, spirituali et naturali.

*8. Quod finis ille universalissimus sit intime, et sicut vita et anima, vis et conatus, in omnibus et singulis creatis.

9. Quod inde sit nexus concatenatus omnium in universo creato, a primis ad ultima, et ab ultimis ad prima.

10. Quod ex hoc fine insito creatis, in communi et in parte, sit conservatio universi.

ALITER.

1. Quod amor sit conjunctio spiritualis.

2. Quod verus amor non possit quiescere in se, ac intra proprii limites coerceri; sed quod velit exire, et alios amore complecti.

3. Quod verus amor velit conjungi aliis, ac illis communicare et dare sua.

4. Quod verus amor velit habitare in aliis, et in se ex aliis.

5. Quod Divinus Amor, qui est ipse Amor et Ipse Deus, velit ut sit in subjecto quod est imago et similitudo ipsius; consequenter, quod velit ut sit in homine, et homo in ipso.

6. Ut hoc fiat, sequitur ex ipsa essentia Amoris qui in Deo est, et inde ex urgente causa, quod a Deo universum creandum sit, in quo sint tellures, et super quibus homines, ac in hominibus mentes et animae, cum quibus Amor Divinus conjungi potest.

7. Quod ideo omnia quae creata sunt spectent hominem ut finem.

8. Quia caelum angelicum formatur ex hominibus, ex illorum spiritibus et animabus, quod omnia quae creata sunt spectent caelum angelicum ut finem.

9. Quod caelum angelicum sit ipsum habitaculum Dei cum hominibus, et hominum cum Deo.

---

* [In autographo, tres paragraphi nunc sequentes linea transversa ab auctore sunt deleti. Sic dicit Nordensköld.—Conferatur articulus subsequens, n. 11, p. 19.]

10. Quod beatitudines, felicitates, et jucunditates aeternae, simul sint fines creationis; quia sunt amoris.
11. Quod hic finis sit intimus; ita sicut vita et anima, ac ut vis et conatus, in omnibus et singulis creatis.
12. Quod ille finis sit Deus in illis.
13. Quod hic finis insitus creatis in communi et in parte faciat ut conservetur universum in statu creato, quantum fines amoris oppositi non obstant et labefactant.
14. Quod Deus, ex Divina sua omnipotentia, omnipraesentia, et omniscientia, continue provideat ne fines oppositi ex amoribus oppositis praevaleant, et creationis opus labefactent usque ad internecionem.
15. Quod conservatio sit perpetua creatio, sicut subsistentia est perpetua existentia.

CAPUT OCTAVUM.

De Dei Omnipotentia, Omniscientia, et Omnipraesentia.

1. Quod Dei omnipotentia, omniscientia, et omnipraesentia non cadant in intellectum humanum, quia Dei omnipotentia est infinita potentia, Dei omniscientia est infinita sapientia, et omnipraesentia est infinita praesentia, in omnibus quae exiverunt et quae exeunt ab Ipso; ac Divinum Infinitum non cadit in intellectum finitum.*
2. Quod Deus sit omnipotens, omniscius et omnipraesens, absque rationali scrutinio agnoscitur; quoniam hoc a Deo influit in superiorem partem

* [Annotatio e margine:—]Quod procedant omnia secundum ordinem. Quod Deus sit Ordo.

mentis humanae, et inde in agnitionem apud omnes apud quos est religio et sana ratio. Quod etiam influat apud illos apud quos non est religio, sed quod apud hos non sit receptio, et inde non agnitio.

3. Quod Deus sit omnipotens, omniscius, et omnipraesens, homo se confirmare potest ex innumerabilibus quae rationis et simul religionis sunt, ut ex sequentibus his:—

4. *Primum*, Quod solus Deus sit et existat in Se; et quod omnis alius et omne aliud ex Ipso.

5. *Secundum*, Quod solus Deus amet, sapiat, et vivat, et agat a Se; et quod omnis alius et omne aliud ex Ipso.

6. *Tertium*, Quod solus Deus possit a Se; et quod omnis alius et omne aliud ab Ipso.

7. *Consequenter*, Quod Deus sit anima totius; ex qua omnes et omnia sunt, vivunt, et moventur.

8. Quod nisi omnia et singula in mundo et caelo se referrent ad Unum, qui est, vivit, et potest a Se, universum momento dissiparetur.

9. Quod inde universum a Deo creatum sit plenitudo Dei. Quare Ipse dicit quod sit

"Primus et Ultimus," "Principium et Finis," "Alpha et Omega," "Qui fuit, est, et erit, Omnipotens" ([*Apoc.* i. 8, 11]).

10. Quod conservatio universi, quae est perpetua creatio, sit plenum testimonium quod Deus sit omnipotens, omniscius, et omnipraesens.

11. Quod opposita, quae sunt mala, non [1]tollantur quia Deus sit omnipotens, omniscius, et omnipraesens; quia mala sunt extra subjecta, et extra creata, et non penetrant ad Divina quae sunt intra.

12. Quod mala, ex Divina Providentia quae etiam est universalis in singularissimis, plus et plus ab interioribus removeantur et ejiciantur ad extra, et sic abalienentur et separentur ne aliquam noxam inferant internis quae sunt Divina.*

---

* [ANNOTATIONES E MARGINE:—]Quod omnipotentia Divina sit per Humanum Ipsius. Quod hoc sit "sedere ad dextram," et esse "Primus et Ultimus," ut dicitur de Filio Hominis *in Apocalypsi;* et ibi [dicitur] quod sit "omnipotens." Causa [est] quia Deus agit a primis per ultima, et sic continet omnia.

Dominus agit a primis per ultima apud homines; non per aliquid hominis, sed per suum in illo. Apud Judaeos egit per Verbum apud illos, ita per suum; per id etiam fecit miracula per Eliam et Elisaeum; sed quia Judaei perverterunt Verbum, venit Ipse Deus, et "Ultimum" Se fecit. Ita tunc ex Se fecit miracula.

Quod sit Ordo primum creatus, secundum quem aget Deus. Quare Ipse Deus Se fecit Ordinem.

[II.]

DE DEO REDEMPTORE JESU CHRISTO, ET DE REDEMPTIONE.

[*DE DEO REDEMPTORE JESU CHRISTO.*]

SUMMARIA.

[*Ex Indice Communium allata.*]

CAPUT PRIMUM.

Quod in Jehovah Deo sint duo, ejusdem essentiae,—Divinus Amor et Divina Sapientia, seu Divinum Bonum et Divinum Verum.

1. Quod universaliter et singulariter omnia in utroque mundo, spirituali et naturali, se referant ad amorem et sapientiam, seu ad bonum et verum, quoniam Deus Creator et Stator universi est ipse Amor et ipsa Sapientia, seu ipsum Bonum et ipsum Verum.
2. Prorsus sicut universaliter et singulariter omnia in

homine se referunt ad voluntatem et intellectum; quoniam voluntas est receptaculum boni seu amoris, ac intellectus est receptaculum sapientiae et veri.

3. Et prorsus sicut omnia universi quoad existentiam et subsistentiam se referunt ad calorem et lucem: et calor in spirituali mundo in essentia sua est amor, ac lux ibi in essentia sua est sapientia; et calor et lux in naturali mundo correspondent amori et sapientiae in spirituali.
4. Inde est quod omnia in ecclesia se referant ad charitatem et fidem; quoniam charitas est bonum, et fides est verum.
5. Quod ideo in Verbo prophetico sint binae expressiones, quarum una se refert ad bonum, altera ad verum; et sic ad Jehovam Deum, qui est [1]Ipse Bonum et [1]Ipse Verum.
6. Quod in Verbo Veteris Testamenti "Jehovah" significet Divinum Esse, quod est Divinum Bonum, ac "Deus" Divinum Existere quod est Divinum Verum; et quod "Jehovah Deus" significet utrumque, similiter "Jesus Christus."
7. Quod bonum sit bonum, ac verum sit verum, quantum et qualiter conjuncta sunt.
8. Quod bonum existat per verum; consequenter quod verum sit forma boni, et inde quale boni.

CAPUT SECUNDUM.

Quod Jehovah Deus quoad Divinam Sapientiam seu Divinum Verum descenderit, et in Maria Virgine assumpserit Humanum.

1. Quod Jehovah Deus assumpserit Humanum, ut in temporis plenitudine fieret Redemptor et Salvator.
2. Quod Redemptor et Salvator factus sit per Justitiam quam tunc, quoad Humanum, induit.

3. [1]Quod non fieri potuerit Justitia et sic Redemptor et Salvator quoad Humanum, nisi per Divinum Verum: quoniam per Divinum Verum a principio omnia facta sunt quae facta.
4. Quod Divinum Verum potuerit pugnare contra inferna, quodque potuerit tentari, blasphemari, reprobari, pati.
5. Non autem Divinum Bonum; nec Deus, nisi in humano secundum Divinum ordinem concepto et nato.
6. Quod Jehovah Deus ideo descenderit quoad Divinum Verum, et assumpserit humanum.
7. Quod hoc sit secundum Scripturam Sacram, et secundum rationem illustratam ibi et inde.

CAPUT TERTIUM.

Quod Divinum hoc Verum intelligatur per "Verbum" quod "Caro factum est" (*Joh.* i.).*

1. Quod "verbum" in Scriptura Sacra significet varia; ut quod significet rem quae realiter existit; tum cogitationem mentis, et inde sermonem.
2. Quod primario significet omne quod ex Dei ore existit, et exit, ita Divinum Verum; proinde Scripturam Sacram, quoniam ibi est Divinum Verum in sua essentia et forma; ex eo est quod illa, una voce, dicatur "Verbum."

---

* [Annotationes e margine:—]Verbum Hypostaticon:—

Quod non potuerit Filius vocare Se Deum, ita Se Patrem. Quod non potuerit aliquis "Filius Dei ab aeterno" descendere, secundum effatum doctrinae hodiernae ecclesiae; quoniam [patet],

(1.) Quod non [potuerit] vocare Illum suum Patrem:—
(2.) Quod nec dicere quod omnia Patris, Sui sint;—
(3.) Quod qui videt Ipsum videat Patrem.—
(4.) Quod in *Baptismo* et in *Transformatione* non potuerit Deus Pater dicere

"Hic est Filius meus" dilectus [(*Matth.* iii. 17; xvii. 5)].

(Praeter plura loca ex Verbo Veteris Testamenti de Adventu Domini, collecta in *Doctrina Novae Hierosolymae de Domino*, n. 6; et ibi, quod Jehovah venturus.)

3. Quod "Decem Verba" Decalogi significent omnia Divina vera in summa.
4. Quod "Verbum" inde significet Dominum Redemptorem et Salvatorem; quoniam omnia ibi sunt ex Ipso, ita Ipse.
5. Quod ex his videri possit quod per "Verbum" quod "in principio fuit apud Deum," et quod "fuit Deus," et quod "fuit apud Deum ante mundum," intelligatur Divinum Verum quod fuit ante creationem in Jehovah, et post creationem a Jehovah; et denique Divinum Humanum, quod Jehovah in tempore assumpsit; nam dicitur quod "Verbum Caro factum sit," hoc est, Homo.
6. Quod Verbum Hypostaticon nec aliud sit quam Divinum Verum.

CAPUT QUARTUM.

QUOD "SPIRITUS SANCTUS," QUI MARIAM SUPERVENIT, SIGNIFICET DIVINUM VERUM: ET QUOD "VIRTUS ALTISSIMI," QUAE OBUMBRAVIT, SIGNIFICET DIVINUM BONUM, EX QUO ILLUD.

1. Quod Spiritus Sanctus sit Divinum procedens, ita Divinum docens, reformans, regenerans, et vivificans.
2. Quod hoc sit Divinum Verum, quod Jehovah Deus locutus est per prophetas, et quod Ipse Dominus ex ore suo locutus est dum fuit in mundo.
3. Quod hoc Divinum Verum, quod etiam est Verbum, fuerit in Domino a nativitate ex conceptione; et quod postea ultra omnem modum, hoc est, infinite, auctum fuerit; quod intelligitur per quod Spiritus [1]Jehovae datus sit super Illum.
4. Quod Spiritus [1]Jehovae dicatur "Spiritus Sanctus," quoniam "Sanctum" in Verbo dicitur de Divino Vero. Inde est quod Humanum Domini in Maria natum dicatur "Sanctum" (*Luc.* i. [35]);

et quod Ipse Dominus dicatur "Solus Sanctus" (*Apoc.* xv. 4); et quod alii dicantur "sancti," non a se, sed ab Ipso.

5. Quod "Altissimum" in Verbo dicatur de Divino Bono; quare "Virtus Altissimi" significat Potentiam ex Divino Bono procedentem.
6. Quod ideo duo illa, "Spiritus Sanctus superveniens" et "Virtus Altissimi obumbrans," significent utrumque, videlicet, Divinum Verum et Divinum Bonum,—hoc faciens animam, et illud corpus,—et communicationem.
7. Consequenter, quod duo illa in Domino recens nato distincta fuerint, sicut sunt anima et corpus; at postea, unita.
8. Similiter ut fit in homine, qui nascitur et postea regeneratur.

CAPUT QUINTUM.

QUOD HUMANUM DOMINI [1]JEHOVAE SIT "FILIUS DEI IN MUNDUM MISSUS."

1. Quod Jehovah Deus Se miserit in mundum, per quod assumpserit Humanum.
2. Quod hoc Humanum, conceptum a Jehovah Deo, dicatur "Filius Dei, qui missus est in mundum."
3. Quod Humanum hoc dicatur "Filius Dei," et "Filius Hominis;" "Filius Dei" a Divino Vero et Divino Bono in illo, quod est Verbum; et "Filius Hominis" a Divino Vero et Bono ex Ipso, quod est doctrinae ecclesiae ex Verbo inde.
4. Quod non alius Filius Dei intelligatur in Verbo quam qui natus est in mundo.
5. Quod "Filius Dei natus ab aeterno," qui Deus per Se, non sit ex Scriptura Sacra; et quod contrarietur rationi etiam a Deo illustratae.
6. Quod hoc a Concilio Nicaeno inventum et factum sit, sicut asylum, in quod se reciperent illi qui

vellent scandala de Humano Domini ab Ario et ejus asseclis disseminata evitare.

7. Quod primitiva ecclesia, quae vocabatur Apostolica, de nativitate alicujus Filii Dei ab aeterno nihil sciverit.

CAPUT SEXTUM.

QUOD DOMINUS, QUANTUM FUIT IN DIVINO VERO QUOAD HUMANUM, SEORSUM, TANTUM FUERIT IN STATU EXINANITIONIS; ET QUANTUM FUIT CUM DIVINO BONO, CONJUNCTIM, TANTUM FUERIT IN STATU GLORIFICATIONIS.

1. Quod Domino fuerint bini status, unus qui vocatur status exinanitionis, alter qui glorificationis.
2. Quod status exinanitionis etiam fuerit status humiliationis coram Patre, et quod status glorificationis fuerit status unitionis cum Patre.
3. Quod Dominus, cum fuit in statu exinanitionis seu humiliationis, oraverit ad Patrem sicut absentem seu remotum; at quod cum fuit in statu glorificationis seu unitionis locutus sit cum Se Ipso, dum cum Patre; prorsus sicut apud hominem sunt animae et corporis status, ante et post regenerationem.
4. Quod Dominus, cum in Divino Vero fuit seorsum, fuerit in statu exinanitionis, quoniam illud ab infernis seu diabolis ibi potuit impugnari, et ab hominibus reprobari; quare Dominus, cum fuit in illo seorsum, potuit tentari et pati.
5. Vicissim autem quod Dominus, cum fuit in Divino Bono conjunctim, non potuerit a diabolis in inferno, nec ab hominibus in mundo, tentari et pati; quoniam illud non potest accedi, minus invadi.
6. Quod Dominus alternatim in binis illis statibus in mundo fuerit.

7. Quod Dominus non potuerit aliter fieri Justitia et Redemptio.
8. Quod simile fiat cum homine qui regeneratur a Domino.
9. Hoc ab experientia, ratione, et Scriptura Sacra.

CAPUT SEPTIMUM.

QUOD DOMINUS UNIVERIT DIVINUM VERUM DIVINO BONO AC DIVINUM BONUM DIVINO VERO, ITA HUMANUM CUM DIVINO PATRIS ET DIVINUM PATRIS CUM HUMANO, PER TENTATIONES, ET PLENE PER PASSIONEM CRUCIS.

1. Quod Dominus in mundo tentationes graves et immanes ab infernis in Se admiserit et subiverit, et quod demum ultimam illarum, quae fuit passio crucis.
2. Quod Dominus in tentationibus pugnaverit cum infernis, ac illa vicerit et subjugaverit.
3. Quod per id inferna in ordinem redegerit, et simul tunc caelos ubi angeli, et ecclesiam ubi homines; quoniam unius status ab alterius pendet continenter.
4. Quod Dominus etiam per tentationes et reprobationes, et ultimo per passionem crucis, repraesentaverit statum ecclesiae, qualis tunc fuit quoad Divinum Verum, ita quoad Verbum.
5. Quod Dominus per impletionem Verbi, et per tentationes, et plene per illarum ultimam quae fuit passio crucis, glorificaverit Humanum.
6. Quod sic sustulerit damnationem universalem, quae non modo orbi Christiano sed etiam orbi universo et quoque caelo angelico imminuit.
7. Quod hoc intelligatur per "quod peccata mundi portaverit et sustulerit."
8. Quod tentationes et reprobationes subiverit dum fuit in statu veri seorsum, qui fuit status exinanitionis Ipsius.

9. Quod conjunctio spiritualis hominis cum naturali, et naturalis hominis cum spirituali, fiat per tentationes.

CAPUT OCTAVUM.

Quod post exactam unitionem redierit in Divinum in quo ab aeterno fuit, una cum et in glorificato Humano.

1. Quod Jehovae Deo ab aeterno fuerit Humanum quale est angelis in caelis, sed essentiae infinitae, ita Divinum; et quod Ipsi non fuerit Humanum quale est hominibus in terris.
2. Quod Jehovah Deus assumpserit Humanum quale est hominibus in terris, secundum Divinum suum ordinem; qui est, ut conciperetur, nasceretur, adolesceret, et successive imbueret Divinam Sapientiam et Divinum Amorem.
3. Quod ita univerit hoc Humanum cum Divino suo ab aeterno, et quod sic exiverit ex Patre et redierit ad Patrem.
4. Quod Jehovah Deus in hoc Humano et per illud exercuerit justitiam, et Se fecerit Redemptorem et Salvatorem.
5. Et quod per unitionem ejus cum Divino suo Se fecerit Redemptorem et Salvatorem in aeternum.
6. Quod Jehovah Deus per unionem hujus Humani cum Divino suo exaltaverit omnipotentiam suam, quod intelligitur per "sedere ad dextram Dei."
7. Quod Jehovah Deus in hoc Humano sit supra caelos, illuminans universum lumine sapientiae, et inspirans in universum virtutem amoris.
8. Quod duo illa gratuito accipiant illi qui Ipsum ut Hominem adeunt, et secundum praecepta Ipsius vivunt.
9. Quod Jehovah Deus solus sit plenus Homo apud angelos.

CAPUT NONUM.

QUOD JEHOVAH DEUS SUCCESSIVE EXUERIT HUMANUM EX MATRE, ET INDUERIT HUMANUM EX PATRE; ET QUOD SIC HUMANUM ILLUD FECERIT DIVINUM.

1. Quod anima prolis sit ex patre, et quod illa in utero induat se corpore ex substantia matris; analogice, sicut semen in terra et ex substantia terrae.
2. Quod inde imago patris insit corpori, primum obscure, deinde plus et plus evidenter, sicut natus ad studia et officia patris se applicat.
3. Quod Christi corpus, quatenus a substantia Matris erat, non fuerit Vita in se; sed recipiens vitae a Divino in Ipso, quod fuit Vita in se.
4. Quod Christus, successive, sicut Divinam Sapientiam et Divinum Amorem exaltavit apud Se, susceperit in Se Divinam Vitam, quae est Vita in se.
5. Quod Christus, quantum suscepit Vitam in se ex Divino in Se, tantum exuerit humanum ex Matre, ac induerit Humanum ex Patre.
6. Quod Christus per id Humanum suum fecerit Divinum, et ex filio Mariae Se [fecerit] Filium Dei.
7. Quod Christus Jesus ita et non aliter potuerit esse in angelis et hominibus, ac angeli et homines in Ipso.
8. Sed quia Maria Mater Ipsius postea repraesentavit ecclesiam, quod in illo respectu nominanda sit Mater Ipsius.
9. Quod Christus, cum in humano Matris fuit, in statu exinanitionis fuerit; ac tentari, reprobari, et pati potuerit.
10. Quod in hoc statu oraverit ad Patrem, quia tunc erat sicut absens ab Illo.

CAPUT DECIMUM.

QUOD DIVINUM AB AETERNO ET HUMANUM IN TEMPORE, UNITA SICUT ANIMA ET CORPUS, SINT UNA PERSONA, QUAE EST JEHOVAH.

1. Quod in Jesu Christo Divinum ab aeterno et Humanum in tempore unita sint sicut anima et corpus in homine.
2. Quod unitio fuerit et sit reciproca, et sic plena.
3. Consequenter quod Deus et Homo, hoc est, Divinum et Humanum, sint una Persona.
4. Quod in Humano Domini sint omnia Divina Patris simul.
5. Quod sic Dominus sit unicus et solus Deus, cui omnis potestas in caelis et in terris ab aeterno fuit, et in aeternum erit.
6. Quod sit "Primus et Ultimus," "Principium et Finis," "Qui fuit, est, et venturus," "Alpha et Omega," "Omnipotens."
7. Quod sit "Pater aeternitatis," "Jehovah Justitia," "Jehovah Salvator et Redemptor," "Jehovah Zebaoth."
8. Quod illi qui Ipsum ut Jehovah et ut Patrem adeunt, et Ipsi uniuntur, fiant filii Ipsius, et dicantur "filii Dei."
9. Quod hi sint receptacula Divini Humani Ipsius.

DE REDEMPTIONE.

[SUMMARIA.]

[*Ex Indice Communium allata.*]

[I.—QUOD ECCLESIA DECLINET A BONO AD MALUM SUCCESSIVE.

II.—QUOD FINIS ECCLESIAE SIT, QUANDO POTENTIA MALI ET INFERNI EST SUPER BONUM ET CAELUM.

III.—QUOD SIMILITER ABEATUR AB INTERNO AD EXTERNUM.

IV.—DESCRIPTIO FINIS ET PROGRESSIONIS, IN VERBO.

V.—QUOD TUNC TOTALIS DAMNATIO IMMINEAT.

VI.—QUOD DOMINUS REDEMERIT HOMINES ET ANGELOS.

VII.—DE TENTATIONIBUS DOMINI CHRISTI.

VIII.—QUOD REDEMPTIO NON DABILIS SIT NISI A DEO INCARNATO.]

CAPUT PRIMUM.

QUOD ECCLESIA SUCCESSU TEMPORIS ABEAT A BONO CHARITATIS, ET TUNC AD FALSA FIDEI, AC EMORIATUR.

1. Quod ecclesia sit in caelis, et ecclesia in terris; et quod unum faciant, sicut internum et externum apud hominem.
2. Quod ecclesia utrobivis simul coram Domino sit, et coram angelis appareat, sicut unus homo.
3. Quod inde ecclesia comparari possit homini, qui primum est infans, dein juvenis, postea vir, et demum senex.
4. Quod ecclesia dum est infans sit in bono charitatis, dum juvenis et vir in veris fidei ex illo bono, et cum senex in conjugio charitatis et fidei.
5. Quod ecclesia, dum talis est et persistit, in aeternum duret; aliter vero si a bono charitatis infantiae suae recedit.
6. Quod si ecclesia a bono charitatis infantiae recedit,

caliget in veris, et cadat in falsa sicut caecus in foveas.

7. Quod quatuor essentialia ecclesiae sint cognitio Dei, cognitio bonorum charitatis, cognitio veritatum fidei, ac vita secundum illa.
8. Quod cum ecclesia a charitate recedit, etiam a quatuor illis recedat; et quod tunc falsa de Deo, de charitate, de fide, et de cultu influant.
9. Quod haec influant in ecclesiae primates, et ab his in populum, sicut a capite in corpus.
10. Quod falsa in primates influant, et a primatibus effluant, sint binae causae; una est amor dominandi ex amore sui, altera est intelligentia ex proprio et non ex Scriptura Sacra.
11. Quod tunc ex uno falso profluant falsa in continua serie, et hoc usque dum nihil veri superest.
12. Quod Scriptura Sacra, dum illa applicatur ad confirmationes, tunc totaliter falsificetur, et sic ecclesia pereat.

CAPUT SECUNDUM.

QUOD TUM FINIS ECCLESIAE [1]INSTET QUANDO POTENTIA MALI PER FALSA INCIPIT VALERE SUPER POTENTIAM BONI PER VERA, IN MUNDO NATURALI; ET SIMUL TUNC POTENTIA INFERNI SUPRA POTENTIAM CAELI.

1. Quod omnis homo post mortem veniat in suum bonum et inde verum, in quo fuit in mundo; similiter in suum malum et inde falsum.
2. Quod qui in bono et inde vero sunt, intrent in caelum; et qui in malo et inde falso, intrent in infernum.
3. Quod illi qui in bono sunt in terris, interius in veris sint; et si in falsis, usque post mortem vera bono suo conformia recipiant: contra vero illi qui in malis. Causa est quia bonum et malum sunt voluntatis, ac voluntas est esse hominis, ac intellectus inde existit.

4. Quod ex statu caeli et inferni in mundo spirituali cognoscatur quantum valet bonum super malum, aut malum super bonum, in terris; quoniam omnis homo post mortem colligitur ad suos, hoc est, in suum malum aut bonum venit, ac caelum et infernum sunt ex humano genere.
5. Quod hoc nequaquam possit cognosci in terris propter multas causas.
6. Quod inter caelum et infernum sit interstitium, quo malum ex inferno exhalatum ascendit, et bonum e caelo descendit, et sibi obviant.
7. Quod in medio interstitii sit aequilibrium inter bonum et malum.
8. Quod ex hoc aequilibrio cognoscatur quantum bonum valet contra malum, aut malum contra bonum.
9. Quod Dominus id ibi ponderet sicut in libra.
10. Quod aequilibrium illud versus caelum elevetur sicut malum valet contra bonum, et quod versus infernum deprimatur sicut bonum valet contra malum; quippe bonum e caelo deprimit illud, et malum ex inferno elevat illud.
11. Quod aequilibrium illud sit sicut scabellum pedum angelis caeli, in quod illorum bonum desinit, et super quo subsistit.
12. Quod secundum gradum quo aequilibrium illud [1]elevatur, felicitas angelorum caeli, ex bonis et inde veris illorum, diminuatur.
13. Quod cum malum valet contra bonum in terris, simul tunc infernum valeat contra caelum.
14. Quod ex his pateat quod finis ecclesiae instet quando potentia mali valet super potentiam boni.
15. Dicitur potentia boni per vera, et potentia mali per falsa, quoniam potentia bono est per vera, et potentia malo est per falsa.

CAPUT TERTIUM.

Quod sicut Ecclesia a bono ad malum abit, ita quoque a cultu interno ad externum.

1. Quod quantum malum crescit in ecclesia, tantum homo ecclesiae fiat externus.
2. Quod quantum homo ecclesiae fit externus, tantum fiat duplex; hoc est, malus in internis, et apparens bonus in externis.
3. Quod omnis homo post mortem tandem fiat qualis fuit in internis, non autem qualis fuit in externis.
4. Inde quoque est quod mundus, quia judicat ab externis, non cognoscat qualis est status ecclesiae; ita quoque, nec quomodo ecclesia decrescit et vergit ad suum finem.
5. Quod cuivis homini sit internum et externum, quae vocantur internus et externus homo.
6. Quod in interno homine dominetur voluntas, ita principalis vitae amor; sed quod in externo homine dominetur intellectus, qui vel manifeste vel prudenter vel astute favet interno.
7. Quod si internus homo malus est, et externus homo bonus, ille in hoc sit simulator et hypocrita.
8. Quod non aliquis homo quoad internum hominem sit bonus, nisi a Domino.

CAPUT QUARTUM.

Quod Progressio ecclesiae ad Finem, et ipse Finis, in Verbo permultis in locis describatur.

1. Quod successiva decrescentia boni et veri, et increscentia mali et falsi in ecclesia, in Verbo dicatur "vastatio" et "desolatio."

3. Quod ipse finis ecclesiae sit "plenitudo [temporis]."
4. Quod etiam similia in Verbo intelligantur per "vesperam" et "noctem."
5. Et quoque per haec apud *Prophetas* et *Evangelistas :*

> "Tunc sol obscurabitur, luna non dabit lucem suam, stellae cadent de caelo, et virtutes caelorum commovebuntur" [(*Matth.* xxiv. 29: *Esai.* xiii. 10: *Ezech.* xxxii. 7: *Joel* ii. 10; iii. 4 [*B.A.* ii. 31]; iv. [*B.A.* iii.] 15: *Amos* v. 20; viii. 9: *Marc.* xiii. 24: *Luc.* xxi. 25)].

6. Quod tunc non amplius sit ecclesia, modo quoad nomen; sed quod usque hoc residuum sit ibi, quod homo possit scire et intelligere vera ac facere bona si velit.

CAPUT QUINTUM.

Quod in Fine Ecclesiae totalis Damnatio hominibus in terris et angelis in caelis immineat.

1. Quod omnis homo sit in aequilibrio quod est inter caelum et infernum, et inde in libero spectandi et se vertendi vel ad caelum vel ad infernum.
2. Quod omnis homo post mortem in hoc aequilibrium primum [1]veniat, et sic in similem statum vitae in quo fuit in mundo.
3. Quod illi qui in mundo spectaverunt et se verterunt ad caelum vel ad infernum, consimiliter post mortem spectent et se vertant.
4. Quod in fine ecclesiae, dum potentia mali valet super potentiam boni, hoc aequilibrium distendatur et impleatur a malis qui alluunt e mundo.
5. Quod inde illud aequilibrium plus et plus elevetur versus caelum, et secundum approximationem [2]infestet angelos ibi.
6. Quod omnes illi qui in elevato illo aequilibrio sunt, interius sint infernales et exterius morales.

7. Quod hi, quia tales sunt, perpetuo conentur destruere caelum quod supra illos est ; quod etiam faciunt per astutias ex inferno, cum quo quoad interiora sua unum faciunt.
8. Inde est quod in fine ecclesiae etiam angelis caeli immineat interitus et inde damnatio.
9. Quod nisi tunc judicium fiat, nullus homo in terris potuerit salvari, nec aliquis angelus in caelis in salute sua subsistere.

CAPUT SEXTUM.

QUOD JEHOVAH DEUS, PER ADVENTUM SUUM IN MUNDUM, TOTALEM ILLAM DAMNATIONEM SUSTULERIT ; ET PER ID, HOMINES IN TERRIS ET ANGELOS IN CAELIS REDEMERIT.

1. Quod Ipse Jehovah Deus in mundum venerit, ad liberandum homines et angelos ab insultu et vi inferni, et sic a damnatione.
2. Quod id fecerit per pugnas contra infernum, et per victorias super illud ; et quod illud subjugaverit, in ordinem redegerit, et suae obedientiae submiserit.
3. Quod etiam post hoc judicium creaverit, hoc est, formaverit, novum caelum, et per hoc novam ecclesiam.
4. Quod per illa Jehovah Deus Se miserit in potentiam salvandi omnes qui credunt in Ipsum et faciunt praecepta Ipsius.
5. Quod sic redemerit omnes in universo mundo et omnes in universo caelo.
6. Quod hoc sit Evangelium quod jussit ut in toto terrarum orbe praedicaretur.
7. Quod hoc Evangelium sit paenitentibus ; non autem illis qui ex proposito transgrediuntur praecepta Ipsius.

CAPUT SEPTIMUM.

QOUD DOMINUS IN MUNDO GRAVISSIMAS TENTATIONES AB INFERNIS ET QUOQUE AB ECCLESIA JUDAICA SUSTINUERIT, ET QUOD PER VICTORIAS IN ILLIS OMNIA IN ORDINEM REDEGERIT, ET SIMUL HUMANUM SUUM GLORIFICAVERIT; ET QUOD SIC ANGELOS ET HOMINES REDEMERIT, AC IN AETERNUM REDIMAT.

1. Quod omnes tentationes spirituales sint pugnae contra mala et falsa, proinde contra inferna; et quod illae tentationes eo graviores sint quo spiritum hominis et simul corpus ejus invadunt, ac utrumque cruciant.
2. Quod Dominus omnium gravissimas tentationes sustinuerit, quia contra omnia inferna pugnaverit, et quoque contra mala et falsa Ecclesiae Judaicae.
3. Quod Ipsius tentationes parum descriptae sint apud *Evangelistas;* solum per pugnas cum bestiis, hoc est cum satanis in inferno, quadraginta diebus in deserto,—et postea per infestationes a diabolo,—et demum per dolores Ipsius in Gethsemane, et per atrocem passionem super crucem

   [(*Marc.* i. 12, 13; *Matth.* iv. 1–11; *Luc.* iv. 1–13: *Matth.* xxvi. 36–46; *Marc.* xiv. 32–42; *Luc.* xl. 40–46; *Joh.* xviii. 1: *Matth.* xxvii. 26–50; *Marc.* xv. 15–37; *Luc.* xxiii. 25–46; *Joh.* xix. 1–30)].

   Sed quod Ipsius tentationes seu pugnae cum infernis particularius et plenius describantur apud *Prophetas* et apud *Davidem;* quae, quia fuerunt invisibiles, non potuerunt manifestari (*Esai.* lxiii.).
4. Quod Dominus illas tentationes subiverit, ut inferna quae infestabant caelum et simul ecclesiam subjugaret, ac angelos et homines ab infestatione illa liberaret, et sic illos salvaret.

5. Quod finis omnium tentationum spiritualium sit perdomatio mali et falsi, ita quoque inferni; tum simul perdomatio externi hominis, in illum enim mala et falsa ex inferno influunt. Agitur enim in tentationibus de dominio mali super bonum, et externi hominis super internum; quare a cujus parte stat victoria, ab illius [parte] etiam stat dominatio. Dum itaque a parte boni stat victoria, bonum occupat dominium super malum, et quoque internus homo super externum.
6. Quod Dominus tentationes illas a pueritia usque ad ultimam vitae suae aetatem passus sit, et sic successive inferna subjugaverit, et successive Humanum suum glorificaverit; et quod in ultima tentatione super crucem, quae fuit omnium gravissima, plene vicerit inferna, ac Humanum suum Divinum fecerit.
7. Quod Dominus pugnaverit cum infernis et quoque contra falsa et mala Ecclesiae Judaicae, ut ipsum Divinum Verum seu Verbum, quod Ipse fuit: et quod passus sit Se reprobari, contumeliis affici, et necari, sicut tunc ecclesia fecit cum Verbo. Tale propemodum factum est cum prophetis, quia repraesentaverunt Dominum quoad Verbum; proinde cum Domino, qui fuit Ipse Propheta, quia ipsum Verbum. Quod ita factum sit, fuit secundum Divinum ordinem.*
8. Quod imago victoriarum Domini super inferna, et glorificationis Humani Ipsius, per tentationes, sistatur in regeneratione hominis; nam sicut Dominus subjugavit inferna, et Divinum fecit Humanum suum, ita apud hominem subjugat illa, et facit eum spiritualem, et sic regenerat.
9. Notum est quod Dominus eripiat hominem a faucibus Diaboli, hoc est, inferni, ac elevet illum ad Se in caelum; et quod hoc faciat apud hominem per retractionem a malis, quae fit per con-

* [ANNOTATIO E MARGINE:—]De repraesentationibus status ecclesiae a prophetis, et quoque ab Ezechiele, de quo quater dicitur quod "portet iniquitates domus Israelis," et quod Dominus dictus sit "Maximus Propheta," videatur *Doctrina de Domino* (n. 15–17).

tritionem et paenitentiam. Hae duae sunt tentationes quae sunt media regenerationis.*

---

[1]CAPUT OCTAVUM.

Quod Redemptio non potuerit effici, et inde nec Salvatio dari, nisi a Deo incarnato.

1. Quod Verbum Veteris et Novi Testamenti doceat quod Deus incarnatus sit.
2. Quod omnis cultus ecclesiae ante Deum incarnatum adumbraverit et spectaverit Ipsum postea incarnatum; et quod inde et non aliunde cultus ille fuerit Divinus.
3. Quod Deus incarnatus sit "Jehovah Justitia nostra," "Jehovah Redemptio nostra," "Jehovah Salus nostra," et "Jehovah Veritas nostra;" et quod haec omnia intelligantur per duo nomina, Jesus Christus.
4. Quod Deus non incarnatus non potuerit pugnare contra inferna, et illa vincere.
5. Quod Deus non incarnatus non potuerit tentari, et minus adhuc pati crucem.
6. Quod Deus non incarnatus non potuerit videri et cognosci, ita nec adiri, et sic non conjungi hominibus et angelis, nisi per Se incarnatum.
7. Quod fides in Deum non incarnatum non dabilis sit, sed modo in Ipsum incarnatum.

---

* [Annotationes e margine:—]Quod Dominus ut Propheta portaverit iniquitates Ecclesiae Judaicae, et non sustulerit [2]illas.

Quod glorificatio Ipsius, seu unitio cum Divino Patris sui, [3]quod in Ipso fuit sicut anima in homine, non potuerit fieri nisi per operationem reciprocam; quod Humanum cooperetur cum [4]Divino: quod tamen principaliter a Divino est; sed usque receptio, actio, seu reactio, ab Humano ut a Se.

Sed quod quantum conjunctum fuit, ageretur simul ab utroque.

Similiter ut homo regeneratur et fit spiritualis a Domino.

Quod dum infans, [5]fuerit sicut infans; quod dum puer, et ex puero, [6]creverit in sapientia (*Luc.* ii. 40, 50).

Quod non [7]potuerit nasci Sapientia, sed fieri secundum ordinem.

Quod progressus sit ad plenam conjunctionem.

8. Inde est quod ab antiquis dictum sit quod nemo possit videre Deum et vivere; et a Domino, quod nemo viderit speciem Patris, nec audiverit vocem Ipsius.
9. Tum quod Deus antiquis Se exhibuerit videndum per angelos, in forma humana, quae forma fuit repraesentativa Dei incarnati.
10. Quod omnis operatio Dei fiat a primis per ultima; ita a Divino suo per Humanum suum. Inde est quod Deus sit "Primus et Ultimus," "Qui fuit, qui est, et qui venturus."
11. Quod in ultimis Dei sint omnia Divina simul; ita in Domino nostro Jesu Christo, omnia sui Patris.
12. Ex his sequitur quod Redemptio haud quaquam potuerit effici nisi a Deo incarnato.
13. Et quod salvatio nec possit dari nisi a Deo incarnato, ita non nisi quam a Domino Redemptore et Salvatore; quae salvatio est perpetua Redemptio.
14. Inde est quod illis qui credunt in Dominum Jesum Christum sit vita aeterna; et quod illis qui non credunt in Ipsum, non sit illa vita.*

---

* [ANNOTATIONES *e marginibus collectae, quae sine dubio ad capita mox praecedentia pertinent:*—]Quod ipsa Redemptio fuerit subjugatio infernorum et ordinatio caelorum, et sic praeparatio ad novam ecclesiam spiritualem.

Quod absque illa Redemptione nullus homo salvari potuerit, nec angeli in statu suae felicitatis subsistere.

Quod Dominus non modo homines sed etiam angelos redemerit. [(*Videatur* cap. vi.)]

Quod Redemptio fuerit opus pure Divinum.

Quod haec Redemptio non fieri potuerit nisi per Deum incarnatum. [(*Videatur* cap. viii.)]

Quod passio crucis fuerit ultima tentatio, quam ut Maximus Propheta sustinuit, et per quam etiam vere [1]subjugavit inferna, et [2]glorificavit Humanum suum; sic quod fuerit medium Redemptionis, sed non Redemptio.

Quod passio crucis fuerit ipsa Redemptio, sit fundamentalis error ecclesiae.

Quod ille error, una cum errore de tribus Personis Divinis ab aeterno, perverterit totam ecclesiam, adeo ut non aliquod residuum spirituale ejus supersit.

(*Enumerentur errores ex Redemptione hodierna, quod sit passio crucis.*)

Quod falsa fidei [3]non conjungi possint cum bono charitatis.

De successivis illis [statibus] praedicta apud *Danielem* et *Prophetas.*

De Christo (*Matth.* xxiv.).

[III.]

DE SPIRITU SANCTO.

---

[1]UNIVERSALIA.

I.—Quod Spiritus Sanctus sit Divinum quod procedit a Deo uno, infinito, omnipotente, omnisciente, et omnipraesente.

II.—Quod Spiritus Sanctus, in sua essentia, sit Ipse ille Deus; sed quod in subjectis ubi recipitur, sit Divinum procedens.

III.—Quod Divinum, quod vocatur Spiritus Sanctus, procedat ab ipso illo Deo per Humanum Ipsius, comparative sicut id quod ab homine procedit, hoc est, quod docet et operetur, ab anima ejus per corpus ejus.

IV.—Quod Divinum, quod vocatur Spiritus Sanctus, procedens a Deo per Humanum Ipsius, transeat caelum angelicum, et per hoc in mundum, ita per angelos in homines.

V.—Quod inde per homines ad homines, et in ecclesia imprimis per clericos ad laicos. Quod sanctum continue detur, et recedat si non aditur Dominus.

VI.—Quod Divinum procedens, quod vocatur Spiritus Sanctus, in proprio sensu sit sanctum Verbum, et ibi Divinum Verum.

VII.—Et quod operatio Ejus sit instructio, reformatio, et regeneratio, et inde vivificatio et salvatio.

VIII.—Quod quantum quis cognoscit et agnoscit Divinum Verum quod procedit a Domino, tantum cognoscat et agnoscat Deum; et quod quantum quis facit Divinum hoc Verum, tantum sit in Domino et Dominus in illo.

IX.—Quod spiritus, respective ad hominem, sit ejus intelligentia, et quicquid inde procedit ([2]ut ejus operatio et virtus).

CAPUT PRIMUM.

QUOD SPIRITUS SANCTUS SIT DIVINUM QUOD PROCEDIT A DEO UNO, INFINITO, OMNIPOTENTE, OMNISCIENTE, ET OMNIPRAESENTE, PER HUMANUM IPSIUS IN MUNDO ASSUMPTUM.

1. Quod Spiritus Sanctus non per Se seu singulatim sit Deus, nec quod procedat a Deo per Filium ut Persona a Personis, secundum doctrinam ecclesiae hodiernae.
2. Quod hoc prorsus non quadret, quia definitur persona quod sit non pars et qualitas in alio, sed quod proprie subsistit.
3. Tum [dicitur,] quod tametsi proprietas et qualitas unius ab alterius sint separatae, usque ab una et individua essentia sint.
4. Quod inde inevitabiliter resultat non modo idea sed etiam confessio trium Deorum, qui tamen ex fide Christiana non dicentur tres sed unus, secundum Symbolum Athanasii.
5. Quod veritas sit, quod ab aeterno seu ante creationem non fuerint tres Personae, quarum unaquaevis fuit Deus; ita non tres infiniti, tres increati, tres immensi, aeterni, omnipotentes,—sed Unus.
6. At quod post creationem exorta sit Divina Trinitas; quoniam tunc ex Patre natus est Filius, et a Patre per Filium procedit Sanctum quod vocatur Spiritus Sanctus.
7. Quod inde, quia Pater est anima et vita Filii, ac Filius humanum corpus Patris, ac Spiritus Sanctus Divinum procedens, sequatur quod consubstantiales sint; et inde quod non singulatim sed conjunctim subsistant.
8. Et quod quia proprietas unius secundum ordinem derivetur et transcendat in alterum, et ab hoc in tertium, sint una Persona, ita unus Deus.

9. [1]Comparative, sicut in unoquovis angelo et in unoquovis homine, ab anima per corpus [2]procedit omnis operatio.
10. Quod ratio illustrata per Scripturam Sacram hoc percipiat; proinde quod sit Trinitas Personae quae est Trinitas Dei; non autem trinitas personarum, quia haec est trinitas deorum.

CAPUT SECUNDUM.

Quod Spiritus Sanctus, qui a Deo uno per Humanum Ipsius procedit, in essentia sua sit idem Deus; sed quod apparenter ad subjecta, quae in spatiis sunt, sit Divinum procedens.

1. Quod Deus qualis fuit ante creationem, talis sit post illam; ita qualis fuit ab aeterno, talis sit in aeternum.
2. Quod Deus ante creationem non fuerit in extenso spatio; ita nec post creationem in aeternum.
3. Consequenter quod Deus sit in spatio absque spatio, et in tempore absque tempore.
4. Quod sic Spiritus Sanctus, qui procedit a Deo uno per Humanum Ipsius, sit idem Deus.
5. Quod de Deo, quia est ubivis idem, non dici possit quod procedat, nisi apparenter ad spatia, quia haec procedunt; proinde apparenter ad subjecta, quae in spatiis sunt.
6. Et quia haec sunt in mundo creato, sequitur quod Spiritus Sanctus ibi sit Divinum procedens.
7. Quod omnipraesentia Dei plene convincat quod Spiritus Sanctus sit Divinum procedens a Deo uno et individuo, et non Deus ut Persona per Se.

CAPUT TERTIUM.

QUOD DIVINUM QUOD VOCATUR SPIRITUS SANCTUS, PROCEDENS A DEO PER HUMANUM IPSIUS, TRANSEAT PER CAELUM ANGELICUM IN MUNDUM, ITA PER ANGELOS IN HOMINES.

1. Quod Deus unus in Humano suo sit supra caelum angelicum, apparens ibi ut Sol, a quo procedit amor ut calor, et sapientia ut lux.
2. Quod sic sanctum Dei, quod vocatur Spiritus Sanctus, influat ordine in caelos,—immediate in caelum supremum quod vocatur tertium, immediate et quoque mediate in caelum medium quod vocatur secundum, similiter in caelum ultimum quod vocatur primum.
3. Quod per hos caelos influat in mundum, et per hunc in homines ibi.
4. Quod tamen angeli caeli non sint Spiritus Sanctus.
5. Quod omnes caeli, una cum ecclesiis in terris, sint in visu Domini sicut unus Homo.
6. Quod solus Dominus sit anima et vita illius Hominis, et quod omnes qui animantur et vivunt ab Ipso sint corpus Ipsius. Inde est quod dicatur quod fideles faciant corpus Domini, et quod illi sint in Ipso, et Ipse in illis.
7. Quod Dominus in angelos caeli et in homines ecclesiae influat in quadam similitudine quemadmodum anima in corpus apud hominem.

CAPUT QUARTUM.

Quod inde [transeat] per Homines ad Homines, et in Ecclesia imprimis per Clericos ad Laicos.

1. Quod nemo possit accipere Spiritum Sanctum nisi a Domino Jesu Christo, quia Ille a Deo Patre per Ipsum procedit, [1]et per Spiritum Sanctum intelligitur Divinum procedens.
2. Quod nemo possit Spiritum Sanctum, hoc est Divinum Verum et Bonum, accipere, nisi qui Dominum immediate adit, et simul in dilectione est.
3. Quod Spiritus Sanctus, hoc est, Divinum procedens, nunquam fiat hominis; sed quod constanter sit Domini apud illum.
4. Quod ideo Sanctum, quod intelligitur per Spiritum Sanctum, non inhaereat, et quod nec maneat, nisi quamdiu homo, qui illud accepit, ac in Dominum credit, et simul in doctrina veri ex Verbo est, et in vita secundum illam.
5. Quod Sanctum, quod intelligitur per Spiritum Sanctum, non transferatur ab homine in hominem, sed a Domino per hominem in hominem.
6. Quod Deus Pater non mittat Spiritum Sanctum, hoc est Divinum suum, per Dominum in hominem; sed quod Dominus mittat illum a Deo Patre.*
7. Quod clericus, quia ex Verbo docturus est doctrinam de Domino, deque redemptione et salvatione ab Ipso, inaugurandus sit per sponsionem Spiritus Sancti, et per repraesentationem translationis Ejus; sed quod [2]a clerico recipiatur secundum fidem vitae ejus.
8. Quod Divinum, quod intelligitur per Spiritum Sanc-

* [Annotationes e margine, *quae fortasse hic pertineant:*—]Quod Spiritus Sanctus sit Divina operatio et virtus procedens a Deo uno.

Quod procedat ex Domino et a Deo Patre.

Quod procedat ex Domino a Deo Patre, et non vicissim.

tum, a Domino per clericum procedat ad laicum, per praedicationes, secundum receptionem doctrinae veritatis inde.*

9. Et quod per sacramentum Sanctae Cenae, secundum paenitentiam ante illud.

CAPUT QUINTUM.

QUOD DIVINUM PROCEDENS, QUOD VOCATUR SPIRITUS SANCTUS, IN PROPRIO SENSU SIT VERBUM, UBI SANCTUM DEI.

1. Quod Verbum sit ipsum Sanctum, in Ecclesia Christiana, ex Divino Domini, quod inibi est et inde est. Quare Divinum procedens, quod vocatur Spiritus Sanctus, in proprio sensu est Verbum et Sanctum Dei.†
2. Quod Dominus sit Verbum, est quia illud a Domino est, et de Domino, et sic in sua essentia Ipse Dominus.
3. Quod Dominus, quia est Verbum, sit solus Sanctus, et quod sit "Sanctus Israelis," qui toties nominatur apud *Prophetas*, de quo etiam ibi dicitur quod sit solus Deus.
4. Quod inde sit quod locus ubi fuit arca in tabernaculo,—quia in illo fuit Lex, principium Verbi, super qua propitiatorium, et super hoc cherubim, quae omnia significabant Dominum ut Verbum,—[1]dictus fuerit "Sanctuarium," et "Sanctum Sanctorum."
5. Quod etiam inde sit quod Nova Hierosolyma, quae

* [ANNOTATIONES E MARGINE, *quae forte sunt hic legendae :*—]Quod procedat ad clericos, et ab his ad laicos.

Quod influens [sit] in [2]homines qui in Dominum [3]credunt, et si secundum ordinem, in clericos, et sic per hos in laicos.

† [ANNOTATIO E MARGINE, *quae fortasse sit hujus loci :*—]Quod [Spiritus Sanctus] procedat a Domino per Verbum.

est ecclesia quae solum Dominum adit ac vera ex Verbo Ipsius haurit, dicatur "sancta," et quoque "urbs sanctitatis;" et quod homines in quibus ecclesia illa est, [dicantur] "populus sanctitatis;" quod etiam haec ecclesia sit "regnum sanctorum" quod in aeternum perstabit (apud *Danielem*).

6. Quod Prophetae et Apostoli, quia Verbum per illos scriptum est, dicantur "sancti."
7. Quod Spiritus Sanctus, ex Sancto Verbo quod docetur a Domino, dicatur "Spiritus Veritatis;" de quo dicit Dominus, quod non ex se sed ex Domino loquatur; tum quod Ipse sit ille.
8. Quod ei qui loquitur verbum "contra Spiritum Sanctum" non remittatur, est quia negat Divinitatem Domini et sanctitatem Verbi; huic enim non est religio.
9. Quod ei qui "loquitur verbum contra Filium Hominis" remittatur, est quod ei [remittatur] qui negat hoc et illud esse Divinum Verum ex Verbo in ecclesia, modo credat quod in Verbo et ex Verbo sint Divina Vera. "Filius Hominis" est Divinum Verum ex Verbo in ecclesia; et hoc non potest ab omnibus videri.

CAPUT SEXTUM.

[*Hujus transactionis capita* vi., vii., viii., *cum hoc opusculum ex autographo transcribebatur, inveniri non potuerunt.*]

QUOD VIRTUS ET OPERATIO DIVINA, QUAE INTELLIGITUR PER SPIRITUM SANCTUM, SIT [1]INSTAURATIO, REFORMATIO, REGENERATIO; ET SECUNDUM HAS VIVIFICATIO, SANCTIFICATIO ET JUSTIFICATIO; ET SECUNDUM HAS PURIFICATIO A MALIS, REMISSIO PECCATORUM, ET SALVATIO.*

---

* [*E margine allatum.*]

CAPUT SEPTIMUM.

[QUOD QUANTUM QUIS COGNOSCIT ET AGNOSCIT DIVINUM VERUM QUOD PROCEDIT A DOMINO, TANTUM COGNOSCAT ET AGNOSCAT DEUM; ET QUOD QUANTUM QUIS FACIT DIVINUM HOC VERUM, TANTUM SIT IN DOMINO ET DOMINUS IN ILLO.*]

CAPUT OCTAVUM.

[QUOD SPIRITUS RESPECTIVE AD HOMINEM SIT EJUS INTELLIGENTIA, ET QUICQUID INDE PROCEDIT,—UT EJUS OPERATIO ET VIRTUS.†]‡

---

* [*Vid.* UNIVERSALIA, viii.; pag. 42.]

† [*Vid.* UNIVERSALIA, ix.; pag. 42.]

‡ [ANNOTATIO E MARGINE, *quae forsitan hic sit legenda:*—]Quod per spiritum hominis intelligatur ejus intelligentia, et sic sit quoque ex illo procedens ejus operatio et virtus.

[IV.]

DE DIVINA TRINITATE.

[SUMMARIA.]

[*Ex Indice Communium allata.*]

[I.—Quod sit Divina Trinitas.
II.—Quod Pater, Filius, et Spiritus Sanctus sint tria Essentialia unius Dei.
III.—Quod Trinitas non fuerit ante Mundum creatum.
IV.—Quod Trinitas post Mundum creatum facta sit in Jesu Chaisto.
V.—Quod haec Trinitas sit ex Verbo, ut [et] ex Symbolo Apostolico; non ex Nicaeno.
VI.—Ideae absonae, ex Trinitate Nicaena.
VII,—Quod haec Trinitas perverterit Ecclesiam.
VIII.—Quod etiam falsificaverit Verbum.
IX.—Quod inde sit illa "Afflictio" et "Desolatio" praedicta a Domino.
X.—Quod nulla Salvatio, nisi nova Ecclesia a Domino instauretur.
XI.—Quod Trinitas sit in Domino Salvatore; proinde quod Ipse solus adeundus sit, ut sit Salus, seu Vita aeterna.]

(OBSERVANDA.)

(1.) Quod idea vulgi de Trinitate Divina sit, quod Deus Pater sedeat in alto, et Filius Ipsius ad dextram Ipsius, et [quod illi] remittant Spiritum Sanctum ad homines.

(2.) Quod idea cleri de Trinitate sit, quod sint tres Personae, quarum unaquaevis [est] Deus et Dominus, et quod tribus [sit] una eademque essentia.

(3.) Quod idea sapientum e clero sit, quod sint tres proprietates et qualitates, communicabiles; [1]incommunicabiles autem per tres personas intelliguntur.

(4.) Quod Divina Trinitas sit ex Scriptura Sacra et ex ratione.

(5.) Quod ex trinitate Personarum inevitabiliter sequatur trinitas Deorum.

(6.) Quod si Deus unus est, [1]necessaria sit Trinitas Dei, et sic Trinitas Personae.

(7.) Quod Trinitas Dei, quae etiam est Trinitas Personae, sit [2]in Deo incarnato, seu Jesu Christo.

(8.) Confirmatur ex Scriptura Sacra:

(9.) Et quoque ex ratione (quod sit trinitas in unoquovis homine).

(10.) Quod Ecclesia Apostolica nusquam cogitaverit de trinitate Personarum: ex *Symbolo.*

(11.) Quod trinitas personarum primo inventa sit a Concilio Nicaeno.

(12.) Quod inde derivata sit in ecclesias post illud, usque ad hodiernum tempus.

(13.) Quod non prius quam hodie potuerit doctrina illa rectificari.

(14.) Quod trinitas personarum totam ecclesiam inverterit, et falsificaverit omnia et singula ejus.

(15.) Quod omnes dicerent quod excedat captum, et quod intellectus captandus sit sub obedientia fidei. Quid "Filius natus ab aeterno"?

(16.) Quod in Domino sit una Trinitas, et quod in Trinitate sit Unitas.

CAPUT PRIMUM.

Quod Divina Trinitas sit; videlicet, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus.

1. Quod Unitas Dei, in toto terrarum orbe ubi religio et sana ratio, agnita et recepta sit.
2. Quod ideo Trinitas Dei non potuerit nota esse; nam si nota fuisset, immo si modo dicta, homo de Trinitate Dei cogitavisset pluralitatem Deorum; quam religio et quoque sana ratio abhorrent.
3. Quod ideo Trinitas Dei non potuerit nisi ex revelatione cognosci, ita non nisi quam ex Verbo; nec recipi nisi Trinitas etiam sit Unitas Dei, nam alioqui foret contradictio, quae parit non ens.
4. Quod Trinitas Dei actualiter non exstiterit priusquam Filius Dei, Salvator mundi, natus est; et quod nec prius Unitas in Trinitate, et Trinitas in Unitate.

5. Quod salus generis humani a Trinitate Dei, quae simul est Unitas, pendeat.
6. Quod per Trinitatem Dei quae simul est Unitas, intelligatur Divina Trinitas in una Persona.
7. Quod Dominus, Salvator mundi, docuerit quod sit Divina Trinitas; videlicet, Pater, Filius, et Spiritus:

Jussit enim discipulis ut baptizarent in nomine Patris, Filii, et Spiritus Sancti.

Dixit etiam quod ad illos, ex Patre, mitteret Spiritum Sanctum.

Nominavit etiam saepenumero Patrem, et Se Filium Illius, et inspiravit in discipulos, dicens, "Accipite Spiritum Sanctum."

Porro, cum Jesus baptizatus est in Jordane, vox e Patre exivit, dicens, "Hic est Filius meus dilectus," et Spiritus apparuit sub specie columbae supra Ipsum.

Dixit etiam angelus Gabriel ad Mariam, "Spiritus Sanctus veniet super te, et Virtus Altissimi obumbrabit te, et Sanctum quod nascitur ex te vocabitur Filius Dei:" "Altissimus" est Deus Pater.

Apostoli etiam in suis epistolis multoties nominant Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum; et Johannes in sua prima [dicit] "Sunt tres qui testificantur in caelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus;" etc.

CAPUT SECUNDUM.

QUOD TRES ILLI, PATER, FILIUS, ET SPIRITUS SANCTUS, SINT TRIA ESSENTIALIA UNIUS DEI; QUONIAM SUNT UNUM, QUEMADMODUM ANIMA, CORPUS, ET OPERATIO UNUM SUNT APUD HOMINEM.

1. Quod Divina Trinitas, quae simul est Unitas, nequaquam possit ab ullo comprehendi, nisi sicut anima, corpus, et operatio procedens apud homi-

nem; consequenter, nisi ipsum Divinum quod vocatur Pater sit anima, Humanum quod vocatur Filius sit corpus animae, [1]et Spiritus Sanctus sit operatio procedens.

2. Quod ideo in Ecclesia Christiana ubivis agnoscatur quod in Christo Deus et Homo, hoc est, Divinum et Humanum, sint una Persona, sicut anima et corpus in homine. Hoc agnoscitur ibi ex Symbolo Athanasii.

3. Quare qui cognoscit unionem animae et corporis, ac inde operationem, cognoscit Trinitatem et simul Unitatem Dei, in quadam umbra.

4. Quod rationalis homo sciat, aut scire possit, quod anima filii sit ex patre, et quod anima induat se corpore in utero matris, et quod postea ex utroque procedat omnis operatio.

5. Quod qui scit unionem animae et corporis, etiam sciat, aut scire possit, quod vita animae sit in corpore, et quod sic vita corporis sit vita animae.

6. Consequenter, quod anima vivat, proinde sentiat et operetur, in corpore et ex corpore; et quod corpus vivat, sentiat, et operetur ex se dum ex anima.

7. Quod hoc sit quia omnia animae sunt corporis, et omnia corporis sunt animae; inde et non aliunde est unio illorum.

8. Quod modo apparentia sit quod anima operetur separatim, a se per corpus; cum tamen operatur in corpore et ex corpore.

9. Quod ex his homo rationalis, qui commercium animae et corporis novit, possit comprehendere haec Domini verba:—Quod Pater et Ipse unum sint; quod omnia Patris sua sint, et omnia sua Patris; quod omnia Patris ad Ipsum veniant; quod Pater dederit omnia in manum Filii; quod sicut Pater operatur etiam Filius operetur; quod qui videt et cognoscit Filium etiam videat et cognoscat Patrem; quod qui unum sunt in Filio, unum sint in Patre; quod nemo viderit Patrem nisi Filius, qui in sinu Patris est, [et qui Ipsum] exposuit; quod Pater in Filio sit, et Filius

in Patre; quod nemo veniat ad Patrem, nisi per Filium; quod sicut Pater habet vitam in Se Ipso, ita dederit Filio habere vitam in Se Ipso; quod in Jesu Christo omnis plenitudo Divinitatis habitet corporaliter: praeter plura. Per "Filium" ibi intelligitur Humanum Patris.

10. Quod ex his sequatur quod Divinitas et Anima Filii Dei, Salvatoris nostri, non sint distincte duo, sed unum et idem. Quod Filius Dei sit Humanum Dei Patris, super plene ostensum est; quid enim aliud Maria Mater peperit quam Humanum, in quo Divinum ex Deo Patre fuit?

Inde a nativitate "Filius Dei" vocatus est; dicit enim angelus Gabriel ad Mariam, "Sanctum quod nascitur ex te vocabitur Filius Dei;" et Sanctum quod nascebatur ex Maria fuit Humanum in quo Divinum ex Patre.

CAPUT TERTIUM.

Quod ante mundum creatum non fuerit Trinitas Dei.

1. Quod Deus sit unus, Scriptura Sacrá docet, et ratio a Domino illustrata ibi et inde videt. At quod Deus [1]fuerit triunus ante mundum creatum, Scriptura Sacra non docet, et ratio inde illustrata non videt. Quod apud *Davidem* dicatur de Filio, "Hodie genui Te," non est ab aeterno, sed in plenitudine temporis: venturum enim in Deo est praesens, ita hodie; similiter ut hoc apud *Esaiam*, "Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, cujus nomen Deus, Heros, Pater aeternitatis."

2. Quae mens rationalis, dum audit quod ante mundum creatum fuerint tres Divinae Personae, nominatae Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, non secum [2]dicit dum de illis cogitat, "Quid est, quod Filius natus sit a Deo Patre ab aeterno? et quomodo potuit nasci? tum quid est Spiritus

Sanctus procedens a Deo Patre per Filium ab aeterno? et quomodo potuit procedere et fieri Deus per Se? aut quomodo potuit persona gignere personam ab aeterno? et utraque producere personam? Estne persona persona? Quomodo possunt tres Personae, quarum unaquaevis est Deus, conjungi in unum Deum, aliter quam in unam Personam? et hoc tamen est contra theologiam; illud autem cum illa. Quomodo potest Divinitas distingui in tres Personas, et tamen non in tres Deos, cum tamen unaquaevis Persona est Deus? Quomodo potest Divina essentia, quae est una, eadem, et individua, cadere in numerum, proinde vel dividi vel multiplicari? et quomodo potuerunt tres Divinae Personae una esse et conferre rationes in non-extenso spatii, quale fuit ante mundum creatum? Quomodo a Jehovah Deo, qui unus, et inde solus infinitus, immensus, aeternus, omnipotens, potuerunt produci tres Ipsi [1]aequales? Quomodo potest concipi trinitas personarum in Unitate Dei, ac Unitas Dei in trinitate personarum?" Praeter quod idea pluralitatis destruat ideam unitatis, et vicissim. Forte etiam cogitaretur quod si hoc dabile sit, etiam dabile fuisset Graecis et Romanis omnes suos Deos, qui multi, per solam identitatem essentiae, in unum Deum compingere.

3. Mens rationalis in volvendo et versando Trinitatem Personarum in Divinitate ab aeterno, potuisset etiam pensitare, cui usus fuit quod ante mundum creatum natus sit Filius, et quod a Patre per Filium exiverit Spiritus Sanctus. "Num fuit usus ut tres [conferrent rationes] quomodo crearetur universum, et quod sic tres illud crearent? cum tamen universum a Deo uno creatum est: nec fuit ut Filius redimeret, cum tamen redemptio facta est post mundum creatum in plenitudine temporis: nec [2]fuit ut Spiritus Sanctus sanctificaret, quia nondum homo qui sanctificandus. Si ergo illi usus fuerunt in idea Dei, usque illa non ante mundum, sed post illum, actualiter exstitit. Ex quo sequitur quod Trinitas ab aeterno non fuerit realis Trinitas, sed idealis; et plus adhuc Trinitas Personarum."

4. Quis in ecclesia potest, in legendo *Symbolum Athanasii*, intelligere hoc?—quod ex veritate Christiana sit quod unaquaevis Persona singulatim sit Deus, et quod tamen non liceat ex Catholica religione numerare tres

Deos. Annon sic religio illi aliud est quam veritas? et quod tres personae ex veritate sint tres dii, sed quod ex religione sint unus Deus?

5. Quod trinitas personarum in Divinitate ante mundum creatum, non veniret in alicujus mentem, a tempore Adami usque ad adventum Domini, ut patet a Verbo Veteris Testamenti, et ab historiis de religione antiquorum.

Quod nec venerit in mentem Apostolorum, ut patet e scriptis illorum in Verbo.

Quod nec venerit in mentem alicujus in Ecclesia Apostolica, quae fuit ante Concilium Nicaenum, ut patet a *Symbolo Apostolico*, [1]in quo non aliquis Filius ab aeterno, sed Filius natus a Maria Virgine nominatur.

Quod trinitas personarum ab aeterno non modo sit supra rationem, sed contra illam.

Est contra rationem quod tres Personae creaverint universum; quod tres Personae fuerint, et unaquaevis Deus, et non tres Dii sed unus, et tunc tres Personae et non una Persona.

Numne Ecclesia futura Nova nuncupatura sit saeculum Ecclesiae Veteris obscurum aut barbarum, quando coluerunt tres Deos? Similiter sunt irrationalia illa quae ex trinitate illa devenerint.

6. Quod trinitas Personarum in Divinitate ab aeterno primum tradita sit a Concilio Nicaeno, ut patet a duobus Symbolis Nicaeno et Athanasiano; et quod postea ut principale dogma, ac ut caput doctrinarum, ab ecclesiis post illud usque ad hodiernum diem recepta sit.

Quod [2]trinitas illa tradita sit a Concilio Nicaeno, fuerunt binae causae; prima, quod non aliter dispergere sciverint scandala Arii, qui Divinitatem Domini negabat; altera, quia non intellexerint illa quae scripta sunt per *Johannem Evangelistam*

(cap. i. 1, 2, 10, 14; cap. xvi. 28; cap. xvii. 5).

(Quomodo illa intelligenda sunt, videatur supra.)

7. Quod Divinitas ante mundum creatum, secundum Concilium Nicaenum et ecclesias post illud, credita sit constare ex tribus Personis, quarum unaquaevis erat Deus, et quod a prima Persona nata sit secunda, et ex duabus illis exiverit tertia, non modo est supra intellectum sed etiam contra illum, et fides paradoxi quod est contra rationem intellectus. Est fides in qua non aliquid ecclesiae est, sed est persuasio falsi quae et qualis detur apud illos qui insaniunt in religiosis; sed usque *insanire in religiosis* hic non dicitur de illis qui non vident contradictoria et contraria Scripturae Sacrae, et tamen credunt illa; ita non de Concilio Nicaeno, nec de ecclesiis post illud ab illo, quia non viderunt.

CAPUT QUARTUM.

Quod Trinitas Dei post mundum creatum facta sit, et actualiter in plenitudine temporis, et tunc in Deo Incarnato, qui est Dominus, Salvator Jesus Christus.

1. Quod Trinitas Dei ante mundum creatum non exstiterit, nec potuerit existere; tum quod sint tria essentialia unius Personae in Deo Homine, ex quibus praedicatur Trinitas Dei, supra ostensum est.

2. Quod Deus ut Verbum in mundum venerit, et in Maria Virgine assumpserit Humanum, et quod Sanctum inde natum sit vocatum "Filius Altissimi," "Filius Dei," "Filius Unigenitus," ex Verbo Veteri ubi praedicitur, et ex Verbo Novo ubi describitur, notum est.

3. Cum itaque Deus Altissimus, qui est Pater, per Divinum suum procedens, quod est Spiritus Sanctus, in Virgine Maria concepit Humanum, sequitur quod Humanum ex conceptione illa natum sit Filius, et Divinum concipiens sit Pater, et quod utrumque simul sit Dominus Deus Salvator Jesus Christus, Deus et Homo.

4. Sequitur etiam quod Divinum Verum, quod est Ver-

bum, in quo Divinum Bonum, a Patre, fuerit semen, ex quo Humanum conceptum est. Ex semine est anima, et per animam est corpus.

5. Ad confirmationem memorabitur hoc arcanum:—quod origo spiritualis omnis seminis humani sit verum ex bono; sed non Divinum Verum ex Divino Bono, in sua essentia infinita et increata ut in Domino, sed in sua forma finita et creata. (Videantur *Deliciae Sapientiae de Amore Conjugiali*, n. 220, 245.)

6. Notum est quod anima adjungat sibi corpus quod sibi inserviat ad operandum usus, et quod se postea conjungat corpori sicut inservit, et hoc usque dum anima fit corporis et corpus animae. Hoc est quod Dominus dicit,—quod sit in Patre, et Pater in Ipso.

7. Ex his consequitur quod Trinitas Dei post mundum creatum facta sit, et tunc in Deo Incarnato, qui est Dominus Salvator Jesus Christus.

CAPUT QUINTUM.

QUOD TRINITAS PERSONARUM IN DIVINITATE SIT EX CONCILIO NICAENO, ET INDE IN ECCLESIA CATHOLICA, ET POST ILLUD; IDEO VOCANDA EST TRINITAS NICAENA. AT QUOD TRINITAS DEI IN UNA PERSONA, DOMINO DEO SALVATORE, SIT EX IPSO CHRISTO, ET INDE IN ECCLESIA APOSTOLICA; ET IDEO VOCANDA EST TRINITAS CHRISTIANA; ET QUOD HAEC TRINITAS DEI SIT TRINITAS NOVAE ECCLESIAE.

1. Sunt tria summaria doctrinae Ecclesiae Christianae de Divina Trinitate et simul Unitate, quae vocantur *Symbola Apostolicum, Nicaenum, Athanasium.* Symbolum *Apostolicum* a viris qui vocati sunt Patres Apostolici conscriptum est; Symbolum *Nicaenum* a coetu Episcoporum et Sacerdotum qui ab imperatore Constantino in Nicaeam urbem, ad dissipandum scandala Arii de negata Divinitate Filii Dei, convocati sunt; et Symbolum *Athanasianum* a quo-

dam aut quibusdam [1]post illud concilium. Haec tria Symbola ab Ecclesia Christiana ut oecumenica ac catholica, hoc est, universalia doctrinae de Deo Patre, Filio, et Spiritu Sancto, agnita et recepta sunt.

2. *Symbolum Apostolicum* ita docet :—

"*Credo in Deum, Patrem omnipotentem,* [2]*Creatorem caeli et terrae.*
[*Et*] *in Jesum Christum, Filium Ejus* [*unicum*], *Dominum nostrum; qui conceptus est* [3]*de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. . . . .*
Credo in Spiritum Sanctum;" etc.

Symbolum Nicaenum ita docet :—

"*Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, Factorem caeli et terrae. . . . .*
Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante [*omnia*] *saecula; genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; qui . . . descendit e caelo, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et Homo factus* [*est*]. . . . . .
Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et glorificatur; qui locutus est per prophetas. . . . . ."

Symbolum Athanasianum ita docet :—

"*Fides Catholica haec est:—*
"*Ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate veneremur; . . . .*"
Quod alia sit Persona Patris, alia Filii, et alia Spiritus Sancti; . . . .
Quod Pater sit increatus, immensus, aeternus, omnipotens, Deus et Dominus;
Similiter Filius et similiter Spiritus Sanctus;
Et quod tamen non sunt tres increati, immensi, aeterni, omnipotentes, Dii et Domini, sed unus.
[*Quod Pater a nullo sit factus, nec creatus, nec genitus.*]
Quod Filius a Patre solo sit; non factus, nec creatus, sed genitus.
[*Quod*] *Spiritus Sanctus a Patre et Filio; non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*
Quod in hac Trinitate nihil prius et posterius, et nihil majus et minus sit;
Sed quod totae tres Personae coaeternae et coaequales sint.
"*Sed quia singulatim unumquemvis Personam Deum et Dominum confiteri Christiana veritate compellimur,*
Ita tres Deos [4]*aut tres Dominos dicere, Catholica religione prohibemur:*"

ulterius de Domino Jesu Christo ita

Quod licet Ille est Deus et Homo,
Non tamen sint duo, sed unus Christus.

3. Quod ex traditis his in tribus symbolis colligi possit quomodo in unoquovis [5]intellecta est Trinitas Dei in Unitate et Unitas in Trinitate.

Symbolum enim *Apostolicum* tradit de Deo Patre quod sit Creator universi; de Filio Ejus, quod sit conceptus a Spiritu Sancto, et natus ex Maria Virgine; et de Spiritu Sancto, quod sit.

Symbolum autem *Nicaenum* tradit de Deo Patre quod sit Creator universi; de Filio, quod sit genitus ante omnia saecula, et quod descenderit et incarnatus sit; et de Spiritu Sancto, quod ex utroque procedat.

At Symbolum *Athanasianum* tradit de Patre, Filio et Spiritu Sancto, quod sint tres personae coaeternae et coaequales, et quod unaquaevis illarum sit Deus; et tamen non tres Dii sed unus; et quod tametsi ex Christiana veritate unaquaevis persona singulatim est Deus, usque ex Catholica religione non liceat dicere tres Deos.

4. Quod ex tribus illis symbolis pateat quod traditae sint binae Trinitates,—una quae exstitit ante mundum creatum, altera quae post illum; Trinitas ante mundum creatum, in Symbolis Nicaeno et Athanasiano; at Trinitas post illum in Symbolo Apostolico: consequenter quod Ecclesia Apostolica nihil sciverit de Filio ab aeterno, sed solum de Filio nato in mundo, et sic quod hunc invocaverit, et non illum; et vicissim, quod Ecclesia post Symbolum Nicaenum sicut e novo instaurata, agnoverit Filium ab aeterno pro Deo, at Filium natum in mundo non ita.

5. Quod binae illae Trinitates tantum inter se differant sicut vespera et mane, immo sicut nox et dies; et sic quod utraque simul nequaquam possit confirmari in uno homine ecclesiae, quia apud illum pereat religio, et cum religione sana ratio. Causa est [1]quod ex Trinitate Nicaena et Athanasiana non possit cogitari unus Deus, sed quod possit in Trinitate Apostolica; et quod in hac [2]cogitetur, quia datur in Domino Jesu Christo, Filio Dei nato in mundo.

6. Quod Divina Trinitas sit in Domino Deo Salvatore Jesu Christo, docet Ipse: dicit enim

Quod Pater et Ipse unum sint (*Joh.* x. 30);
Quod Ipse in Patre, et Pater in Ipso sit (*Joh.* xiv. 10, 11);
Quod omnia Patris sint Ipsius (*Joh.* iii. 35; xvi. 15);
Quod qui videt Ipsum videat Patrem [(*Joh.* xiv. 9)];
Tum quod qui credit in Ipsum credat in Patrem ([*Joh.* xii. 44)]:

et secundum Paulum,

Quod omnis plenitudo Divinitatis in Ipso habitet corporaliter (*Coloss.* ii. 9):

secundum Johannem,

Quod sit verus Deus et Vita aeterna (1 *Epist.* v. 21 [*B. A.* 20]):

et secundum Esaiam,

Quod sit Pater aeternitatis (*Esai.* ix. 5 [*B. A.* 6]):

et alibi apud eundem,

Quod sit Jehovah, Redemptor [(*Esai.* xliii. 14; xliv. 6)];
Solus Deus [(*Esai.* xliii. 10, 11)]:

et quod ex Redemptione sit

Jehovah Justitia nostra [(*Jerem.* xxiii. 6)]:

et quod [dicatur]

Deus, Pater [(*Esai.* ix. 5 [*B. A.* 6]),

ubi de Illo. [Dicitur etiam]

Quod gloriam suam non alteri det [(*Esai.* xlii. 8; xlviii. 11)];

tum quod

Spiritus Sanctus sit ex Ipso [(*Joh.* xx. 22)].

Nunc quia Deus est unus, et quia est Divina Trinitas, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus (secundum Domini verba, *Matth.* xxviii. 19), sequitur quod Trinitas illa sit in una persona, et quod sit in persona Illius qui conceptus est a Deo Patre, et natus ex Maria Virgine, et inde vocatur "Filius Altissimi," "Filius Dei," "Filius Unigenitus"

(*Luc.* i. 31–35: *Joh.* i. 18; xx. 31: *Matth.* iii. 17; xvi. 16; xvii. 5).

Quod in omnibus his et supra allatis locis non intelligatur aliquis Filius ab aeterno, coram visu interno et externo patet.

Cum itaque Divina haec Trinitas (quae etiam est Plenitudo Divinitatis habitans in Ipso corporaliter, apud *Paulum*,) sit in Domino Deo Salvatore Jesu Christo, sequitur quod Ipse solus sit adeundus, advocandus, et colendus; et quod cum hoc fit, simul adeatur Pater; et quod [ita homo] recipiat Spiritum Sanctum: docet enim quod Ipse sit Via, Veritas, et Vita, et quod nemo veniat ad Patrem nisi per Ipsum; et quod qui per Illum ut Januam non intrat in ovile (hoc est, in ecclesiam), non sit pastor, sed fur et

latro; tum etiam, quod qui in Ipsum credunt, habeant vitam aeternam; et quod qui non credunt, non videant vitam

(*Joh.* iii. 15, 16, 36; vi. 40; xi. 25, 26: 1 *Epist. Joh.* v. 21 [*B. A.* 20]).

7. Quoniam Divina Trinitas et simul Divina Unitas est in Domino Jesu Christo, Redemptore et Salvatore mundi, est haec Trinitas Novae Ecclesia.

[*Cum bina exemplaria nostra transcribebantur, autographo jam tum hic defecerant folia duo, continentia Capita* vi. *et* vii. *Capitis septimi, autem, articuli,* n. 6, 7, 8, *adhuc aderant. Hi videantur mox infra.*]

[CAPUT SEXTUM.]

[*Ex Indice Communium allatum.*]

[IDEAE ABSONAE EX TRINITATE NICAENA.]

* * * * * *

[CAPUT SEPTIMUM.]

[*Ex Indice Communium allatum.*]

[QUOD HAEC TRINITAS PERVERTERIT ECCLESIAM.]

* * * * * *

6. Quod qualis illa est, describatur per statuam [visam] Nebuchadnezari, quoad ejus pedes; et per ultimam bestiam ascendentem ex mari, apud *Danielem;* perque draconem et ejus binas bestias in *Apocalypsi.*

7. Tum etiam ex hoc arcano mihi revelato:—Quod quisque sortiatur locum in caelo, hoc est, in societatibus ejus, secundum ideam Dei; et quod quisque in infernis secundum negationem Dei; tum quod negatio unius Dei insit ideis illorum qui se confirmaverunt in Trinitate [1]Nicaena.
8. Quod vera anima et vita sit in illo homine ecclesiae qui agnoscit Dominum Filium Dei pro Deo caeli et terrae. Quod sit Deus caeli et terrae, docet Ipse apud *Matthaeum;* et quod verus Deus et Vita aeterna, apud *Johannem;* et quod in Ipso omnis plenitudo Divinitatis habitet, secundum *Paulum;* et quod sit Jehovah, Redemptor noster, solus Deus, immo Pater aeternitatis, secundum *Esaiam.*

CAPUT OCTAVUM.

QUOD CONFIRMATIO TRINITATIS PERSONARUM, QUARUM UNAQUAEVIS EST DEUS AB AETERNO, SECUNDUM SYMBOLA NICAENUM ET ATHANASIANUM, FALSIFICAVERIT TOTUM VERBUM.

1. Quod quisque haereticus possit confirmare et confirmet suam haeresin per Verbum, quoniam hoc per apparentias et correspondentias conscriptum est; quare Verbum a quibusdam dicitur liber omnium haeresium.
2. Quod homo post confirmationem non videat aliud quam quod dogmata ejus sint vera, tametsi sunt falsa.
3. Quod pluralitas Deorum possit multis confirmari ex Verbo; tum fides imputativa Christi meriti, in qua tres Dii singulatim suas partes habent; ut et quod charitatis opera nihil ad fidem, et sic ad salutem, conferant.
4. Quod pluralitas Deorum confirmari possit ex his:—

Quod Trinitas nominata sit a Domino;
Quod Trinitas apparuerit cum Dominus baptizatus est;
Quod sint "tres qui testificantur in caelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus;"
Quod Jehovah Deus dixerit, "Faciamus hominem in imaginem et similitudinem nostram;"
Quod coram Abrahamo tres angeli, qui vocati sunt Jehovah, apparuerint;
Quod in Verbo Novo, a Domino apud *Evangelistas*, et ab apostolis in *Epistolis*, multoties nominentur Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, et quod ibi non dicatur quod unum sint.

Tum quod fides imputativa meriti Christi, et quod haec fides unice salvifica sit; et quod charitatis opera ad salutem non conducant. Accedit quod mens ratiocinans illis possit addere suas symbolas, et constabilire illa.

5. Quod illa omnia et singula non possint ut falsa videri, et sic dissipari, nisi ratio illustrata a Domino per Verbum confirmet quod Deus unus sit, et quod conjunctio charitatis et fidei sit.
6. Quod cum ita fit, pateat clare quod theologia fundata super trinitate personarum, quarum unaquaevis est Deus, et super fide appropriata cuivis singulatim, et super charitatis nullo valore ad salutem, falsificaverit totum Verbum; principaliter quia haec tria, Deus, charitas, et fides, simul sunt universalia religionis, ad quae omnia et singula Verbi, et inde caeli et ecclesiae, se referunt.

7. Inde resultat hoc enorme, quod confirmator, ubicunque legit Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum, immo ubicunque legit Jehovah et Deum, cogitet tres Deos, quia unum ex tribus; tum ubicunque legit fidem, cogitet non aliam quam imputativam meriti Christi; et ubicunque legit charitatem, cogitet illam non aliquid [1]conferre ad salutem, aut loco ejus illam fidem. Confirmatio semel imbuta hoc secum fert.

CAPUT NONUM.

QUOD INDE SIT ILLA AFFLICTIO ET ILLA DESOLATIO IN ECCLESIA CHRISTIANA, QUAE A DOMINO APUD *EVANGELISTAS* ET APUD *DANIELEM* PRAEDICTAE SUNT.

1. Quod Dominus, ubi de Consummatione Saeculi, et de suo Adventu, hoc est, de fine ecclesiae hodiernae et de principio ecclesiae novae, cum discipulis loquitur, praedixerit haec,

> "Erit tunc afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque nunc, nec erit" (*Matth.* xxiv. 21);

tum quod futura sit

> "Abominatio desolationis praedicta a Daniele propheta. ...Nam post afflictionem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et...virtutes caelorum commovebuntur" (*Matth.* xxiv. 15, 29).

2. Quod talis afflictio et desolatio sit in ecclesia, prorsus non scitur et videtur in mundo, quoniam ubivis ibi dicitur quod sint in ipsa luce Evangelii; adeo ut si angelus descenderit e caelo, et aliud doceret, non crederetur. Quod ita dicat Ecclesia Romano-Catholica, ita Ecclesia Graeca, ita unaquaevis ecclesia ex tribus Reformatis quae a Luthero, Melancthone, et Calvino, antesignanis denominantur, similiter unaquaevis haeretica, quae multiplex.

3. Sed quod praedicta illa afflictio, et illa desolatio, in clara luce apparuerit in mundo spirituali,* quoniam omnes homines in illum mundum post mortem veniunt, et manent in religione in qua fuerunt in mundo naturali; lux enim ibi est spiritualis quae detegit omnia.

4. Dum ibi interrogantur clerici de Deo, de fide, et de charitate, quae sunt tria essentialia ecclesiae et inde salutis, vix aliter respondent quam sicut caeci in foveis. De Deo respondent, quod sit unus, et quod sint tres qui unanimes: et cum dicunt quod tres sint unus, mandatur illis

---

* [NOTA E MARGINE:—]Et mihi nunc apparet in splendidissima luce, in Londino mundi naturalis.

eloqui sicut cogitant; tunc quia cogitatio et loquela apud illos qui in mundo spirituali unum agunt, eloquuntur clara voce *tres Deos*. Dum ulterius interrogantur de illa fide,—num sciunt signum ejus dum intrat, et num signum quod insit,—respondent, "Quid est signum scire? Estne illa ex beneplacito, ex electione illius unius Dei, et nihil ex homine illi immixtum est?" Dum interrogantur num fides illa,—quia applicata tribus, et sic in tres Deos, et homo in plenaria ignorantia de illa est,—sit aliquid, respondent quod non modo sit aliquid, sed omne ecclesiae et omne salutis. Si interrogantur num sit possibilis, ad hoc rident. De charitate respondent quod sit ubi illa fides, et quod ab hac sit separata et inseparata; et quod sic ad salutem conferat, et non conferat.

5. Dum laici interrogantur de Deo, de fide, et de charitate, paene nihil sciunt, praeter quod pauci aliqua aenigmata ex clero, quae vocant fidei; quae in genere sunt, ut misereatur Deus Pater propter Filii sui passionem, ut remittet peccata et justificet.

6. Dum hi et illi explorantur, num aliquid Dei, fidei et charitatis in se habeant, animadvertitur quod nihil; consequenter nihil caeli, ecclesiae, et salutis, solum apud illos qui bona fecerant ex religione, quia hi receptibiles sunt fidei in Dominum Deum Salvatorem in mundo spirituali.

7. Ex paucis illis supra allatis, patet unde est ingens illa "afflictio quae ab initio mundi non fuit, nec erit," et unde illa "abominatio desolationis," quas Dominus futuras in fine ecclesiae, qui hodie est, praedixit.

8. Quod talis afflictio ab initio mundi non fuerit, nec futura, est quia Gentes et ipsi Judaei ignoraverunt Dominum Deum Salvatorem ut Fontem salutis; et ignorantia excusat: aliter vero Christiani post adventum Ipsius, quibus hoc in Verbo utriusque Testamenti detectum est.

CAPUT DECIMUM.

QUOD NISI NOVA ECCLESIA EXISTAT, QUAE ABOLET FIDEM VETERIS ECCLESIAE QUAE EST IN TRES DEOS, ET NOVAM TRADIT QUAE [1]EST IN UNUM DEUM, ITA IN DOMINUM DEUM SALVATOREM JESUM CHRISTUM, NON POSSIT ULLA CARO SALVARI, SECUNDUM DOMINI VERBA.

1. Quod Dominus ubi de consummatione saeculi et adventu suo, hoc est, de fine ecclesiae hodiernae, et tunc principio ecclesiae novae, cum discipulis loquitur, postquam desolationem et afflictionem descripsit, dicit quod

> Nisi abbreviarentur dies illi, non conservaretur ulla caro (*Matth.* xxiv. 21, 22);

hoc est, omnino perirent morte aeterna.

2. Quod non conservaretur ulla caro nisi illa afflictio et abominatio desolationis tollerentur, est quia per fidem hodiernae ecclesiae nulla est conjunctio cum Deo, et inde nulla salus, haec enim a conjunctione cum Deo unice pendet; immo salus est illa conjunctio.

3. Quod per fidem hodiernae ecclesiae non sit conjunctio cum Deo, est quia fides illa est in tres Deos, et fides nisi in unum Deum non conjungit; tum etiam quia fides illa est in Deum Patrem, qui inaccessibilis est; et quoque in Filium natum ab aeterno, qui similiter inaccessibilis foret, quia ejusdem essentiae cum Patre; pariter in Spiritum Sanctum: et quia non aliquis Filius nec aliquis Spiritus Sanctus ab aeterno [2]fuit, [3]fides in duos illos est in nullum Deum. Accedit quod fides hodierna non possit uniri cum charitate; et fides non unita charitati, ita sola, non conjungit. Exinde sequitur quod nisi nova ecclesia a Domino instauretur quae fidem illam abolet, et docet novam, quae est in unum Deum, et simul unita charitati, non conservaretur ulla caro, hoc est, non salvaretur ullus homo.

4. Quod fides hodierna destruxerit universam ecclesiam, et falsificaverit totum Verbum, supra ostensum est.

Quare nisi nova ecclesia a Domino instauretur, quae et ecclesiam et Verbum suae integritati restituit, non conservari possit ulla caro.

5. Quod illi qui in fide hodiernae ecclesiae sunt, intelligantur per "draconem" et "pseudoprophetam;" et quod ipsa illa fides per "puteum abyssi" ex quo locustae exiverunt, ut et per "magnam urbem quae spiritualiter vocatur Sodoma et Aegyptus," ubi bini testes occisi sunt, in *Apocalypsi Revelata* ostensum est; similiter quod ibi per "Novam Hierosolymam" Nova Ecclesia intellecta sit. [Vide *Apoc.*, cap. ix., xi., xii., xx., xxi.] Quoniam ibi dicitur quod postquam draco et pseudopropheta in infernum conjecti sunt, ex caelo a Deo descenderit Nova Hiersolyma, patet quod postquam fides hodiernae ecclesiae damnata est, Nova Ecclesia e Novo Caelo a Domino descendat ac [1]instituatur.

6. Ex his patet quod nisi nova ecclesia existat quae abolet fidem in tres Deos et recipit fidem in unum Deum, ita in Dominum Jesum Christum, et simul hanc cum charitate in unam formam conjungit, non possit ulla caro salvari.

7. Videatur etiam supra, pag. [40], quod redemptio non potuerit effici, et inde nec salvatio dari, nisi a Deo incarnato, ita non ab alio quam a Deo Redemptore Jesu Christo, quia salvatio est perpetua redemptio: tum etiam quod Deus, fides, et charitas sint tria essentialia ecclesiae, et quod ab illis universa theologia, ita ecclesia, pendeat. Quare ubi de tribus illis falsa traduntur et imbuuntur, homini non est salus.

7. *Clausula.*—Quod nemo possit posthac venire in caelum nisi in doctrina Novae Ecclesiae quoad fidem et vitam sit. Causa est, quia Novum Caelum, quod a Domino nunc instauratum est, est in fide et vita secundum illam doctrinam.

CAPUT UNDECIMUM.

QUOD DIVINA TRINITAS SIT IN DOMINO DEO SALVATORE; ET PROINDE QUOD DOMINUS DEUS SALVATOR SOLUS ADEUNDUS SIT, UT SIT SALUS SEU VITA AETERNA.*

---

* [ANNOTATIONES AUCTORIS:—]Exponuntur haec, secundum contenta, in sequentibus *De Scriptura Sacra* (n. 13, etc.).

Quod ex doctrina hodiernae ecclesiae consequatur quod Domino nulla potestas sit, quia solus Pater imputat meritum Ipsius, et quod in Ipso intercedat et oret ut hoc faciat; et non reminiscuntur quod dixerit quod omnia Patris Ipsius sint, quodque omnia Patris ad Ipsum veniant, et quod potestas omnis carnis et omnis potestas super caelum et terram Ipsi sit.

Quod Dominus sit Caput ecclesiae, et quod ecclesia sit Ipsius corpus; quare Ipsi qui est ejus Caput, a corpore adeundus sit.

[NOTA EDITORIS:—*Cetera, cum hoc opusculum ex autographo transcribebatur, inveniri non potuerunt.*]

Index Locorum Scripturae Sacrae.

Praefatiuncula Editoris.—*In hoc Indice, non aliter quam in ceteris nostris,*

Notae numeri hujusmodi,....... **1, 3**, *designant* versus ad verbum productos.
Notae generis ejusdem, cum punctis, designant versuum partes:—

Puncta signum antecedentia, ..**1**, partem primam non datam indicant;
Puncta supra signum posita, **1̈**, partem mediam non datam indicant;
Puncta signum sequentia, ... **1**.., partem ultimam non datam indicant.

Omissionem verbi unius *puncto uno monstravimus;* duorum vel trium verborum, *punctis duobus;* plurium, *tribus.*

Notae hujusmodi,................ *1, 3,* *designant* versus ad verbum non productos.
Interclusae hoc modo,........... (1, 3,) *designant* versus memoratos, sed non allatos.

NOTAE CRITICAE EDITORIS.

Pag.	*Sig.*	
1	1	Titulus :—*sic Nordensköld; exemplo Scarensi deest.*
5	1	SIT *scripsi pro* "est"
6	1	REDEMERIT *pro* "redemit"
	2	FACTA *pro* "factum" (*vid. pag.* 57).
	3	PRAEDICTAE *pro* "praedicta" (*vid. pag.* 65).
	4	INSTAURETUR *pro* "instauratur (*vide* "existat," *p.* 67, *l.* 2).
7	1	*Quatuor paragraphi, nunc sequentes, exemplari Scarensi desunt.*
	2	"suisona":—*sic N.*
	3	sequatur *pro* "sequitur"
	4	collinearunt *pro* "collinuarunt"
	5	Hujus opusculi *pro* exordio, *in exemplo Scarensi sistuntur tres paragraphi, nunc sequentes; exemplo Nordenscoeldii desunt.*
8	1	*Sc. exemplo haec verba desunt.*
9	1	infra *pro* "et infra"
	2	ut *pro* "et"
	3	hominem *pro* "homini"
10	1	abeant *pro* "abeunt"
12	1	Infinitas *pro* "Infinitum"
	2	possint *pro* "possunt"
	3	"detur"—*sic ex. Sc.; N. legit* "datur".
13	1	est *pro* "fuit"
	2	*N. legit,* "seu de imprimis tali." *Scarensi exemplo haec annotatio deest.*
	3	*Linea calami per hanc annotationem ducta est.*
	4	"lucis":—*sic N. Forte est delendum.*
14	1	quia naturale *pro* "naturale quia"
	2	"operetur"—*sic Sc.; N. legit* "operatur".
	3	affectionibus illis *pro* "affectione illa"
	4	creentur *pro* "creantur"
	5	figantur *pro* "figentur"
16	1	creentur *pro* "creantur"
17	1	infinita *pro* "infinite"
20	1	"tollantur quia":—*sic Sc.; N. legit* "tolluntur quia". *Fortasse legeris* tollant quin.
23	1	"Ipse":—*sic in utroque exemplo. Forte ab auctore scriptum est* ipsum.
24	1	*Distributio et notae numerales, in paragraphis subsequentibus* (n. 3–7), *sequuntur ordinem exempli Scarensis.*
25	1	Jehovae *pro* "Jehovah"
26	1	JEHOVAE *pro* "Jehovah"
33	1	"INSTET":—*sic Sc.; N. legit* "instat"
34	1	"elevatur":—*sic Sc.; N. legit* "elevetur"
36	1	veniat *pro* "veniet"
	2	"infestet":—*sic Sc.; N. legit* "infestat".
40	1	*Exemplo Scarensi* CAPUT OCTAVUM *deest.*
	2	"illas:—*sic Sc.; N. legit* "illis".
	3	quod *pro* "quae"
	4	Divino *pro* "Divinum"
	5	fuerit *pro* "fuit"
	6	creverit in sapientia:—*N. legit* "creavit sapientiam;" *Sc. habet* "crevit sapientiam".
	7	potuerit *pro* "potuit"
41	1	subjugavit *pro* "subjugaverit"
	2	glorificavit *pro* "glorificaverit"
	3	non *pro* "ne"
42	1	*Verba sequentia, per quae lineae calami ductae sunt, in exemplo Nordenscoeldii usque sunt facilia lectu:*—"Universalia. Attributa propria, non communia seu

Pag.	*Sig.*	
		communicabilia; aliter, attributa essentialia."
42	2	"(ut ejus operatio et virtus)":—*sic Sc.; haec verba alteri exemplo desunt.*
44	1	Comparative *pro* "Comparatim"
	2	"procedit":—*sic Sc.; N. legit* "procedat".
46	1	"et per":—*sic Sc.; N. legit* "Per".
	2	a *pro* "e"
47	1	dictus *pro* "dicta"
	2	"homines":—*sic Sc.; N. legit* "homine".
	3	credunt:—*Sc. habet* "credent"; *N. legit* "cadunt".
48	1	"INSTAURATIO":—*sic N.; Scarensi exemplo, hoc caput deest. Videatur* INDEX COMMUNIUM, *ubi legimus* "INSTRUCTIO," *quod praeferendum est.*
50	1	incommunicabiles autem *pro* "autem incommunicabiles"
51	1	necessaria:—*Sc. habet* "recessoria;" *N. primum legit* "recessoria," *sed* "necessaria" *inter lineas scriptum est.*
	2	"in":—*sic Sc.: N. legit* "a". (*Videatur cap.* iv. 7, *p.* 58.)

Pag.	*Sig.*	
53	1	et *pro* "et quod"
54	1	fuerit *pro* "sit"
	2	dicit *pro* "dixit"
55	1	"aequales":—*sic Sc.; N. legit* "aequalitates".
	2	fuit *pro* "quod"
56	1	in *pro* "cum". *Exemplum Scarense habet* "in," *inter lineas scriptum.*
	2	"trinitas illa";—*sic Sc.; N. legit* "trinitas".
59	1	"post":—*sic Sc.; N. habet* "statim post".
	2	*Creatorem* pro "Deum"
	3	*de* pro "a"
	4	*aut* pro "et"
	5	intellecta *pro* "intellectu"
60	1	quod *pro* "quia"
	2	cogitetur *pro* "cogitatur"
63	1	"Nicaena":—*sic Sc.; N. legit* "Apostolica;" *manu autem alio, postea scriptum est* "Athanasiana".
64	1	"conferre ad":—*sic Sc.; N. legit* "ad".
67	1	est *pro* "sit"
	2	fuit *pro* "sunt"
	3	fides in duos illos est *pro* "est fides in duos illos"
68	1	"instituatur":—*sic Sc.; N. legit* "instituitur".

Coronis seu Appendix

AD

VERAM CHRISTIANAM RELIGIONEM

IN QUA AGITUR

De Quatuor Ecclesiis in hac tellure a creatione mundi
deque illarum Periodis et Consummatione

De Nova Ecclesia quatuor illis successura
quae erit vere Christiana, et Corona antecedentium

Deque Adventu Domini ad illam et de Divino Auspicio Ipsius in illa in aeternum

Et porro De Mysterio Redemptionis

TUM QUOQUE

Invitatio ad Novam Ecclesiam

OPERA POSTHUMA

EMANUELIS SWEDENBORGII

NEW YORK

AMERICAN SWEDENBORG PRINTING AND PUBLISHING SOCIETY

20 COOPER UNION

MDCCCLXXXIV

PRAEFATIUNCULA EDITORIS.

In hac compage collata sunt sequentia:—

1. PROPOSITIO HUJUS APPENDICIS, ET RATIO CONTENTORUM EJUS.
2. ARGUMENTUM CORONIDIS SEU APPENDICIS AD VERAM CHRISTIANAM RELIGIONEM.
3. SUMMARIA, SEU ORDO ET DISPOSITIO OPERIS PROPOSITI.
4. CORONIS SEU APPENDIX AD VERAM CHRISTIANAM RELIGIONEM.
5. INVITATIO AD NOVAM ECCLESIAM.
6. FRAGMENTUM DE MIRACULIS.

PROPOSITIO APPENDICIS, ET RATIO CONTENTORUM EJUS, ex opere *Vera Christiana Religione* appellato, loco Praefationis, ab Editore sunt collectae.

Reliqua, FRAGMENTO DE MIRACULIS solum excepto, non ex ipso Auctoris chirographo, sed solum e vetustis exemplis, edere potuimus.

ARGUMENTUM CORONIDIS SEU APPENDICIS ex apographo Augusti Nordenscoeldii cura descripto damus. Hoc Argumentum, ex eodem vetusto exemplo, primum edidit Dr. Im. Tafel; videatur *Diarium Spirituale*, pars septima, ed. 1846, pag. 160; videantur etiam *Dicta Probantia*, ed. 1845, pag. 3.

SUMMARIA, seu ordinem et dispositionem operis, ex apographo Augusti Nordenscoeldii cura descripto, similiter accepimus. Haec quoque, ex eodem exemplo, a Dr. Im. Tafel primum edita sunt; videatur *Diarium Spirituale*, pars septima, ed. 1846, pag. 163–169; tum Adnotatiuncula, pag. 1.

Opus ipsum, CORONIDEM SEU APPENDICEM AD VERAM CHRISTIANAM RELIGIONEM, ab auctore nunquam ad finem peractum esse, minime est dubium. Fundamentum editionis nostrae fuit editio quae, anno 1780, Londini, in lucem prodiit.

Ad nostram editionem INVITATIONIS AD NOVAM ECCLESIAM adornandum, binis exemplaribus (quorum unum Augusto Nordenscoeldio, alterum Christiano Johansen, ascriptum est) usi sumus. Dr. Im. Tafel, in sua editione, Nordenscoeldii exemplum sequebatur; videatur *Diarium Spirituale*, pars septima, ed. 1846, pag. 142–160. Ubique a textu Nordenscoeldii abivimus, rem diligenter significavimus.

Fragmentum DE MIRACULIS benigne nobis commodavit Dr. R. L. Tafel: videantur ipsius *Documenta*, pars secunda, pag. 759. Hoc fragmentum, manu auctoris scriptum, adhuc in Academia Regia Scientiarum Holmiensi adservatur; hoc *Verae Christianae Religionis*, n. 695, futurum esse, auctori dum scribebat in animo erat.

Veteris Testamenti Hebraici capitibus et versibus, Anglicorum Bibliorum numeros, ubi inter se discrepant, hujusmodi uncis [ ] inclusos, apposuimus.

SAMUEL H. WORCESTER.

BRIDGEWATER, MASS., *Mar.*, 1882.

[*PRAENUNTIATA DE HOC OPUSCULO CONTENTISQUE EJUS, EX OPERE "VERA CHRISTIANA RELIGIO" NUNCUPATO.*]

"**15.** .... Inde fit quod unitas Dei non modo actualiter dividatur, sed etiam ipsa theologia, et quoque mens humana in qua illa erit, similiter. Quid inde nisi perplexum et non cohaerens in rebus Ecclesiae resultat? Quod talis sit status Ecclesiae hodiernae in Appendice post hoc opus demonstrabitur."

"**177.** .... Si quis sub examen mittit singula doctrinalia, sicut id quod de Deo, de Persona Christi, de Charitate, de Paenitentia, de Regeneratione, de Libero Arbitrio, de Electione, de Usu sacramentorum Baptismi et Sanctae Cenae, manifeste videbit quod Trinitas Deorum singulis insit; et si non actualiter apparet inesse, usque ex illa sicut ex suo fonte scaturiat. Sed quia tale examen hic non fieri potest, et tamen operae pretium est ad aperiendum oculos ut fiat, ideo huic operi adjungetur Appendix in qua hoc demonstrabitur."

"**343.** .... Sed antequam illa, quae hodierna Ecclesia de sua Fide tradit, assumuntur, lustrantur, et expenduntur, quod fiet in Appendice, afferentur communia quae Nova Ecclesia de sua Fide docet."

"**485.** .... Sequelae ex confirmatione quod nulla sit imputatio boni et mali absque Libero Arbitrio in spiritualibus, sunt plures; et illae enormes, in ultima parte hujus operis, ubi de haeresibus, paradoxis et contradictionibus, promanantibus ex hodierna fide imputativa meriti et justitiae Domini Dei Salvatoris, agendum est, aperiendae sunt."

"**627.** .... In Appendice ostendendum est quod Fides illa non sit Christiana, quia dissidet a Verbo, et quod imputatio illius Fidei sit vana, quia meritum Christi non est imputabile."

"**758.** .... Quod talis Abominatio Desolationis hodie sit in Ecclesia Christiana, adhuc patebit ex Appendice, in qua videbitur quod non unicum genuinum verum in Ecclesia residuum sit, et quoque quod nisi Nova Ecclesia loco hodiernae exsuscitetur,

'Nulla caro salvari possit,'

secundum verba Domini apud *Matthaeum* (cap. xxiv. 22)."

[*ARGUMENTUM CORONIDIS SEU APPENDICIS AD VERAM CHRISTIANAM RELIGIONEM.*]

I. Consummatio Saeculi.
II. Ultimum Judicium.
III. Adventus Domini.
IV. Restitutio, et nova Ecclesia; qualis illa.

1. Apparitio Domini Jehovih.
2. Mane seu Ortus.
3. Dies seu Progressio.
4. Vespera seu Vastatio.
5. Nox seu Consummatio.
6. Adventus Domini.
7. Ultimum Judicium.
8. Novum Caelum.
9. Nova Ecclesia.
10. Redemptio.
[11.] De Miraculis.

SUMMARIA.

I.—Quod quatuor Ecclesiae in hac Tellure a die creationis fuerint: prima, quae vocanda est Adamitica; secunda, quae Noachica; tertia, quae Israelitica; et quarta, quae Christiana.

II.—Quod cujusvis Ecclesiae quatuor Periodi fuerint seu Status successivi, quae in Verbo intelliguntur per "Mane," "Diem," "Vesperam," et "Noctem."

III.—Quod in quavis Ecclesia consecutae sint quatuor Status Mutationes; quarum prima fuit Apparitio Domini Jehovih ac Redemptio, et tunc ejus Mane seu Ortus; secunda fuit ejus Instructio, et tunc ejus Meridies seu Progressio; tertia fuit ejus Declinatio, et tunc ejus Vespera seu Vastatio; quarta fuit ejus Finis, et tunc ejus Nox seu Consummatio.

Quod post hujus finem seu consummationem Dominus Jehovih appareat, ac faciat judicium super homines prioris Ecclesiae, ac separet bonos a malis, ac bonos ad Se elevet in Caelum, et malos a Se removeat in Infernum.

Quod post haec ex bonis ad Se elevatis condat novum Caelum, et ex malis a Se remotis novum Infernum; et quod utrique[1] inducat ordinem, ut stent sub suo auspicio et sua obedientia in aeternum; et quod successive tunc per novum Caelum initiet et instauret novam Ecclesiam in terris.

Quod Dominus Jehovih ex hoc Caelo novam Ecclesiam in terris derivet [et] producat, quod fit per revelationem ex suo ore aut ex suo Verbo, et inspirationem.

IV.—Quod hae status mutationes periodicae quae consecutae sunt in Ecclesia prima seu Antiquissima, quae fuit Adamitica, descriptae sint in primis capitibus Geneseos apud Mosen, sed per caelestia repraesentativa, et per alia quae mundi sunt, quibus spiritualia correspondent.

V.—Quod status mutationes periodicae quae consecutae sunt in Ecclesia secunda seu Antiqua, quae fuit Noachica, etiam descriptae sint in Genesi, et passim in quatuor reliquis Libris apud Mosen.

VI.—Quod mutationes periodicae quae consecutae sunt in Ecclesia tertia, quae fuit Israelitica, etiam descriptae sint apud Mosen, et postea apud Josuam, in Libris Judicum, Samuelis, et Regum, praeter apud Prophetas.

VII.—Quod mutationes periodicae quae consecutae sunt in quarta Ecclesia, quae Christiana, descriptae sint in Verbo utriusque Testamenti: ejus Ortus seu Mane in specie apud Evangelistas, inque Actis et Scriptis Apostolorum; ejus Progressio versus meridiem in Historiis Ecclesiasticis de tribus primis saeculis; ejus Declinatio seu Vespera, ab iisdem de saeculis mox sequentibus; et ejus Vastatio usque ad consummationem, quae ejus Nox, in Apocalypsi.

VIII.—Quod post quatuor illas Ecclesias, exoritura sit Nova quae erit vere Christiana, praedicta apud Danielem et in Apocalypsi, et ab Ipso Domino apud Evangelistas, et exspectata ab Apostolis.

IX.—Quod Ecclesia successive declinet a veris fidei et bonis charitatis, et quod tantum etiam a spirituali intellectu et genuino sensu Verbi.

X.—Consequenter quod Ecclesia tantum recedat a Domino, et Ipsum a se removeat.

XI.—Quod quantum hoc fit, tantum tendat ad suum finem.

XII.—Quod finis Ecclesiae sit quando non amplius aliquod verum fidei, et genuinum bonum charitatis, superest.

XIII.—Quod Ecclesia tunc in falsis et inde malis, et in malis et inde falsis, sit.

XIV.—Quod inde ex defunctis e mundo accrescat Infernum, ut se extollat versus Caelum, seque interponat inter hoc et Ecclesiam, sicut atra nubes inter Solem et Tellurem.

XV.—Quod per hanc interpositionem arceatur ut aliquod verum fidei, et inde nec aliquod genuinum bonum charitatis, ad homines Ecclesiae penetret, sed

loco illorum verum falsificatum, quod in se est falsum, ac bonum adulteratum, quod in se non est bonum.

XVI.—Quod tunc simul naturalismus ac atheismus invadat.

XVII.—Quod hic status Ecclesiae in Verbo intelligatur et describatur per "Vastationem," "Desolationem," et "Consummationem."

XVIII.—Quod dum perstat Vastatio, et antequam supervenit Consummatio, annuntietur Adventus Domini, et a Domino Redemptio, et post hanc nova Ecclesia.

XIX.—Quod haec tria, dum Ecclesia Israelitica adhuc perstabat, multis in locis annuntiata sint in Verbo apud Prophetas.

XX.—Quod Adventus Domini.

XXI.—Quod Redemptio.

XXII.—Quod nova Ecclesia.

Quod in Verbo Prophetico fere ubivis agatur de Vastatione et Consummatione, de Ultimo Judicio, tum de Adventu Domini, de Nova Ecclesia, deque Redemptione.

XXIII.—Quod in specie Redemptionem attinet, per quam unice fit Salvatio, quae facta est a Jehovah Deo incarnato, qui est Dominus noster Jesus Christus.

XXIV.—Quod primum Redemptionis fuerit totalis Subjugatio Infernorum.

XXV.—Quod alterum Redemptionis fuerit Separatio malorum a bonis, et malorum Dejectio in Infernum, et bonorum Elevatio in Caelum.

XXVI.—Et postremo Ordinatio omnium in Inferno, ac Ordinatio omnium in Caelo.

XXVII.—Et simul tunc Instructio de veris quae fidei et in bonis quae charitatis erunt.

XXVIII.—Et sic Instauratio novae Ecclesiae.

XXIX.—Quod Causa finalis et efficiens Redemptionis fuerit Regeneratio hominis, et per hanc Salvatio.

XXX.—Quod Dominus, quia est solus Redemptor, ideo est solus Regenerator et sic solus Salvator.

XXXI.—Quod Dominus per primum suum Adventum et tunc Redemptionem, non potuerit novum Caelum, et ex hoc novam Ecclesiam, formare ex Christianis, quoniam Christiani nondum fuerunt, sed successive facti per praedicationes et scripta Apostolorum.

XXXII.—Quod nec postea potuerit, quoniam ab initio tot haeretica irruperunt ut vix aliqua doctrina fidei in sua luce appareret.

XXXIII.—Et quod tandem Doctrina Apostolica, in progressu per nefaria haeretica discissa, dilacerata et adulterata fuerit.

XXXIV.—Quod hoc per "Abominationem Desolationis," perque "Afflictionem qualis non fuit nec erit," perque "Obscurationem Solis, Lunae et Stellarum," apud Evangelistas, apud Danielem, ut et apud Prophetas, et per "Draconem" et plura in Apocalypsi, intelligatur.

XXXV.—Haec quia Dominus praevidit, ex necessitate ut homo salvari posset, spospondit quod iterum in mundum venturus sit, ac Redemptionem facturus, et sic novam Ecclesiam instauraturus, quae futura Ecclesia vere Christiana.

XXXVI.—Quod Dominus de secundo suo Adventu Ipse praedixerit, et de illo Apostoli saepius prophetaverint, et Johannes in Apocalypsi aperte.

XXXVII.—Similiter de Nova Ecclesia, quae per "Novam Hierosolymam" in Apocalypsi intelligitur.

XXXVIII.—Quod secunda haec Redemptio facta sit simili modo quo prima (de qua supra, n. 23–30).

XXXIX.—Tum etiam propter Regenerationem, et inde Salvationem hominum Ecclesiae, ut causam finalem et efficientem.

XL.—Quod falsa quae Christianam Ecclesiam hactenus desolarunt et tandem consummaverunt, fuerint imprimis sequentia haec:—

XLI.—Quod a cultu Domini ab Apostolis praedicato et a fide in Ipsum recesserint.

Quod Divinam Trinitatem a Domino separaverint, et in tres Personas Divinas ab aeterno transtulerint, consequenter in tres Deos.

XLII.—Quod fidem salvificam in tres illas Personas partiti sint.

XLIII.—Quod ab illa fide separaverint Charitatem et Bona Opera sicut non simul salvifica.

XLIV.—Quod ex illa Fide sola deduxerint Justificationem, hoc est Remissionem Peccatorum, Regenerationem et Salvationem, praeter quod homo cooperatur.

XLV.—Quod Liberum Arbitrium in spiritualibus homini derogaverint, et sic [statuerint] quod solus Deus in homine operetur, et nihil homo vicissim.

XLVI.—Quod inde necessario profluerit Praedestinatio, per quam aboletur[1] Religio.

XLVII.—Quod Passionem Crucis Redemptionem statuerint.

XLVIII.—Quod ex his irrepserint falsa in tali copia, ut non aliquod genuinum verum quod non falsificatum est, et sic nec aliquod genuinum bonum quod non adulteratum est, supersit.

XLIX.—Quod Ecclesia de hac sua desolatione et consummatione prorsus nihil sciat, nec prius quam dum Divina vera, quae a Domino in opere "Vera Christiana Religio" appellato, in luce videantur et agnoscantur, scire possit.

Quod Verbum sit ita obscuratum et atratum,[2] ut non aliquod verum in illo amplius appareat.

L.—Quod Nova haec Ecclesia Christiana non per aliqua miracula ut prior constabiliatur propter plures causas.

LI.—Sed quod loco illorum revelatus sit Sensus spiritualis Verbi, ac detectus sit Mundus spiritualis, et manifestatum quale et Caelum et Infernum, tum quod Homo post mortem vivat Homo, quae omnibus miraculis praestent.[1]

LII.—Quod Nova haec Ecclesia vere Christiana, quae hodie instauratur a Domino, duratura sit in aeternum, confirmatum ex Verbo utriusque Testamenti, et quod a creatione mundi praevisa sit; quod futura sit Corona quatuor Ecclesiarum antecedentium, quia vera fides et vera charitas.

LIII.—Quod in Nova hac Ecclesia futura sit pax spiritualis, quod gloria, quodque interna vitae beatitudo, etiam confirmatum ex Verbo utriusque Testamenti.

LIV.—Quod illa in Nova hac Ecclesia futura sint, propter conjunctionem cum Domino, et per Ipsum cum Deo Patre.

LV.—Invitatio ad universum orbem Christianum ad hanc Ecclesiam, et hortatio quod Dominum, qui praedixit Se propter illam et ad illam in mundum venturum esse, digne recipiant.

ULTIMO DE MIRACULIS.

I.—Quod Miracula facta sint in Ecclesia ante Domini Adventum, quia tunc externi seu naturales homines fuerunt, qui ad cultum suum repraesentativum non potuerint nisi quam per miracula adduci.

Recensentur Miracula facta in Aegypto, in Deserto, in Terra Canaane, usque ad nunc.

Et tamen quod nusquam afficiant homines.

II.—Quod post Adventum Domini, quando homo ex externo factus est internus, quando indita ho-

mini facultas ut sciri possit, miracula inhibita sint.

Et quod si facultas illa interciperetur, homo fieret plus externus quam prius.

III.—Quod Miracula abolerent cultum vere Divinum, ac introducerent cultum priorem idololatricum, ut quoque a plurimis saeculis retro factum est.

Quod tamen haec Miracula non fuerint Divina, sed talia quae a magis olim facta sunt.

IV.—Quod loco Miraculorum hodie facta sit Manifestatio Ipsius Domini, Intromissio in Mundum Spiritualem, ac ibi Illustrationem per immediatam lucem a Domino in talibus quae interiora Ecclesiae sunt.

Principaliter autem apertio Sensus spiritualis in Verbo, in quo Dominus in Divina sua luce est.

V.—Quod hae Revelationes non sint Miracula, quoniam unusquisque homo quoad spiritum suum est in mundo spirituali absque separatione a corpore suo in mundo naturali; ast ego cum quadam separatione, sed modo quoad intellectualem partem mentis meae, non autem quoad voluntariam:—et quoad Sensum spiritualem, est Dominus per illum apud omnes qui in fide adeunt Ipsum in illa luce, et per illum in lumine ejus naturali.

CORONIS SEU APPENDIX

AD

Veram Christianam Religionem.

---

1. De tribus illis, nimirum de Consummatione Saeculi, de Adventu Domini, deque Nova Ecclesia, in ultimo capite operis *Vera Christiana Religio* nuncupati, actum est. Quod *Continuatio* de illis sequatur, est causa quia nemo hactenus novit quid Consummatio Saeculi, cur secundus Adventus Domini, et quod Nova Ecclesia ventura sit; et tamen de his tribus in Verbo, tam Prophetico quam Apostolico, et plene in *Apocalypsi*, agitur. Quod de illis tribus in Verbo Prophetico Veteris Testamenti agatur, patuit mihi dum datum est illud per sensum spiritualem enucleare; similiter quod in Prophetico Novi Testamenti, quod vocatur *Apocalypsis*: quod etiam in Verbo Evangelico et Apostolico, ex sequentibus patebit. Inde consequitur quod absque cognitione de Consummatione Saeculi, de secundo Adventu Domini, et de Nova Ecclesia, Verbum sit quasi occlusum: nec aliud quam cognitiones illud recludunt; hae sunt sicut claves, qui januam aperiunt ac intromittunt. Quando hoc fit cum Verbo, tunc in conspectum venient thesauri qui inibi sicut in fundo maris huc usque latuerunt; funditus enim in Verbo non sunt nisi quam thesauraria. In *Appendice* seu *Continuatione* hac, progressurus sum similiter ut in ipso opere, per praemissa Summaria, quae erunt confirmanda ex Scriptura et illustranda ex ratione.

LEMMA PRIMUM.

[QUOD QUATUOR ECCLESIAE IN HAC TELLURE A DIE CREATIONIS EJUS FUERINT.]

---

2. (*i.*) ***Quod quatuor Ecclesiae in hac tellure a die creationis ejus fuerint: prima, quae vocanda est Adamica; altera, quae Noachica; tertia, quae Israelitica; et quarta, quae Christiana.***— Quod quatuor Ecclesiae ex creatione mundi in hac tellure exstiterint, manifeste constat apud *Danielem;* primum ex statua Nebuchadnezari in somnio visa, et postea ex quatuor bestiis ex mari assurgentibus. De statua Nebuchadnezaris haec leguntur:

> Dixit Daniel, "Tu, Rex, videns fuisti, et ecce statua una magna, ... et species ejus excellens, stans e regione tui, et aspectus ejus formidabilis. Hujus statuae caput erat ex auro bono; pectus ejus et brachia, ex argento; venter ejus et femora ejus, ex aere; crura ejus ex ferro; pedes ejus ad partem ex ferro, et ad partem ex argilla. Videns fuisti dum excisus est Lapis, qui non per manus, et percussit statuam super pedes ejus, qui ferrum et argilla, et contrivit illos[1] Tunc contrita sunt simul ferrum, argilla, aes, argentum et aurum; factaque sunt sicut palea ex areis aestatis, ita ut abstulerit illa ventus, et ullus locus non inventus est illis: Lapis autem qui percussit statuam, factus est in Petram magnam, et implevit totam terram. . . . . In diebus his surgere faciet Deus caelorum regnum, quod in saecula non perdetur, et regnum ejus populo[2] alii non permittetur; conteret et consumet omnia illa regna, illud autem stabit in saecula" (*Dan.* ii. 31–35, 44[3]).

Quod hoc somnium non significaverit quatuor regna politica in hac tellure, sed quod quatuor Ecclesias, unam alteri successuram, constat ex sequentibus his: (1.) Quod talia regna, unum post alterum, in hac tellure non exstiterint. (2.) Quod Divinum Verbum in suo sinu non agat de regnis mundi, sed de Ecclesiis, quae in terris faciunt regnum Dei. (3.) Tum quod dicatur quod Deus caelorum surgere facturus sit regnum quod in saecula non perdetur, et quod lapis non per manus excisus factus sit in petram magnam quae implevit totam terram. (4.) Et quia Domi-

nus Salvator noster Jesus Christus in Verbo utriusque Testamenti dicitur "Lapis" et "Petra," patet quod Ipsius regnum per ultima ibi intelligatur. (5.) Praeterea status Ecclesiae innumeris in locis in Verbo describitur per "aurum." "argentum," "aes" et "ferrum;" status ejus spiritualis quoad bonum amoris per "aurum," status ejus spiritualis quoad verum sapientiae per "argentum," status ejus naturalis quoad bonum charitatis [per "aes"], et status ejus naturalis quoad verum fidei per "ferrum" (quod confirmatum ex Verbo videatur in *Apocalypsi Revelata*, n. 913; et alibi). Quapropter sapientes in primis aevis qui noverunt significationes metallorum, etiam illi aequipararunt saecula a primo ad ultimum successura quatuor illis metallis, et vocaverunt primum saeculum "aureum," secundum saeculum "argenteum," tertium saeculum "cupreum," et quartum saeculum "ferreum," et sic descripserunt illa secundum bona et vera; et quia genuina bona et vera non aliunde sunt quam ex Deo caeli, descripserunt illa secundum status Ecclesiae apud illos; nam ex his et secundum hos omnes status civiles regnorum quoad justitiam et judicium existunt, vigent et vivunt. Quod Dominus Salvator Jesus Christus in Verbo utriusque Testamenti dicatur "Lapis" et "Petra," constat ex nunc sequentibus; quod dicatur "Lapis," ex his:

"Sic dixit Adonai Jehovih, Ecce Ego fundaturus sum in Zione Lapidem probationis, Angulum pretii fundationis fundatae; qui crediderit non festinabit[1] Tunc ponam judicium in regulam, ac justitiam in perpendiculum" (*Esai*. xxviii. 16, 17);

"Visitabit Jehovah [Zebaoth] gregem suum; . . . . ex Illo Lapis angularis" (*Sach*. x. 3, 4);

"Lapis quem reprobaverunt architecti factus est in caput anguli" (*Psalm*. cxviii. 22);

"Nonne legistis in Scriptura quod Lapis quem reprobaverunt aedificantes factus sit in caput anguli?" (*Matth*. xxi. 42[2]; *Marc*. xii. 10, 11; *Luc*. xx. 17, 18; *Esai*. viii. 14, 15[3];)

Accessistis ad Dominum, "Lapidem vivum, ab hominibus quidem rejectum, a Deo vero electum, [pretiosum;] etiam vos ipsi tanquam lapides viventes aedificamini in domum spiritualem; . . . . propterea dicitur in Scriptura, Pono in Zione Lapidem angularem electum pretiosum, et qui credit in Illum non pudefiet" (1 *Petr*. ii. 4–6);

"Estis aedificati super fundamento Apostolorum et Prophetarum, cujus est angularis Lapis Jesus Christus, per quem totum aedificium coagmentatum probe crescit in templum sanctum in Domino, per quem vos una aedificamini in habitaculum Dei in spiritu" (*Eph*. ii. 20–22);

Jesus Christus "est Lapis reprobatus ab aedificantibus, qui factus est in caput anguli, et non est in alio ullo[4] salus" (*Act*. iv. 11, 12).

Quod Dominus dicatur "Petra," constat ex his in Verbo:

"Cum[1] pinguis factus est Jeshurun, recalcitravit; .... et deseruit Deum qui fecit eum, et vilipendit Petram salutis suae[2]" (*Deutr.* xxxii[3] 15, 18, 30);
"Dixit Deus Israelis, mihi locuta est Petra Israelis" (2 *Sam.* xxiii. 3);
"Sint in beneplacitum[4] sermones oris mei, ... Jehovah[5] Petra mea et Redemptor meus" (*Psalm.* xix. 15 [*Biblia Anglica*, 14]);
"Et[6] recordati sunt quod Deus Petra eorum, et Deus excelsus Redemptor eorum" (*Psalm.* lxxviii. 35[7]);
"Bibebant omnes [eundem] spiritualem potum, bibebant enim ex spirituali Petra; Petra erat Christus" (1 *Cor.* x. 4; *Exod.* xvii. 6).

Ex his nunc manifeste patet quod per "lapidem," qui percussit statuam, et factus in petram magnam implevit totam terram, et cujus regnum stabit in saecula saeculorum, intelligatur Dominus noster Jesus Christus.

3. Eaedem quatuor Ecclesiae in hac tellure descriptae sunt per quatuor "bestias" ex mari assurgentes, apud *Danielem*, de quibus haec ibi:

Prima visa est "sicut leo, sed alae aquilae illi: videns fui, donec evulsae sunt alae ejus; et sublata est e terra, et super pedes, sicut homo erecta, et cor hominis datum ei. Deinde ecce bestia alia secunda, similis urso, et ad latus unum erexit se; erant tres costae in ore ejus inter dentes; insuper sic dicentes ei, Surge, comede carnem multam. Post haec videns fui, et ecce alia, sicut pardus, cui alae quatuor, quales avibus, super tergo illius; et quatuor capita bestiae; dominiumque datum est illi. Post hoc videns fui in visionibus noctis, et ecce bestia quarta, terribilis et formidabilis, et robusta valde, cui dentes ferri magni, comedit et contrivit, reliquumque pedibus suis conculcavit: erat autem diversa ab omnibus bestiis quae ante illam, et decem cornua illi. .... Videns fui usque dum throni projecti sunt, et Antiquus Dierum sedit; .... et judicium consedit, et libri aperti sunt. .... Et ecce, cum nubibus caelorum sicut Filius Hominis veniens fuit; .... et Huic datum est dominium, et gloria, et regnum, ut[8] omnes populi, gentes et linguae Ipsum colerent; dominium Ipsius dominium saeculi quod non transibit, et regnum Ipsius quod non peribit" (cap. vii. 3–7, 9, [10,] 13, 14, seq.).

Quod per has "bestias" similiter quatuor illae Ecclesiae intellectae et descriptae sint, patet a singulis ibi, quae in sequentibus in suo ordine evolventur; praeprimis ab ultimis ibi, quod post quatuor illas bestias venturus sit Filius Hominis, cui dabitur dominium et regnum quod non transibit et peribit; qui quod etiam intellectus sit per "Lapidem" factum in "Petram magnam quae implebit totam terram," videatur supra (n. 2 fin.). Quod status Ecclesiae similiter per *bestias* quemadmodum per *metalla* in Verbo describantur, constat ex innumeris locis, quorum aliqua

duntaxat hic adducam, quae sunt:

> "Pluviam benevolentiarum stillare facis[1]....haereditatem laborantem tuam confirmabis; bestia" coetus tuus "habitabunt in illa" (*Psalm.* lxviii. 10, 11 [*B. A.* 9, 10]);
> "Mihi omnis fera sylvae, bestiae[2] in montibus millium; novi omnem avem montium, bestiae agrorum meorum Mecum" (*Psalm.* l. 10, 11);
> "Aschur cedrus in Libano; .... alta facta est altitudo ejus; .... in ramis ejus nidificarunt omnes aves caelorum, et sub ramis ejus pepererunt omnes bestiae agri, et in umbra ejus habitarunt omnes gentes magnae" (*Ezech.* xxxi. 3, 5, 6, 13[3]; *Dan.* iv. 7–13);
> "Feriam illis foedus in die illo cum bestia agri, et cum ave caelorum, ... et desponsabo te Mihi[4] in aeternum" (*Hosch.* ii. 18, 19[5]);
> "Gaude et laetare: .... ne timete, bestiae agrorum meorum, quia herbosa facta sunt habitacula deserti" (*Joel* ii. 21, 22[6]);
> "Tu, fili hominis, dic avi omnis alae[7] et omni bestiae agri, Congregamini .... ad sacrificium meum .... super montibus Israelis. .... Sic dabo gloriam meam inter gentes" (*Ezech.* xxxix. 17–21);
> "Hostis opprobrio afficit Jehovam. Ne des bestiae animam turturis" (*Psalm.* lxxiv. 18, 19);
> "Dominus Jehovih[8] congregat expulsos Israelis. Omnis bestia agrorum meorum, venite" (*Esai.* lvi. 8, 9);
> "Spiritus Jesum impellens fecit exire in desertum, ... et erat cum bestiis, et angeli ministrabant Ipsi" (*Marc.* i. 12, 13);

non erat cum bestiis, sed cum diabolis, cum quibus pugnavit et quos subjugavit. (Praeter mille aliis in locis, quae quoad partem allata sunt in *Apocalypsi Revelata*, n. 567.) Praeterea notum est quod Ipse Dominus in Verbo dicatur "Agnus," et quoque "Leo;" tum quod Spiritus Sanctus repraesentatus sit sicut "Columba;" quod etiam cherubi, per quos Verbum in literali sensu significatur, apparuerint sicut "quatuor bestiae," apud *Ezechielem* et in *Apocalypsi:* quodque homo Ecclesiae, qui agnoscit Dominum ut suum Deum et Pastorem, dicatur "ovis;" et, vice versa, qui non agnoscit, dicatur "hircus," et quoque "draco;" et quod hujus coetus, similiter ut apud *Danielem*, describatur per

> Bestiam ex mari, similem pardo, cujus pedes quasi ursi, et os quasi leonis (*Apoc.* xiii. 1, 2).

Haec trahunt originem ex mundo spirituali, ubi omnes affectiones et inde cogitationes angelorum et spirituum ad distantiam ab illis sistuntur ut bestiae; quae quoque apparent in simili forma, prorsus in qua bestiae in mundo naturali; affectiones amoris boni ut bestiae mites et usus boni, at affectiones amoris mali ut bestiae immites et usus mali: inde est quod toties nominentur "bestiae" in Verbo,

et per illas in sensu spirituali significentur affectiones, inclinationes, perceptiones et cogitationes. Ex his patet quid intelligitur per "creaturas" in sequentibus his locis:

> Jesus praecepit discipulis ut irent in universum mundum et praedicarent Evangelium "omni creaturae" (*Marc.* xvi. 15);
> "Si quis in Christo est nova creatura, vetera transierunt, et facta sunt omnia nova" (2 *Cor.* v. 17);
> "Haec dicit[1] Amen, Testis fidelis et verus, Principium Creaturae Dei" (*Apoc.* iii. 14).

Per "creaturas" ibi intelliguntur illi qui possunt e novo creari, hoc est, regenerari, et sic fieri ab Ecclesia Domini.

4. Quod quatuor Ecclesiae in hac tellure fuerint, una ante diluvium quae vocanda est Adamica, altera post diluvium quae vocanda est Noachica, et tertia post hanc quae fuit Israelitica, et quarta quae hodie est et vocatur Christiana, demonstrabitur in sequentibus in sua expositione de unaquavis singulatim.

5. (*ii.*) ***Quod cujusvis[2] Ecclesiae quatuor status successivi seu periodi fuerint, quae in Verbo intelliguntur per "Mane," "Diem," "Vesperam," et "Noctem."***—Quod quatuor status successivi seu periodi cujusvis Ecclesiae ex quatuor illis supranominatis fuerint, in sequentibus, in quibus de singulis in suo ordine transigetur, illustrabitur. Describuntur per illas temporis vicissitudines, quia omnis homo qui nascitur in Ecclesia, aut in quo exoritur Ecclesia, primum venit in lucem ejus qualis illa est in diluculo et mane; postea progreditur in diem ejus, et qui amat vera ejus, usque ad meridiem; si tunc in via subsistit, et non intrat in calorem veris et aestatis, vesperascit ejus dies, et tandem sicut lux in tempore noctis obtenebrescit, et fit tunc ejus intelligentia in spiritualibus Ecclesiae lux frigida, sicut lux dierum tempore hiemis, quando quidem videt arbores stantes juxta domum ejus, aut in hortis ejus, sed denudatas foliis et orbatas fructibus, ita sicut nudos stipites: homo enim Ecclesiae progreditur a mane in diem, propter causam ut per rationis lucem reformetur et regeneretur, quod unice fit per vitam secundum praecepta Domini in Verbo; si hoc non fit, lux ejus fiunt tenebrae, et tenebrae caligo; hoc est, vera lucis apud illum vertuntur in falsa, et falsa in mala inconspicua. Aliter homo qui se patitur regenerari; illum non supervenit nox, ambulat enim in Deo, et inde jugiter

in die, in quem etiam post mortem, dum associatur angelis in caelo, ad plenum intrat. Hoc intelligitur per haec de Nova Hierosolyma, quae est nova Ecclesia vere Christiana, in *Apocalypsi:*

> "Urbs illa non opus habebit sole et luna quae luceant in illa, quia gloria Dei illustrabit illam, et lucerna ejus Agnus; et gentes quae salvantur, in luce ejus ambulabunt; . . . . et nox non erit ibi" (cap. xxi. 23–25; *Ezech.* xxxii. 8[1]; *Amos* v. 20[2]; cap. viii. 9).

Quod successivi status Ecclesiae per "mane," "diem," "vesperam," et "noctem" intelligantur in Verbo, constat ex his locis ibi:

> "Vigilate, non enim scitis quando Dominus domus venturus est, vesperi, an in media nocte, an in gallicinio[3] an mane" (*Marc.* xiii. 35; *Matth.* xxv. 13);

agitur ibi de Consummatione Saeculi, et tunc Adventu Domini.

> "Dixit Deus Israelis, mihi locuta est Petra Israelis; . . . . Ille sicut lux mane, ... mane sine nubibus" (2 *Sam.* xxiii. 3, 4[4]);
> "Ego sum Radix et Genus Davidis, Stella illa splendida et matutina" (*Apoc.* xxii. 16);
> "Adjuvabit illam[5] Deus, cum respiciet mane" (*Psalm.* xlvi. 6 [*B. A.* 5]);
> "Ad me clamans e Seir, Custos, quid de nocte? Custos, quid de nocte? Dixit custos, Venit mane, etiamque nox" (*Esai.* xxi. 11, 12);
> "Malum, unum malum, ecce venit[6]; venit finis, ... [venit mane] super te, habitator terrae; venit tempus, propinquus dies, ... ecce dies, ecce venit; exivit mane" (*Ezech.* vii. 5–7, 10);
> "Erit dies, ... qui notus erit Jehovae, non dies nec nox, quia circa tempus vesperae erit lux" (*Sach.* xiv. 7);
> "Circa tempus vesperae, ecce terror; antequam mane non est" (*Esai.* xvii. 14);
> "In vespera pernoctabit fletus, sed mane cantus" (*Psalm.* xxx. 6 [*B. A.* 5]);
> "Usque ad vesperam et mane bis mille trecenta; tunc justificabitur sanctum. . . . . Visio vesperae et mane veritas est" (*Dan.* viii. 14, 26);
> "Jehovah . . . . in mane judicium suum dabit in lucem, non deerit" (*Zeph.* iii. 5);
> "Sic dixit Jehovah, Si irritum reddideritis foedus meum diei, et foedus meum noctis, ut non sit dies et nox in tempore suo, etiam foedus meum irritum fiet cum Davide servo meo" (*Jerem.* xxxiii. 20, 21, 25[7]);
> Jesus dixit, "Me oportet operari opera" Dei, "quousque dies est; venit[8] nox, quando nemo poterit operari" (*Joh.* ix. 4);
> "Hac nocte erunt duo super lecto uno; unus acceptabitur, alter vero deseretur" (*Luc.* xvii. 34);

agitur ibi de Consummatione Saeculi et de Adventu Domini. Ex his constare potest quid intelligitur per

> "Non tempus amplius" (*Apoc.* x. 6),

quod in Ecclesia non mane, dies et vespera, sed nox: tum quid per

"Tempus, tempora, et dimidium temporis" (*Apoc.* xii. 14; *Dan.* xii. 7[1]);

ut et quid per

"Plenitudinem temporis" (*Eph.* i. 10[2]; *Gal.* iv. 4).

6. (*iii.*) ***Quod in quavis Ecclesia consecutae sint quatuor status mutationes: quarum prima fuit Apparitio Domini Jehovih ac Redemptio, et tunc ejus Mane seu Ortus; secunda fuit ejus Instructio, et tunc ejus Dies seu Progressio; tertia fuit ejus Declinatio, et tunc ejus Vespera seu Vastatio; quarta fuit ejus Finis, et tunc ejus Nox seu Consummatio.***—Quod cujusvis Ecclesiae quatuor status successivi fuerint, qui in Verbo intelliguntur per "mane," "diem," "vesperam" et "noctem," in mox praecedente articulo ostensum est. Quod unaquaevis Ecclesia ex quatuor supranominatis illos status subiverit, in sequentibus, ubi de singulis in suo ordine transigetur, plene confirmabitur; et tunc quod apparitio Domini Jehovih et redemptio fuerit ejus mane, quod instructio fuerit ejus dies seu progressio in lucem, quodque declinatio fuerit ejus vespera seu vastatio, et quod ejus finis fuerit ejus nox seu consummatio. In Verbo, tam in ejus historicis quam in ejus propheticis, de quatuor illis status mutationibus ubivis agitur.

7. Ordo in quem omnis homo a Deo creatus est, est ut post infantiam fiat homo; nam dum nascitur, est modo externa imago seu forma hominis, et tunc minus homo quam bestia recens nata est bestia: at quantum intus in hac forma quoad suam mentem seu suum spiritum perficitur sapientia et amore, tantum fit homo. Homo est sicut arbor, quae primum ex semine excrescit in surculum, et dum enititur in altum emittit ramos et ex his frondes, ac investit se jugiter foliis; et dum maturescit, quod fit in media ejus aetate, excludit flores, et producit fructus, et in unoquovis ponit semina, quae in terram ut in uterum immissa excrescunt in similes arbores et sic in hortum. Et, si credere vultis, idem ille hortus post mortem apud hominem permanet, habitat in illo, ac deliciatur quotidie ex aspectu ejus et ex usu fructuum ejus; ille homo est qui describitur apud Davidem his verbis:

"Erit sicut arbor plantata juxta rivos aquarum, quae fructum suum dabit in tempore suo, foliumque ejus non decidet" (*Psalm.* i. 3; et quoque *Apoc.* xxii. 1, 2).

Aliter vero homo natus in Ecclesia, qui, dum transivit mane suum et progressus est in primam lucem diei per quam rationalis factus est, tunc[1] subsistit, et non fructum facit; ille est aut potest esse sicut arbor luxurians foliis, sed non ferens fructus, quae ab horto exstirpatur, et ejus rami amputantur, et truncus securi aut serra discinditur, et tunc tota partitim conjicitur in ignem. Hujus rationalis lux fit sicut lux dierum brumae, in qua[2] folia arborum primum flavescunt, ac postea decidunt, et demum putrescunt. Hujus rationale etiam comparari potest cum arbore cujus folia primo vere consumuntur a vermibus; et quoque cum messe quae suffocatur a spinis; tum etiam cum herba quae devastatur a locustis. Causa est quia rationale ejus est mere naturale, quod ideas suas unice per sensus e mundo trahit, et non per affectiones et inde perceptiones e caelo; et quia sic in rationali ejus non intus est aliquod spirituale, si tunc loquitur de aliquo spirituali Ecclesiae, auditur vox ejus ab angelis non aliter quam vox psittaci et anseris; est enim vox ejus mere animalis quia mere naturalis, et non humana quia non intus spiritualis; profluit enim a sola respiratione corporis, et non ex ulla respiratione spiritus. Talis est homo qui a naturali non fit spiritualis; et nemo fit spiritualis nisi, postquam rationalis factus est, faciat fructus, hoc est imbuat charitatem per vitam.

8. Quod in Verbo de Ecclesia praedicantur quatuor status mutationes, quae[3] vocantur "mane," "dies," "vespera," et "nox," est quia Ecclesia consistit ex hominibus, et homo est Ecclesia in particulari, ac coetus ex his hominibus est qui vocatur Ecclesia; in hoc coetu seu Ecclesia sunt illi qui vivunt secundum ordinem supra (n. 7) descriptum arbores vitae, quae etiam sunt arbores usus boni; et illi qui non vivunt secundum illum ordinem sunt arbores scientiae boni et mali, quae etiam sunt arbores usus mali. Hi sunt de quibus praedicantur "vespera" et "nox," seu, quod idem, vastatio et consummatio; non autem de illis. Sed haec in evidentiam rationi sistentur in sequentibus; juvat quod in primordio hujus voluminis adscititii tradantur,

quoniam cognitiones praecedent, antequam aliquis potest scire quod per "mane" intelligatur Ecclesiae ortus, et quod hunc praecedat redemptio; quod per "diem," novae Ecclesiae progressio in lucem, et ejus intelligentia; quodque per "vesperam," illius Ecclesiae declinatio a bono et vero, quae vocatur vastatio; et quod per "noctem," ejus finis ac interitus, qui[1] vocatur consummatio: et sic porro.

9. Finis Ecclesiae, seu consummatio saeculi, est quando non aliquod genuinum verum et inde non aliquod genuinum bonum, aut dum non aliquod bonum et inde non verum, superest; sed loco illorum falsum et inde malum, aut malum et inde falsum, regnat; et tunc est "plenitudo [temporis]" in Ecclesia, [in qua sunt] sicut ambulantes in nocte, qui quia non vident quicquam quod in luce solis apparet, ambigunt de omnibus quae Ecclesiae sunt, et in communi de Deo, de Caelo et Inferno, deque Vita post mortem; et illi qui se confirmant in negatione illorum, et illi qui haerent ancipites in dubitatione et affirmatione, fiunt lucifugi; et si flamines sunt, comparant de illis sibi lucem fatuam, qualis est noctuis, felibus et muribus in diurnae lucis tenebris; haec lux apud illos, sicut apud has feras, per activitates concupiscentiarum excitatur.

10. (*iv.*) ***Quod post hujus Consummationem seu Finem, Dominus Jehovih appareat, et faciat Judicium super homines prioris Ecclesiae, ac separet bonos a malis, et bonos ad Se elevet in Caelum, et malos a Se removeat in Infernum.***—Quod circa finem cujusvis Ecclesiae Dominus Jehovih appareat, ad faciendum judicium super illos qui ab instauratione ejus ad consummationem ejus vixerunt, confirmabitur in sequentibus, ubi singulatim de unaquavis peragetur. Unusquisque homo quidem post mortem judicatur; sed in fine ejus colliguntur omnes, et super illos commune judicium fit; et hanc propter causam, ut in caelestem ordinem conjungantur, quod [fit] per ordinationem fidelium in novum caelum, ac infidelium sub illo in novum infernum, de qua ordinatione in sequente articulo transigetur.

11. Judicium, quod est cujusvis Ecclesiae ultimum, non fit in mundo naturali, sed in mundo spirituali, in quem omnes post mortem colliguntur; et colliguntur in caelos distincte secundum religionem, ita secundum fidem et

amorem. Quod judicium fiat in mundo spirituali, est causa, quia quisque homo post mortem est homo; non homo materialis, ut prius, sed homo substantialis. Cujusvis hominis mens seu spiritus est talis homo; corpus quod gestavit in mundo est modo indumentum, et quasi exuviae, quas deposuit, et e quibus spiritus ejus se evolvit. Nunc quia mens seu spiritus hominis in corpore materiali cogitavit, et tunc vel ex religione vel non ex religione, proque Deo vel contra Deum, ex veris fidei vel ex falsis fidei, amavit proximum vel odio illum habuit, et corpus materiale fuit modo obedientia, sequitur quod mens, quae est homo substantialis et vocatur spiritus, judicium subeat, ac secundum cogitata et acta vitae suae remuneretur aut puniatur. Ex his evidenter potest perspici quod judicium, quod est cujusvis Ecclesiae ultimum, fiat in mundo spirituali, non autem in mundo naturali.

12. Judicium quod fit super omnes ab Ecclesia transacta, fit propter finem ut tam communiter quam singulariter separentur boni a malis, ac ut boni eleventur in caelum, et mali dejiciantur in infernum; quod nisi fiat quando Ecclesia consummata est, hoc est, quando non amplius in veris et bonis est, non potest aliquis ibi salvari. Quod non possit salvari est quia non potest regenerari, et quisque regeneratur per vera fidei et bona amoris. Huic causae accedit haec, quod a tempore vastationis Ecclesiae usque ad ejus consummationem succrescat infernum in tantum ut subtegat totum caelum angelicum, per quod a Domino vera et bona regenerantia ad homines telluris descendunt; quo obtecto, non aliquod verum cogitationis ex fide, neque bonum voluntatis ex charitate, nisi quam per rimas penetrare potest; immo, quod penetrat, vel in via antequam hominem pertingit,[1] vel ab ipso homine dum in illo est, pervertitur; hoc est, verum vel rejicitur vel falsificatur, ac bonum vel sufflaminatur vel adulteratur: verbo, Ecclesia in fine suo est sicut obsessa a satanis; satanae dicuntur qui delectantur a falsis et jucundantur a malis. Ut itaque totalis damnatio, quae tunc super caput cujusvis est ac imminet, tollatur, necessum est ut infernum, quod se in altum sustulit, ac ut dictum succrevit usque ad caelum, tollatur, non modo deprimatur, sed etiam dispergatur et subjugetur, et tunc boni separentur a malis, hoc est, vivi

a mortuis. Separatio haec, et tunc elevatio bonorum in caelum seu in terram viventium, ac dejectio malorum in infernum seu in terram mortuorum, est quae vocatur Judicium. Quod tale judicium jamdum anno 1757 factum sit super homines hodiernae Ecclesiae Christianae, in singulari opusculo, anno 1758 Londini edito, evulgatum et descriptum est.

13. Quis non videt necessitatem quod mali separandi sint a bonis, ne mali letali contagio inficiantur et pereant? Nam malum, quia a partu insidet naturae humanae, ac plus et plus ingeneratur liberis a parentibus, pergente Ecclesia ad consummationem, est sicut pestifer morbus qui vocatur cancer, qui circumserpit, ac partes integras et vivas graduatim mortificat. Quis agricola et hortulanus,[1] dum videt accrescere sentes, urticas, spinas et carduos, non exstirpat illa, antequam inseminat et inarat[2] frumenta et edulia? Quis colonus, dum videt herbam et gramen consumi a vermibus aut locustis, non fodit fossam et separat campum virentem a depasto, et sic consulit ut sata et vireta conserventur? Quis pastor, dum videt feras multiplicari circum circa pascua ovium suarum, non convocat pastores vicinos et servos, ac[3] cum telis aut bolis feras illas trucidat aut abigit? Quis rex, dum videt urbes sui regni circum metropolin suam, et hostibus captas, et subditorum bona ab illis possessa, non convocat agmina, ac ejicit hostes, ac bona surrepta suis restituit, ac insuper adjicit spolia pretii hostium, et sic consolatur illos?

14. *(v.) **Quod post haec Dominus Jehovih ex bonis ad Se elevatis condat novum Caelum, et quod ex malis a Se remotis novum Infernum; et quod utrique inducat ordinem, ut stent sub suo auspicio et sua obedientia in aeternum.***—Legitur apud *Esajam*,

> Dixit Jehovah, "Ecce Ego creans caelos novos, et terram novam" (cap. lxv. 17);

[et] alibi apud eundem,

> "Quemadmodum caeli novi et terra nova, quae Ego facturus sum, stabunt coram Me" (cap. lxvi. 22);

in *Apocalypsi:*

> "Vidi caelum novum et terram novam; prius caelum et prior terra transiit[4]" (cap. xxi. 1);

et apud *Petrum:*

> "Novos caelos et novam terram juxta promissionem [Ipsius] exspectamus, in quibus justitia habitabit" (2 *Epist.* iii. 13).

Hactenus non aliter in alicujus mentem venit, quam quod per "caelum" ibi intelligatur caelum aspectabile, hoc est, totum firmamentum, cum sole, luna, astris; et quod per "terram" ibi intelligatur terra habitabilis seu tellus; et quod haec die Ultimi Judicii interitura sint: cum tamen per "caelum" ibi intelligitur caelum angelicum, et per "terram" Ecclesia. Quod per "terram" in Verbo Prophetico ubivis intelligatur Ecclesia, in *Apocalypsi Revelata* (n. 285) plene ostensum est. Causa quod per "caelos novos" et "terram novam" hactenus intellexerint caelum aspectabile et terram habitabilem, est quia hactenus non sciverint aliquid de mundo spirituali, ita nec de caelo angelico, nec aliquid de sensu prophetico, qui in sinu suo non nisi quam spiritualia gestat et recondit; ac spirituale "terrae" est Ecclesia. Angeli etiam, quia spirituales sunt, cum despiciunt in terram, ne hilum ejus vident, sed modo Ecclesiam apud homines.

15. Quod Dominus Jehovih, cum condit caelum novum et Ecclesiam novam, indat ordinem ut stent sub suo auspicio et sua obedientia in aeternum, est quia caelum angelicum et Ecclesia in terris faciunt simul unum corpus, cujus Anima et Vita est Dominus Jehovih, qui est Dominus noster Salvator. Universum caelum angelicum una cum Ecclesia etiam coram Domino apparet sicut unus homo; et homo stat sub auspicio et obedientia suae animae; ita totum caelum una cum Ecclesia sub auspicio et obedientia Domini, est enim

> Dominus in illis et illi in Domino (*Joh.* xiv. 20; cap. xv. 4, 5; cap. xvii. 23, 26),

ita omnis[1] in omnibus ibi. Ordo autem quem Dominus inducit inferno, est ut cuncti ibi e diametro oppositi sint cunctis in caelo: unde patet quod quia Dominus regit caelum etiam regat infernum, et quod hoc per illud.

16. Praeterea est perfectissima ordinatio omnium in caelis et omnium in infernis. Quodlibet enim caelum quod a Domino post consummationem cujusvis Ecclesiae

conditur, fit triplicatum; fit supremum, medium, et infimum. In supremum elevantur illi qui in amore in Dominum et inde sapientia sunt; in medium illi qui in spirituali amore erga proximum et inde intelligentia sunt; in infimum illi qui in spirituali naturali amore erga proximum sunt, qui vocatur charitas, et inde in fide veritatum de Deo, et in vita secundum praecepta Decalogi. Tres hi caeli faciunt tria expansa, unum supra alterum, et communicant inter se per Divinum influxum a Domino e Sole mundi spiritualis. In fundo sub illis sunt etiam tria expansa, in quae inferna sunt distincta, inter quae similiter datur communicatio per influxum per caelos a Domino. Per has communicationes fit conjunctio arcta et indissolubilis omnium in caelis et omnium in infernis; sed in his est conjunctio omnium cupiditatum amoris mali, in caelis autem est conjunctio omnium affectionum amoris boni; caelum ex illa conjunctione est sicut unus Dominus sedens super throno circumcincto torquibus ex omni lapide pretioso, infernum autem est sicut unus Diabolus sedens super solio ex echidnis, presteribus et vermibus virulentis contorto. Ex hac ordinatione utrique inducta consequitur[1] quod utrumque stet sub auspicio et obedientia Domini in aeternum.

17. Notum est quod, ut aliquid perfectum sit, erit *trinum* in justo ordine, unum sub altero, et communicatio intercedens, et quod hoc trinum faciat unum; non aliter a columna, super qua est coronamentum, sub hoc teres subtensio, et sub hac stylobata. Tale trinum est homo; supremum ejus est caput, medium ejus est corpus, et infimum ejus sunt pedes et plantae. Omne regnum in hoc aemulatur hominem; ibi erit rex ut caput, praeterea tribuni et officiarii ut corpus, ac rustici cum servis ut pedes et plantae: similiter in Ecclesia, primus[2] infulatus, antistites parochi, et flamines sub illis. Ipse mundus nec subsistit nisi tria consequentia in ordine sint, quae sunt mane, meridies et vespera; ut et quotannis ver, aestas et autumnus,—ver ut fiat seminatio, aestas ut germinatio, ac autumnus ut fructificatio; nox autem et hiems non conferunt ad stabilimentum mundi. Nunc quia omne perfectum erit trinum, ut sit unum [et] contineatur cohaerens, ideo uterque mundus, tam spiritualis quam naturalis, ex tribus atmosphaeris seu elementis consistit et subsistit, quarum

prima proxime ambit solem et vocatur aura, altera sub hac et vocatur aether, ac tertia sub illis et vocatur aer; tres hae atmosphaerae in mundo naturali sunt naturales, in se passivae, quia ex sole qui est purus ignis procedunt; at tres illis correspondentes in mundo spirituali sunt spirituales, in se activae, quia ex Sole qui est purus amor procedunt. Angeli caelorum in regionibus trium harum atmosphaerarum habitant; angeli supremi caeli in aura caelesti quae proxime ambit Solem ubi Dominus, angeli medii caeli in aethere spirituali sub illis, et angeli infimi caeli in aere spirituali naturali sub duobus illis; ita constabiliti sunt omnes caeli, a primo ad ultimum hoc quod hodie a Domino conditur. Ex his animadverti potest unde est quod per "tria" in Verbo significetur[1] completum (videatur *Apocalypsis Revelata*, n. 507, 875).

18. (*vi.*) ***Quod Dominus Jehovih ex novo hoc Caelo novam Ecclesiam in terris derivet et producat, quod fit per Revelationem Veritatum ex suo ore aut ex suo Verbo, et Inspirationem.***—Legitur quod Johannes viderit

> "Urbem sanctam, Hierosolymam Novam, descendentem a Deo e caelo, paratam sicut Sponsam ornatam Marito" (*Apoc.* xxi. 2).

Per "urbem sanctam, Hierosolymam Novam," intelligitur doctrina Novae Ecclesiae, ita Ecclesia quoad doctrinam; et per quod Hierosolyma "a Deo e caelo" novo descenderit, intelligitur quod vera doctrina Ecclesiae non aliunde: quod doctrina descenderit, est quia Ecclesia est Ecclesia ex doctrina et secundum illam; absque hac, Ecclesia non plus est Ecclesia quam homo est homo absque membris, visceribus, et organis, ita ex solo velamine cutaneo quod modo externam speciem ejus figurat; nec plus quam domus est domus absque thalamis, cenaculis, et apparatibus usus intus, ita ex solo pariete et lacunato tecto. Simile est cum Ecclesia absque doctrina. Quod "Hierosolyma" significet Ecclesiam quoad doctrinam, ex Verbo evictum videatur in ipso opere *Vera Christiana Religio* (n. 782). Ex his liquet quod Ecclesia in terris derivetur et producatur per caelum angelicum a Domino.

19. Referam paradoxa, quae tamen non paradoxa sunt in caelo, quae sunt haec: (1.) Quod mundus naturalis non

existere potuerit nisi ex mundo spirituali, consequenter nec subsistere, quoniam subsistentia est perpetua existentia. (2.) Quod non dabilis sit Ecclesia apud hominem nisi ejus internum sit spirituale et externum naturale. Ecclesia pure spiritualis non datur, nec Ecclesia mere naturalis. (3.) Consequenter quod non aliqua Ecclesia, neque aliquid Ecclesiae apud hominem, exsuscitari possit nisi sit caelum angelicum, per quod a Domino omne spirituale derivatur et descendit. (4.) Cum ergo spirituale et naturale sic unum faciunt, sequitur quod unum absque altero non existere et subsistere possit, non caelum angelicum absque Ecclesia apud hominem, neve Ecclesia apud hunc absque caelo angelico; spirituale enim nisi influat et desinat in naturale et in hoc quiescat, est sicut prius absque posteriori;[1] ita sicut causa efficiens absque effectu, ac sicut activum absque passivo, quod foret sicut avis perpetuo volans in aere absque aliqua sede in terra; et est sicut mens hominis perpetuo cogitans et volens absque aliquo organo sensorio et motorio in corpore, ad quod[2] descendat et producat suae cogitationis ideas, et operetur suae voluntatis conatus. (5). Haec [sunt] allata propter finem ut percipiatur aut sciatur quod sicut mundus naturalis non dabilis est absque mundo spirituali, ac reciproce mundus spiritualis absque mundo naturali, ita non Ecclesia in terris nisi[3] sit caelum angelicum per quod existat et subsistat, ac reciproce non caelum angelicum nisi sit Ecclesia in terris. (6.) Angeli hoc sciunt; quare acerbe lamentantur quando Ecclesia in terris per falsa desolatur et per mala consummatur, ac tunc statum vitae suae aequiparant somnolentiae; est enim tunc caelum illis sicut solium subtractum, et sicut corpus ablatis pedibus; at dum Ecclesia in terris a Domino restaurata est, aequiparant statum vitae suae vigiliae.

20. Quod Dominus per novum caelum derivet et producat novam Ecclesiam in terris per revelationem veritatum ex suo ore aut ex suo Verbo, et inspirationem, in transactione de quatuor Ecclesiis in suo ordine, cumprimis de Ecclesia Israelitica et de hodierna Christiana, demonstrabitur. Sciendum est quod quando infernum succrevit, et transgressum est interstitium magnum seu hiatum firmatum[4] inter se et caelum (*Luc.* xvi. 26), et extulit tergum suum usque in confinia caelorum ubi sunt

angeli, quod factum est intervallis vastationis et consummationis Ecclesiae, non potuerit aliqua doctrina Ecclesiae a Domino per caelum ad homines telluris deferri. Causa est quia homo tunc in medio satanarum est, et satanae cum suis falsis circumvelant caput ejus, ac inspirant jucunda mali, et inde amoena falsi, per quae obtenebratur omnis lux e caelo, ac intercipitur omne volupe et amoenum veri; quamdiu hic status perstat, non potest aliqua doctrina veri et boni e caelo infundi homini, quia falsificatur. At postquam hoc velamen complicatum ex falsis, seu operimentum capitis a satanis, a Domino sublatum est, quod factum est per Ultimum Judicium (de quo supra in articulo iv.), tunc fertur homo spiritu plus libero et spontaneo ad discutiendum falsa et ad recipiendum vera. Apud illos qui se accommodant, et se a Domino patiuntur duci, postea derivatur et introducitur doctrina novi caeli, quae est doctrina veri et boni, sicut ros diluculi e caelo in terram cadens, qui graminum folliculos aperit, ac succum vegetabilem eorum edulcorat; et est sicut man quod in matutinis decidit, et erat visu

> "Sicut semen coriandri album, et gustu sicut placenta melle subacta" (*Exod.* xvi. 31);

et est sicut pluvia tempestiva quae novalia agri refocillat et germinare facit; estque sicut fragrantia exhalans ex agris, hortis, et campis floriferis, quam pectus attrahit spiritu prompto et laeto. At usque Dominus neminem cogit ac invitum adigit, sicut quis jumentum flagris; sed volentem attrahit, et postea ducit, jugiter in omni apparentia sicut volens homo bonum ageret et verum[1] crederet a se, cum tamen ex Domino, qui omne genuinum bonum vitae et omne genuinum verum fidei in illo operatur.

21. (*vii.*) ***Quod Divinum hoc opus simul dicatur Redemptio, sine qua non aliquis homo potest salvari, quia non regenerari.***— Quod redemptio facta a Domino, cum fuit in mundo, fuerit subjugatio infernorum, ordinatio caelorum, et per illa praeparatio ad novam Ecclesiam spiritualem, videatur in opere *Vera Christiana Religio* (n. 115–117, et porro a n. 118 ad 133). Sed quia hoc novum est, et per saecula sicut navis naufraga cum pretiosis suis in fundo

maris latuit, et tamen redemptionis doctrina est tanquam gazophylacium omnium opum spiritualium seu dogmatum Novae Ecclesiae, idcirco in lemmate ultimo hujus voluminis de *Mysterio Redemptionis* transigetur, in quo sequentia haec evolventur et mittentur in lucem:—

(*i.*) ***Quod liberatio ab hostibus sit quae in Verbo vocatur Redemptio.***

(*ii.*) ***Consequenter quod liberatio a malis et falsis; quae, quia ex inferno sunt, spirituales hostes sunt, occidunt enim animas sicut naturales hostes corpora.***

(*iii.*) ***Inde fit evidens quod primum Redemptionis a Domino peractae fuerit separatio malorum a bonis, ac horum elevatio ad Se in caelum, et illorum remotio a Se in infernum, nam sic liberati sunt boni a malis. Hoc primum Redemptionis est Ultimum Judicium*** (de quo actum est supra, n. 10–13).

(*iv.*) ***Quod secundum Redemptionis fuerit coordinatio omnium in caelis,***[1] ***et subordinatio omnium in inferno, per quas adhuc distinctius separati et liberati sunt boni a malis; et hoc est Novum Caelum et Novum Infernum*** (de quo actum est supra, n. 14–17).

(*v.*) ***Quod tertium Redemptionis fuerit revelatio veritatum e Novo Caelo, et***[2] ***inde exsuscitatio ac instauratio Novae Ecclesiae in terris, per quas boni a malis ulterius separati et liberati sunt, et in posterum separantur et liberantur.*** (De hoc tertio etiam actum est supra, n. 18–20.[3])

(*vi.*) ***Quod causa finalis Redemptionis fuerit possibilitas ut Dominus ex Divina sua omnipotentia posset regenerare hominem, et sic salvare; nam nisi homo regeneretur non potest salvari*** (*Joh.* iii. 3).

(*vii.*) ***Quod regeneratio hominis, quia est separatio et liberatio a malis et falsis, sit Redemptio particularis a Domino, existens ex Redemptione communi Ipsius.***

(*viii.*) ***Quod apud illos qui regenerantur, primum separentur mala a bonis, et hoc est simile Judicii; quod postea bona colligantur in unum ac disponantur in formam caelestem, et hoc est simile Novi Caeli; et quod demum per hoc implantetur et producatur Nova Ecclesia, cujus internum est caelum; et externum ex interno, ita utrumque simul apud hominem, est quod vocatur Ecclesia.***

(*ix.*) ***Quod omnes redempti sunt, quatenus omnes qui prioris Ecclesiae falsa rejiciunt, et Novae Ecclesiae vera recipiunt, regenerari possunt; sed quod usque regenerati proprie sint redempti.***

(*x.*) ***Quod meta Redemptionis et palma redemptorum sit spiritualis pax.***

(*xi.*) ***Quod Redemptio hodie etiam a Domino facta sit, quia hodie est secundus Ipsius Adventus juxta praedictionem, ex qua, quia ejus ocularis testis fui, de veritate praecedentium arcanorum certus factus sum.***

Sed haec sunt modo summaria, quae in fine hujus voluminis, ubi de *Mysterio Redemptionis* agendum est, singulatim evolventur, ac in utramque lucem tam[1] spiritualem quam naturalem mittentur.

22. Insuper in suo articulo in sequentibus evincetur quod Passio Crucis Domini non fuerit Redemptio, sed medium intimae Unionis cum Divino Patris, ex quo exivit et in quod rediit. In opere *Vera Christiana Religio*, cujus Appendix est hoc volumen, n. 132, 133, exorsus sum demonstrare quod Passio Crucis credatur fuisse ipsa Redemptio sit fundamentalis error Ecclesiae hodiernae Christianae; et quod ille error, una cum errore de tribus Personis Divinis ab aeterno, perverterit totam Ecclesiam adeo ut non aliquod residuum spirituale in illa supersit. Hoc ulterius in sequentibus etiam demonstrabitur; et quod duae illae falsitates ac imposturae fuerint comparative sicut papiliones jugales volantes in horto, qui pariunt ova vermicosa, quae exclusa[2] arborum folia ibi penitus consumunt: et quoque quod fuerint sicut coturnices e mari super castra Israelitarum demissae, ex quibus, dum comedebantur, in populo plaga magna facta est; et hoc propterea quia man e caelo, per quod in supremo sensu intelligitur Dominus, fastidiverunt et spreverunt (*Num.* xi. 5, 6, 32–35; et *Joh.* vi. 31, 32, 49–51, 58). Et porro duo illi errores fuerunt sicut duae stillae fuliginis seu atroris sutorii, vino nobili infusae, ac in vitro circumactae, ex quibus omne limpidum, grate halans et sapidum vini, vertuntur in nigrum, olidum, et nauseabundum.

LEMMA SECUNDUM.

DE ECCLESIA ADAMICA, SEU ANTIQUISSIMA HUJUS TELLURIS.

---

23. Mundus hactenus credidit quod per "creationem caeli et terrae" in primo capite *Geneseos* intelligatur creatio universi, secundum literam; et quod per "Adamum," primus homo hujus telluris. Mundus nec potuit aliter credere, quoniam spiritualis et internus sensus Verbi huc usque non detectus fuit; ita nec quod per "creare caelum et terram" intelligatur ex functis vita in mundo colligere et condere caelum angelicum, et per hoc derivare et producere Ecclesiam in terris (ut supra, n. 18–20); et quod per nomina personarum, gentium, regionum et urbium, intelligantur talia quae caeli et simul Ecclesiae sunt; ita consimiliter per "Adamum." Quod per "Adamum," et per omnia quae de illo et ejus posteritate in primis capitibus *Geneseos* praedicantur, describantur status successivi Ecclesiae Antiquissimae, qui sunt ejus ortus seu mane, ejus progressio in lucem seu dies, ejus declinatio seu vespera, ejus finis seu nox, et post hanc ultimum judicium super illos, et post hoc ex[1] fidelibus novum caelum angelicum, et ex infidelibus novum infernum, secundum seriem progressionum in praecedente lemmate explanatam, ad unguem explicata, evoluta et demonstrata sunt in *Arcanis Caelestibus* super *Genesin* et *Exodum*, per octennium elucubratis, ac Londini editis; quae quia exstant in mundo, non plure opus est quam ut exinde recapitulentur universalia quae in hoc volumine de Antiquissima hac Ecclesia proferentur. In limine autem adducentur aliqua loca e Verbo, per quae evincetur quod per "creare" ibi significetur e novo producere, et formare, ac proprie regenerare; quae causa est quod[2] regeneratio vocetur nova

creatio, per quam universum caelum ex angelis et universa Ecclesia ex hominibus existit, consistit et subsistit. Quod "creare" id significet, ex his in Verbo evidenter patet:

"Cor mundum crea in me, Deus; et spiritum firmum innova in medio mei" (*Psalm.* li. 12 [*B. A.* 10]);
"Aperis manum, saturantur bono; .... emittis Spiritum, creantur" (*Psalm.* civ. 28, 30).
"Populus qui creabitur, laudabit Jah" (*Psalm.* cii. 19 [*B. A.* 18]);
"Sic dixit Jehovah, Creator tuus, Jacob; Formator tuus, Israel: .... Omnem vocatum a nomine meo, in gloriam meam creavi eum" (*Esai.* xliii. 1, 7);
"Ut videant, cognoscant, attendant et intelligant, quod manus Jehovae fecerit hoc, et Sanctus Israelis creaverit hoc" (*Esai.* xli. 20[1]);
"In die quo creatus es, praeparata sunt; perfectus tu in viis tuis a[2] die quo creatus es, donec inventa est perversitas in te" (*Ezech.* xxviii. 13, 15);

haec de rege Tyri.

"Jehovah, creans caelos, ... extendens terram, ... dans animam populo super illa" (*Esai.* xlii. 5; cap. xlv. 12, 18);
"Ecce Ego creans caelum novum et terram novam; .... laetamini .... in aeternum, quae Ego creans; ecce Ego creaturus sum Hierosolymam exultationem" (*Esai.* lxv. 17, 18);
"Quemadmodum caeli novi et terra nova, quae Ego facturus sum, stabunt coram Me" (*Esai.* lxvi. 22);
"Vidi caelum novum et terram novam; prius caelum et prior terra transiit" (*Apoc.* xxi. 1);
"Novos caelos et novam terram secundum promissionem exspectamus, in quibus justitia habitabit" (2 *Petr.* iii. 13).

Ex his nunc patefactum quid per haec in primo [et secundo] *Geneseos* versibus[3] spiritualiter intelligitur,

"In principio creavit Deus caelum et terram; et terra erat vasta et inanis;"

quod terra dicatur "vasta et inanis" significat quod [nec] aliquod bonum vitae nec verum doctrinae[4] apud habitatores ejus fuerit amplius. Quod "vastitas et inanitas" significet privationem duorum illorum essentialium Ecclesiae, ex mille locis e Verbo confirmabitur in lemmate iv. hujus voluminis, de Ecclesia Israelitica; in praesenti pro aliqua illustratione inserviant haec apud *Jeremiam*:

"Vidi terram, cum ecce vacuum et inane; et versus caelos, cum non lux eorum. .... Sic dixit Jehovah, Vastitas erit tota terra. Propter hoc lugebit terra, et atrati erunt caeli desuper" (cap. iv. 23, 27, 28).

24. De hac Ecclesia, sicut de reliquis, in hoc ordine agendum est:

(*i.*) ***De Ortu ejus, seu Mane, qui est primus status ejus;***

(*ii.*) ***De Progressione ejus in lucem, seu Die, qui est secundus status ejus;***

(*iii.*) ***De Declinatione ejus, seu Vespera, qui est tertius status ejus et vocatur Vastatio;***

(*iv.*) ***De Fine ejus, seu Nocte, qui est quartus status ejus et vocatur Consummatio;***

(*v.*) ***De Separatione Malorum a Bonis, quae est Ultimum Judicium super omnes qui ab illa Ecclesia fuerunt;***

(*vi.*) ***De Elevatione Bonorum ad Deum, ex quibus fit Novum Caelum, ac de Remotione Malorum a Deo, ex quibus fit Novum Infernum.***

Quod quatuor Ecclesiae hujus telluris, de quibus supra, has status mutationes subiverint, in sequentibus demonstrabitur; et denique quod Ecclesia vere Christiana, quae illis quatuor hodie succedit, non subitura sit consummationem.

---

25. (*i.*) ***Primus status Antiquissimae hujus Ecclesiae, seu Ortus et Mane ejus,*** describitur in primo capite *Geneseos*, per haec:

"Dixit Deus, Faciamus hominem in imagine nostra, secundum similitudinem nostram. .... Et creavit Deus hominem in imagine sua; in imagine Dei creavit eum; masculum et feminam creavit eos" (vers. 26, 27);

tum etiam per haec in secundo capite:

"Formavit Jehovah Deus hominem pulverem de terra, et inspiravit in nares ejus animam vitarum, et factus est homo in animam viventem" (vers. 7).

Quod ortus seu mane ejus describatur per quod factus seu creatus sit "in imagine Dei," est quia omnis homo dum primum nascitur et est infans interius est "imago Dei," est enim ei indita facultas recipiendi et sibi applicandi illa quae a Deo procedunt; et quia exterius etiam formatus est "pulvis e terra," et inde ei inest inclinatio lambere illum pulverem, sicut serpens (*Gen.* iii. 14), ideo si manet externus seu naturalis homo, et non fit simul internus seu spiritualis, disperdit imaginem Dei, et induit imaginem Serpentis qui Adamum seduxit. Vicissim autem homo qui conatur et allaborat fieri "imago Dei," is externum hominem apud

se domat, [et] fit interius in naturali spiritualis, ita spiritualis naturalis; et hoc fit per novam creationem, hoc est, regenerationem a Domino. Hic homo est "imago Dei," quia vult et credit se vivere a Deo, et non a se; vicissim homo est imago Serpentis dum vult et credit se vivere a se et non a Deo. Quid[1] homo nisi "imago Dei" dum vult et credit quod sit in Domino et Dominus in illo (*Joh.* vi. 56; cap. xiv. 20; cap. xv. 4, 5, 7; cap. xvii. 26), et quod nihil possit facere a se ipso (*Joh.* iii. 27; cap. xv. 5)? Quid[2] homo nisi "imago Dei" dum per novam generationem fit "filius Dei" (*Joh.* i. 12, 13)? Quis non scit quod patris imago sit in filio? Quod ortus seu mane hujus Ecclesiae describatur per quod Jehovah Deus "inspiraverit in nares animam vitarum," et quod sic "factus sit in animam viventem," est quia per "vitas" in plurali intelligatur amor et sapientia, quae duo sunt essentialiter Deus: quantum enim homo recipit et sibi applicat duo illa essentialia vitae a Deo jugiter procedentia, et in animas hominum jugiter influentia, tantum fit "anima vivens;" "vitae[3]" enim idem sunt cum amore et sapientia. Ex his patet quod ortus et mane vitae hominum Antiquissimae Ecclesiae, qui simul sumpti repraesentantur per "Adamum," per illa duo oracula vitae describatur.

26. "Similitudo Dei," secundum quam homo factus est, est quod possit vivere, hoc est velle, diligere et intendere, ut et cogitare, reflectere, et eligere, in omni apparentia[4] ut a se; proinde quod possit recipere illa quae amoris et illa quae sapientiae sunt a Deo, et reproducere in similitudine sicut Deus a se; nam dicit Deus,

> "Ecce homo fuit sicut unus e nobis sciendo bonum et malum" (*Gen.* iii. 22);

nam homo absque facultate recipiendi et reproducendi illa quae in illum procedunt a Deo, in omni apparentia ut a se, ille non foret plus "anima vivens" quam ostrea in concha in fundo fluvii, quae se non potest hilum e loco movere; nec foret plus "imago Dei" quam sculptura hominis articulata, mobilis per manubrium et sonora per inflatum; immo ipsa mens hominis, quae eadem est cum spiritu ejus, actualiter foret ventus, aer aut aether, secundum hodiernae Ecclesiae ideam de spiritu; nam absque

facultate recipiendi et reproducendi influentia a Deo prorsus ut a se, non foret ei aliquod suum ac proprium nisi imperceptibile, quod est simile proprio sculptilis inanimati. Sed plura de imagine et similitudine Dei apud hominem videantur in *Memorabili* in opere praecedente cujus haec est Appendix, n. 48.

27. (*ii.*) ***Secundus status Antiquissimae hujus Ecclesiae, seu Progressio ejus in Lucem, et Dies,*** describitur in secundo capite *Geneseos*, per haec:

"Plantavit [Jehovah] Deus hortum in Eden ab oriente, et posuit ibi hominem quem formaverat, ... ad colendum et custodiendum illum. .... Et progerminare fecit Jehovah [Deus, ex humo,] omnem arborem desiderabilem aspectu, et bonam in cibum; et arborem vitae in medio horti, et arborem scientiae boni et mali. Et fluvius exivit ex Eden ad irrigandum hortum, ... qui factus in quatuor capita," in quorum primo erat aurum et lapis schoham. .... "Et praecepit Jehovah Deus homini, dicendo, De omni arbore horti comede, sed de arbore scientiae boni et mali non comede" (vers. 8–17).

Quod progressio hujus Ecclesiae in lucem seu diem describatur per quod Adamus positus sit in hortum Edenis, est quia per "hortum" significatur Ecclesia quoad vera et bona ejus. Quod ex Eden exiverit fluvius factus in quatuor capita, in quorum primo erat aurum et lapis schoham, significat quod in Ecclesia illa esset doctrina boni et veri, "fluvius" enim significat doctrinam, "aurum" ejus bonum, et "lapis schoham" ejus verum. Quod in horto illo positae fuerint duae arbores, una vitae et altera scientiae boni et mali, erat quia "Arbor Vitae" significat Dominum, in quo et ex quo est vita amoris caelestis et sapientiae, quae in se est vita aeterna; ac "arbor scientiae boni et mali" significat hominem, in quo est vita amoris infernalis, et inde insania in rebus Ecclesiae, quae vita in se spectata est mors aeterna. Quod licuerit comedere ex omni arbore horti praeter ex "arbore scientiae boni et mali," significat liberum arbitrium in spiritualibus, omnia enim horti significabant spiritualia[1]; nam absque libero arbitrio in illis, homo nequaquam potest progredi in lucem, hoc est, in vera et bona Ecclesiae, et sibi comparare vitam; si enim hoc non intendit et satagit, comparat sibi mortem. Quod "hortus" significet Ecclesiam quoad vera et bona ejus, est ex correspondentia arboris cum homine; arbor

enim similiter ac homo concipitur ex semine, similiter excluditur ex utero terrae sicut homo ex utero matris, similiter excrescit in altum, et se propagat in ramos sicut in membra, similiter se investit foliis et exornat floribus sicut homo veris naturalibus et spiritualibus, et quoque similiter producit fructus sicut homo bona usus. Inde est quod homo toties in Verbo assimiletur "arbori," et inde Ecclesia "horto," ut in sequentibus his locis:

> Ponet Jehovah "desertum ejus sicut Eden, et solitudinem ejus sicut hortum Jehovae" (*Esai.* li. 3);

de Zione, per quam significatur Ecclesia, in qua Deus secundum Verbum colitur.

> Eris "sicut hortus irriguus, et sicut exitus aquarum, cujus non mentientur aquae" (*Esai.* lviii. 11; *Jerem.* xxxi. 12);

ibi etiam de Ecclesia.

> "Tu plenus sapientia, et perfectus pulchritudine; in Eden, horto Dei, fuisti; omnis lapis pretiosus tegumentum tuum" (*Ezech.* xxviii. 12, 13);

de Tyro, per quam significatur Ecclesia quoad cognitiones veri et boni.

> "Quam bona .... habitacula tua, Israel; sicut valles plantantur, et sicut horti juxta fluvium" (*Num.* xxiv. 5, 6);

per "Israelem" significatur Ecclesia spiritualis, per "Jacobum" autem Ecclesia naturalis in qua spiritualis.

> "Omnis arbor in horto Dei non par fuit illi in pulchritudine [ejus; pulchram feci eam per multitudinem ramorum ejus], ut[1] aemulatae sint[2] illi omnes arbores Edenis in horto Dei" (*Ezech.* xxxi. 8[, 9]);

de Aegypto et Aschure, per quas significatur Ecclesia quoad cognitiones et quoad perceptiones, ubi in bono sensu.

> "Ei qui vicerit dabo ut comedat de arbore vitae, quae in medio paradisi Dei" (*Apoc.* ii. 7).

Ex correspondentia horti cum Ecclesia, provenit quod in caelis ubivis appareant horti ferentes folia, flores et fructus, secundum status Ecclesiae apud angelos; ac relatum mihi est quod in quibusdam hortis ibi conspiciantur arbores vitae in meditulliis, et arbores scientiae boni et mali in terminis, in signum quod in libero arbitrio in spiritualibus sint. Ec-

clesia in Verbo multoties describitur per "hortum," "agrum," et "ovile;" per "hortum" ex arboribus, ut supradictum est; per "agrum" ex proventu ejus, ex quo homo nutritur; per "ovile" ex ovibus, per quas fideles ac utiles intelliguntur.

28. In ipso opere *Vera Christiana Religio* nominato, ostensum est quod in horto Edenis positae [sint] duae arbores, una "vitae," et altera "scientiae boni et mali," significet quod homini liberum arbitrium in spiritualibus datum sit (n. 466–469): quibus adjicientur haec, quod homo absque illo libero arbitrio non foret homo, sed modo typus et simulacrum; foret enim cogitatio ejus absque reflexione, ita absque judicio; et sic in rebus Divinis, quae Ecclesiae sunt, non plus versatilis quam est janua absque cardine,[1] aut cum cardine obice chalybeio praestructa; ac voluntas absque determinatione, ita non plus activa ad justum vel ad injustum quam saxum super tumulo sub quo jacet corpus inanime. Quod vita hominis post mortem, ac immortalitas animae ejus, sit ex dono liberi istius arbitrii, et quod "similitudo Dei" sit illud, in ipso opere, ut et supra, confirmatum est. Immo homo, hoc est, mens ejus, absque illo foret sicut spongia, quae aquam large imbibit, sed non potest illam evacuare; unde utraque obsoleret, aqua in putorem, et spongia in mucum. Proinde Ecclesia apud illum non foret Ecclesia; et sic templum, in quo peragitur cultus Dei, foret sicut lustrum cujusdam ferae sub radice procerae arboris, quae vibrat se super caput ejus, praeter quod ex illa possit sumere quicquam, et applicare sibi ad alium usum quam ut sub illa in tranquillo cubet. Insuper homo absque libero arbitrio in spiritualibus foret plus caecus in omnibus et singulis Ecclesiae quam avis noctis in luce diei; at plus videns quam illa avis est, in tenebris noctis: ad vera enim fidei palpebris occluderet oculos, ac contraheret visum illorum; at vero ad falsa fidei tolleret palpebras, aperiret oculos, et dilataret visum illorum sicut aquila. Liberum arbitrium in spiritualibus inde est, quod homo ambulet et vitam trahat in medio inter caelum et infernum; et quod caelum in illum operetur a superiori, infernum autem ab inferiori; et quod optio conversionis vel ad superiora vel ad inferiora homini data sit, ita vel ad Dominum vel ad Diabolum.

29. (*iii.*) ***Tertius status hujus Ecclesiae, qui est ejus Declinatio et Vespera et vocatur Vastatio,*** describitur in tertio capite *Geneseos*, per haec:

> "Serpens factus est astutus prae omni fera agri quam fecerat Jehovah Deus. Hic dixit ad mulierem, Etiam propter quid dixit Deus, Non comedetis de omni arbore horti? Cumque diceret mulier ad serpentem, De fructu arboris [horti] comedemus; tantum de fructu arboris quae in medio [horti] dixit Deus, Non comedetis de eo neque tangetis eum ne moriamini; dixit serpens, ... Non moriemini; quia[1] novit Deus quod quo die comederitis de eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut Deus, scientes bonum et malum. Vidit itaque mulier quod bona arbor in cibum, et quod appetibilis oculis ac desiderabilis ad dandum intellectum; ideo sumpsit de fructu ejus et comedit: deditque viro suo secum, qui comedit" (vers. 1–6).

Quod declinatio a luce in umbram vesperae, hoc est, prolapsus a sapientia ac integritate, ita status vastationis hujus Ecclesiae, per illa describatur, est quia ex eo, quod homo factus sit "similitudo Dei" (per quam significatur omnimoda apparentia quod cogitet illa quae sapientiae sunt ac velit illa quae amoris sunt a se, sicut Deus, videatur supra, n. 26), credidit serpenti quod [si] ederet ex illa arbore fieret sicut Deus, et sic quoque Deus, sciendo bonum et malum. Per "arborem" hanc significatur naturalis homo separatus a spirituali; qui, dum sibi relictus est, non aliter credit.

Cuivis homini est mens naturalis et mens spiritualis, distinctae inter se sicut duae mansiones unius domus, et conjunctae per scalas; in cujus superiore mansione habitant herus et hera cum suis liberis, in inferiore autem illorum servi et ancillae cum mediastinis aliis. Mens spiritualis apud hominem, a nativitate usque in primam pueritiam, occlusa est; mens autem spiritualis a prima illa aetate pedetentim aperitur; data enim est cuivis homini a nativitate facultas, ac postea potentia, parandi sibi scalas per quas ascendat et loquatur cum hero et hera, ac postea descendat et illorum mandata exsequatur; haec potentia illi data est per dotem liberi arbitrii in spiritualibus. Verum enim vero, nemo potest ascendere in superiorem mansionem, per quam intelligitur mens spiritualis, nisi edat ex arboribus vitae in horto Dei. Per esum enim ex his, homo illuminatur et integratur, et concipit fidem, et per nutritionem ex fructibus illarum accipit fiduciam, quod omne bonum sit a Domino qui est Arbor Vitae, et ne

hilum ab homine; et tamen quod per commorationem et co-operationem, inde quod Dominus sit in illo et ille in Domino, facturus sit bonum a se, at usque in fide et fiducia quod non a se sed a Domino. Sin aliter, homo facit instar boni, in quo intus est malum quia meritum; et hoc est edere ex arboribus scientiae boni et mali, inter quas habitat Serpens, in dira persuasione quod sit sicut Deus, vel quod non sit Deus, sed quod Natura quae vocatur Deus, et quod ex illius elementis conflatus sit. Praeterea, illi comedunt ex arboribus scientiae boni et mali qui amant se et mundum super omnia; at illi edunt ex arboribus vitae qui amant Deum super omnia, et proximum sicut se ipsum. Illi etiam comedunt ex arboribus scientiae boni et mali qui excludunt canones pro Ecclesia ex propria intelligentia, et postea confirmant illos per Verbum; at vicissim illi edunt ex arboribus vitae qui canones pro Ecclesia comparant sibi per Verbum, et postea confirmant illos per intelligentiam. Illi quoque comedunt ex arboribus scientiae boni et mali qui docent veritates ex Verbo et male vivunt, at illi edunt ex arboribus vitae qui bene vivunt et docent ex Verbo. Universaliter, omnes illi comedunt ex arboribus scientiae boni et mali qui negant Divinitatem Domini et sanctitatem Verbi; quoniam Dominus est Arbor Vitae, ac Verbum, ex quo Ecclesia est "Hortus in Eden ab oriente."

30. Homo spiritualis est erectus homo, qui capite supra se et circum se spectat caelum, et plantis calcat terram: at homo naturalis separatus a spirituali est vel sicut incurvatus homo, qui capite nutat, et continue spectat terram, et tunc gressus pedum suorum; vel est sicut inversus, qui ambulat super palmis manuum, et ad caelum tollit pedes, et per horum vibrationes et complosiones facit cultum. Homo spiritualis est sicut homo dives, cui palatium, in quo sunt cenacula, thalami, triclinia, quorum parietes sunt continuae fenestrae ex vitris[1] crystallinis, per quas videt[2] hortos, agros, greges et armenta, quae etiam ejus possessionis sunt, ex quorum aspectu et usu se cottidie oblectat: homo autem naturalis separatus a spirituali est quoque sicut homo dives, cui est palatium in quo sunt camerae quarum parietes sunt continuae tabulae ex ligno putri, quod luce fatua circumlucet, in qua imagines fastus

ex amore sui et mundi apparent sicut fusilia ex auro in medio et ex argento ad latera, ad quae flectit genua sicut idololatra. Porro homo spiritualis in se est actualiter sicut columba quoad mansuetudinem, sicut aquila quoad visum mentis, sicut avis paradisiaca volans quoad progressionem in spiritualibus, et sicut pavo quoad horum exornationem a spiritualibus: vicissim autem homo naturalis separatus a spirituali est sicut accipiter persequens columbam, sicut draco devorans oculos aquilae, sicut prester volans ad latus avis paradisiacae, et sicut bubo juxta pavonem. Hae comparationes allatae sunt, ut sint sicut perspicilla, per quae legens propius[1] contemplari potest qualis est spiritualis homo in se, et naturalis homo in se. Prorsus aliter vero hoc est, quando spiritualis homo per suam spiritualem lucem et spiritualem calorem intus est in naturali; tunc uterque unum faciunt, consimiliter sicut conatus in motu, ac voluntas (qui est conatus vivus) in actione, et sicut appetitus in gustu, ac visus mentis in visu oculi; ac evidentius, sicut perceptio rei in cognitione, et[2] cogitatio ejus in loquela.

31. (*iv.*) ***Quartus status hujus Ecclesiae, qui erat ejus Finis seu Nox et vocatur Consummatio,*** describitur per haec etiam [in] tertio capite [*Geneseos*]:

> "Clamavit Jehovah Deus ad hominem, dixitque illi, Ubi tu? Qui dixit, Vocem tuam audivi in horto, ideo timui mihi. .... Tum dixit Jehovah, ... Num de arbore, de qua praecepi tibi ut de ea non comederes, comedisti? Et dixit homo, Mulier quam dedisti mecum, haec dedit mihi de arbore, et comedi. Et dixit Jehovah Deus mulieri, Quare hoc fecisti? Et dixit mulier, Serpens decepit me, et comedi." Tunc Jehovah Deus maledixit serpenti, et postea mulieri, et post hanc viro. Quibus dictis, "Jehovah Deus emisit hominem ex horto Edenis, ad colendum terram, e qua sumptus erat" (vers. 9-23).

Ex sensu literato seu historico descriptionis vitae Adami, patet quod maledictus sit quia credidit serpenti quod futurus esset sicut Deus, et qui hoc credit tandem non agnoscit Deum. Et quia naturalis homo separatus a spirituali in tali fide est corde, utcumque aliter garrit ore, ideo postquam a spirituali naturalis factus est, hic[3] maledictus est; ac maledictus est quoad ejus sensuale, ejus voluntarium, et ejus intellectuale; ejus sensuale enim significatur per "serpentem," ejus voluntarium per "mulierem," et ejus

intellectuale per "virum;" haec tria, quia unum sequitur alterum, maledicta sunt. (In *Arcanis Caelestibus*, ubi unaquaevis vox, et unusquisque vocum intellectus, per sensum spiritualem qui a Domino mihi revelatus est, enucleata sunt; quae quia exstant, consuli possunt.)

32. Post hanc maledictionem describitur quartus status hujus Ecclesiae, qui fuit status ejus noctis in spiritualibus et vocatur Consummatio, per quod

> Expulsus fuerit ex horto, "ad colendum terram, e qua sumptus erat;"

per quod intelligitur quod deprivatus sit innocentia, integritate, et sapientia, in quibus erat dum spiritualis fuit; consequenter quod e caelo dejectus sit, hoc est, dissociatus ab angelis; consimiliter ut legitur de "Dracone,"

> "Conjectus est Draco magnus, Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus et Satanas, ... conjectus est" e Caelo, ubi pugnavit cum Michaele et ejus angelis, "in terram, et angeli ejus cum illo dejecti sunt" (*Apoc.* xii. 9).

33. Quod per illa quae de Adamo memorantur non intelligantur aliqui status hominis protoplasti, sed status Ecclesiae, quis qui non errat spiritu non potest videre? Ut quod [Deus] in horto medio posuerit duas arbores, unam ex cujus esu homini esset vita aeterna, alteram ex qua ei mors aeterna; et quod hanc fecerit "bonam ad cibum, appetibilem oculis, ac desiderabilem ad dandum intellectum" (cap. iii. 6), ita sicut ad fascinandum animas illorum; tum quod admiserit serpentem, ac permiserit ei loqui verba doli ad mulierem in praesentia mariti qui fuit imago et similitudo Dei, ac passus sit illos per blanda et vafra illaqueari; ut et cur non providit, quia praevidit, ne illi, et ex illis totum genus humanum, prolaberentur[1] in damnationem maledictionis ejus; nam legitur in Libris Orthodoxiae Christianorum,

> Quod ex Peccato hoc originali, "loco imaginis [Dei] amissae in homine sit intima, pessima, profundissima, imperscrutabilis, ineffabilis corruptio totius naturae, et omnium virium;" quodque sit radix omnium actualium malorum (*Formula Concordiae*, pag. [640,[b]] 640);

et quod Deus Pater universalem illam damnationem a facie sua averterit, Filium suum in mundum miserit, qui illam in Se susciperet, et sic placaret: praeter plura, quae

ad cujusvis visum non consentanea Deo sunt. Quis non, ex illis in historico sensu intellectis, potest rationaliter concludere, ut comparationes utar, quod[1] illa forent, sicut qui clienti suo donat campum florentissimum, et in illo effodit puteum quem tegit tabulis quae ad tactum manus aut pedis se introrsum volvunt, et in medio super stapede[2] ponit meretricem indutam purpura et coccino, habentem in manu aureum poculum (sicut illam in *Apocalypsi*, xvii. 4), quae blandiloquiis allicit virum ad se, et sic efficit ut cadat in puteum et submergatur? Quin illa forent sicut quis amico suo dono dat agrum luxuriantem messe, et in medio ejus abscondit pedicas, ac emittit sirenem, quae pellacia cantus et vocis dulcis allectet in locum illum, ac faciat ut irretiatur laqueo ex quo pedem suam extricare nequit? Immo, ut adhuc comparatione utar, foret sicut quis hospitem nobilem introduceret in domum suam, ubi duo cenacula, et in singulis mensae; ad quarum unam sedent angeli; ad alteram cacodaemones, super qua sunt scyphi pleni vino dulci sed toxicato, ac patinae super quibus fercula in quibus sunt aconita; ac permittit ut daemones ibi repraesentent orgia Bacchi et hariolationes comoedorum, ac[3] invitent ad carchesia et epularia illa. Sed, mi amice, haec quae memorantur de Adamo, de Horto Dei, et de binis Arboribus in illo, prorsus sub alia facie apparent; quando spiritualiter comprehenduntur, hoc est, per sensum spiritualem exfasciantur: tunc conspicitur quod per "Adamum," ut typum, intelligatur Ecclesia Antiquissima; ac per vitae ejus versiones, status successivi illius Ecclesiae describuntur. Ecclesia enim in principio est sicut homo e novo creatus, cui est mens naturalis et spiritualis; et in progressu fit a spirituali naturalis et tandem sensualis, qui nihil credit nisi quae sensus corporis dictant: et hic homo apparet in caelo sicut sedens super bestia quae retro flectit caput, et hominem sibi insidentem dentibus stringit, lacerat ac dilaniat; at vere spiritualis homo apparet in caelo etiam sicut sedens super bestia, sed domata, quam mollibus habenis et quoque nutibus regit.

34. (*v.*) ***Quintus status hujus Ecclesiae fuit Separatio bonorum a malis, quae fuit Ultimum Judicium super omnes qui ab illa***

Ecclesia fuerunt.—Hic status describitur per "diluvium" in quo omnes superstites mali perierunt; et per "Noachum et ejus filios," per quos intelliguntur omnes boni qui salvati sunt. Finis Antiquissimae Ecclesiae per "Adamum" repraesentatae describitur in capite sexto *Geneseos*, per haec:

> "Cum videret Jehovah quod multiplicaretur malitia hominis in mundo, et insuper omne figmentum [cogitationum] cordis ejus tantummodo malum omni die, paenituit Jehovam quod fecisset hominem in terra. Ideo dixit Jehovah, Delebo hominem quem creavi desuper faciebus terrae. .... Tantummodo Noachus invenit gratiam in oculis Jehovae" (vers. 5–8).

Ultimum Judicium autem super illos describitur per "diluvium." Quod per "diluvium," causa est quia "aquae" in Verbo significant vera, et in opposito sensu falsa. Vera significantur per aquas fontis, aquas fluvii, aquas pluviae, perque aquas lavationum olim et aquas Baptismi hodie: correspondentia illa est ex eo, quod vera purificent animam hominis ab immundis, sicut aquae corpus ejus; ideo vocantur "aquae vivae." At in opposito sensu per "aquas" significantur falsa; sed per aquas impuras, quales sunt paludum, cisternarum male olentium, lotii et quisquiliarum, in genere per omnes detrimentosas et letiferas; ita quoque per aquas e quarum inundatione homo emoritur, proinde per Diluvium Noachicum. Quod falsa in congerie describuntur per "inundationes," ex sequentibus his locis constare potest:

> "Dominus[1] ascendere faciens[2] super eos aquas fluvii" (Euphratis) "validas et multas; ... hic ibit per Jehudam, inundabit, transibit, usque ad collum pertinget" (*Esai.* viii. 7, 8[3]);

per "aquas fluvii Euphratis" significantur ratiocinia ex falsis, quia per "Assyriam," cujus fluvius erat, significatur ratiocinatio.

> "Spiritus Jehovae sicut fluvius inundans, usque ad collum dimidiabit, ad cribrandum gentes cribro vanitatis" (*Esai.* xxx. 28, 30);

per "fluvium inundantem" hic similiter significatur ratiocinatio ex falsis.

> "Ecce aquae ascendentes e septentrione, quae sicut flumen inundans, ac inundabit terram et plenitudinem ejus" (*Jerem.* xlvii. 2);

haec de Philisthaeis, per quos intelliguntur qui non in

charitate, et inde non in veris; falsa illorum significantur per "aquas ascendentes ex septentrione," et devastatio Ecclesiae inde per "flumen inundans quod inundabit terram et plenitudinem ejus;" "terra" est Ecclesia, et "plenitudo" sunt omnia ejus.

> "Dic ad incrustantes ineptum, ... Fiet pluvia inundans, qua vos[1] lapides grandinis cadent" (*Ezech.* xiii. 11, 13);

"incrustatio inepti" est confirmatio falsi, et "lapides grandinis" sunt falsa.

> "In inundatione supergrediente consummationem faciet locum ejus, et inimicos [Ipsius] persequetur caligo" (*Nah.* i. 8);

per "inundationem" quae consummabit, significatur falsificatio veri; et per "caliginem," ipsa vera in nocte.

> "Dixistis,[2] Excidimus foedus cum morte, et cum inferno fecimus visionem; quando flagellum inundationis transiverit, non veniet ad nos; posuimus mendacium fiduciam, et in falsitate latebimus" (*Esai.* xxviii. 15);

"inundatio" hic manifeste pro interitu per falsa, nam dicitur quod in "mendacio" posuerint fiduciam, et in "falsitate" laterent.

> "Post septimanas sexaginta duas excidetur Messias, sed non Sibi; deinde urbem et sanctuarium perdet populus Principis venturi, ita ut finis ejus cum inundatione, usque ad .... desolationes" (*Dan.* ix. 26);

haec de Ecclesia ventura Christiana, in qua periturus cultus Domini, quod intelligitur per quod "excidetur Messias, sed non Sibi;" quod peritura sit per falsificationes, intelliguntur per quod finis ejus futurus sit "cum inundatione usque ad desolationes;" "desolatio" est falsificatio illa. Inde est quod postquam Dominus locutus est de "Abominatione Desolationis praedictae a Daniele propheta" et de "Consummatione Saeculi" per illam, dixit quod

> Adventus suus futurus sit sicut diebus dum venit diluvium et sustulit omnes (*Matth.* xxiv. 15, 39).

Quod per

> Submersionem Pharaonis et Aegyptiorum in Mari Suph (*Exod.* xiv.),

interitus per falsa in sensu spirituali intelligatur, in *Ar-*

canis Caelestibus, in Explicatione super illud caput, demonstratum.

35. Quoniam Ecclesiae in Christiano orbe, tam Romano Catholicae quam separatae ab illis, quae a suis antesignanis, Luthero, Melancthone et Calvino nominantur, omne peccatum traducunt ex Adamo et ejus praevaricatione, licet hic subjungere aliquid de originibus ex quibus hereditantur peccata; sunt enim horum origines totidem quot sunt genitores et genetrices in mundo. Quod ex his deriventur inclinationes, habilitates, immo pronitates ad mala, patet in luce ex testimoniis experientiae, et quoque ex assensu rationum. Quis non, ex suffragiis per experientias collectis, scit quod communis similitudo animorum et inde morum et facierum a parentibus sit in liberis et liberorum liberis, usque ad quandam posteritatem? Quis non inde potest deducere quod peccata originalia sint ex illis? Notio cuivis adnata dum spectat ad facies et ad mores fratrum et affinium in familiis, hoc facit cognoscere et agnoscere. Quae itaque ratio est deducere originem omnium malorum ex Adamo et ejus semine? Estne par ratio a parentibus? Estne horum semen quod similiter propagat? Ex solo Adami semine deducere illecebras ex quibus et secundum quas sunt formae spirituales mentium omnium hominum in universo, foret simile sicut ex uno ovo derivare aves omnis alae, tum ex uno semine bestias omnis naturae, ut et ex una radice arbores omnis fructus. Estne infinita hominum varietas?—unus sicut ovis, et alter sicut lupus; unus sicut haedus, alter sicut panthera; unus mansuetus mannus ante currum, alter sicut indomitus onager ante illum; unus sicut ludens vitulus, alter sicut vorans tiger; et sic porro. Unde hoc cuivis nisi ex suo patre et sua matre? Quare ergo ex Adamo? per quem tamen in typo repraesentativo describitur Ecclesia hujus telluris prima, ut hactenus ostensum est. Hocne foret sicut ex una stirpe in profundo terrae latente educere cujusvis aspectus ac usus arbustum, et ex uno olere cujusvis emolumenti virgultum? Foretne illud etiam sicut ex nimbo aetatum et annalium educere lucem, et filum ex inextricabili scirpo evolvere? Cur non potius ex Noacho? qui

"Ambulavit cum Deo" (*Gen.* vi. 9);

et cui

"Benedixit Deus" (*Gen.*ix. 1);

et a quo solo cum tribus liberis superstite,

"Dispersa est tota terra" (*Gen.* ix. 19).

Sicine hereditaria generationum ex Adamo sicut diluvio submersa exstirparentur? Sed, mi amice, aperiam veram scaturiginem peccatorum:—Omne malum concipitur a Diabolo ut patre, et nascitur ex fide atheistica ut matre; et vicissim, omne bonum concipitur ex Domino ut patre, et nascitur ex fide salutifera in Ipsum ut matre. Generationes omnium bonorum in infinitis suis variationibus apud homines non sunt nisi quam ex conjugio Domini et Ecclesiae; et e contra, generationes omnium malorum in suis variationibus apud illos non sunt nisi quam ex connubio Diaboli cum profana congregatione. Quis non novit, aut nosse potest, quod homo a Domino regenerandus sit, hoc est, e novo creandus, et quod quantum hoc fit tantum in bonis sit? Inde consequitur hoc, quod homo, quantum non vult e novo generari seu e novo creari, tantum trahat et retineat mala parentibus suis insita. Hoc est quod reconditum latet in Primo Praecepto Decalogi:

"Ego .... Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum super filios, super tertiam et super quartam generationem odio habentium Me; faciens autem misericordiam in millenos amantes Me, et facientes praecepta Mea" (*Exod.* xx. 5, 6; *Deutr.*v. 9, 10).

36. (*vi.*) ***Sextus status hominum hujus Ecclesiae, qui fuit, post Ultimum Judicium, Elevatio Fidelium ad Deum, ex quibus factum est novum Caelum, et Remotio Infidelium a Deo, ex quibus factum est novum Infernum.***—In praemissis supra (a n. 10 ad 13, et a n. 14 ad 17), evolutum est quod post consummationem super omnes qui fuerunt ab unaquavis Ecclesia ex quatuor supranominatis, factum sit ultimum judicium, et post hoc ab illis novum caelum et novum infernum; et sic quod in hac tellure super habitatores ejus exstiterint quatuor judicia, et ex illis quatuor caeli et inferna; et datum est scire quod tam caeli quam inferna illa inter se adeo prorsus segregata sint ut nequicquam aliquis ex suo possit transire in alterius. Omnes hi caeli descripti sunt in opusculo de *Amore Conjugiali;* et quia spiritualis origo

amoris vere conjugialis non aliunde est quam ex conjugio Domini et Ecclesiae, ita ex amore Domini erga Ecclesiam et Ecclesiae in Dominum (quod in illo opusculo, a n. 116 ad 131, ostensum est), et quia in utroque hoc amore fuerunt antiquissimi quamdiu retinuerunt imaginem Dei in se, ideo ex illo opusculo possum transcribere sequentia haec de illo caelo, ad quod tunc mihi aditus concessus est, quae sunt [haec]:—

37. "Quondam, cum meditatus sum de Amore Conjugiali, captavit mentem desiderium sciendi qualis ille amor fuerat apud illos qui in Saeculo Aureo vixerunt; et postea qualis in sequentibus, quae ex Argento, Cupro, et Ferro vocantur. Et quia novi quod omnes qui in illis saeculis bene vixerunt, in caelis sint, oravi ad Dominum ut liceret mihi cum illis loqui et instrui.

"Et ecce adstitit mihi angelus et dixit, 'Missus sum a Domino ut sim ductor et comes. Et primum te ducam et comitabor ad illos qui vixerunt primo Aevo seu Saeculo, quod vocatur Aureum.'"

(Saeculum Aureum idem est cum Saeculo Antiquissimae Ecclesiae, quod intelligitur per "Caput ex auro bono" super statua visa Nebuchadnezari in somnio, *Dan.* ii. 32, de quo prius.)

"Angelus dixit, 'Est ad illos via ardua; est per silvam opacam, quam nemo potest transire, nisi duce dato a Domino.'

"Eram in spiritu, et accinxi me viae; et convertimus facies ad orientem; et in pergendo vidi montem cujus altitudo pertigit ultra regionem nubium. Transivimus desertum magnum, et pervenimus in silvam ex variis arborum generibus confertam, et ex densitate illarum opacam, de qua angelus praedixit. Sed erat silva illa secta in plures tramites angustos; et dixit angelus quod totidem ambages errorum sint, et quod nisi aperiantur oculi a Domino, et videantur oleae pampineis vitibus circumcinctae, ac ferantur gressus ab olea ad oleam, abiturus sit viator in Tartara [quae circum circa ad latera sunt[1]]. Haec silva talis est propter finem ut custodiatur aditus; non enim alia gens quam primaeva super monte illo habitat.

"Postquam intravimus silvam aperti sunt oculi, ac vidimus hic et ibi oleas circumligatas vitibus, e quibus pendebant botri coloris cyanei; ac oleae erant in perpetuos orbes dispositae; quare secundum conspectum illarum circuivimus et circuivimus, et tandem vidimus lucum ex altis cedris, et super illarum ramis aliquas aquilas. Quibus visis dixit angelus, 'Nunc in monte sumus, non procul a vertice ejus.'

"Et perreximus, et ecce post lucum campus rotundus, ubi pascebant agni et agnae, quae erant formae repraesentativae status innocentiae et pacis montanorum. Hunc campum[2] transivimus; et ecce visa sunt tabernacula et tabernacula, ad plura millia antrorsum, et ad latera in omnem extensionem visus.

"Et dixit angelus, 'Nunc sumus in castris ubi Exercitus Domini Jehovih; ita se et habitationes suas vocant![3] Antiquissimi hi, dum in mundo fuerunt, habitaverunt in tabernaculis; quare etiam nunc in illis habitant.'

"Sed dixi, 'Flectamus viam ad meridiem, ubi sunt sapientiores illorum, ut conveniamus aliquem cum quo sociemus sermonem.'

"In eundo vidi e longinquo tres pueros et tres puellas sedentes ad januam sui tabernaculi; sed illi et illae, cum appropinquavimus, visi sunt sicut viri et mulieres mediae staturae. Et dixit angelus, 'Omnes incolae hujus montis apparent e longinquo sicut infantes, quia in statu innocentiae sunt, ac infantia est apparentia innocentiae.'

"Hi viri nobis visis accurrerunt, et dixerunt, 'Unde estis, et quomodo huc venistis? Facies vestrae non sunt e faciebus hujus montis.'

"At angelus retulit, et narravit copiam accessus per silvam, et causam adventus. Quibus auditis, unus ex tribus viris invitavit et introduxit nos in tabernaculum suum. Vir erat indutus pallio hyacinthini coloris, ac tunica ex lana candida. Et ejus uxor erat amicta toga purpurea, et subter tunica pectorali ex bysso acupicto.

"At quia in cogitatione mea erat desiderium cognoscendi conjugia antiquissimorum, intuebar per vices maritum et uxorem, et animadverti quasi unitatem animarum illorum in faciebus; et dixi, 'Vos duo estis unum.'

"Et respondit vir, 'Sumus unum; est illius vita in me, et mea in illa; sumus duo corpora, sed una anima; est unio inter nos sicut est duorum tentoriorum in pectore, quae vocantur cor et pulmo; illa est parenchyma mei cordis, et ego sum illius pulmo; sed quia per *cor* hic intelligimus amorem, et per *pulmonem* sapientiam (haec per illa intelligimus propter correspondentiam), est illa amor meae sapientiae, et ego sum sapientia ejus amoris. Inde, sicut dixisti, est apparentia unitatis animarum in faciebus nostris. Inde nobis hic tam impossibile est spectare aliquam uxorem consocii in libidine sicut est spectare lucem nostri caeli ex umbra Tartarea.'

"Et dixit mihi angelus, 'Audis nunc loquelam horum angelorum, quod sit loquela sapientiae, quia loquuntur ex causis.'

"His dictis, vidi lucem magnam super colle inter tabernacula; et quaesivi, 'Unde illa lux?'

"Dixit, 'Ex sanctuario tabernaculi nostri cultus.'

"Et interrogavi num liceat accedere; et dixit quod liceat; et accessi, et vidi tabernaculum extra et intra secundum descriptionem prorsus simile Tabernaculo quod pro filiis Israelis in deserto aedificatum, cujus forma Mosi super Monte Sinai monstrata est (*Exod.* xxv. 40; cap. xxvi. 30). Et quaesivi, 'Quid intus in sanctuario ejus, unde tanta lux?'

"Et respondit, 'Est tabula cui inscriptum est *Foedus inter Dominum Jehovih et Caelum*.' Plura non dixit.

"Et tunc quaesivi illos de Domino Jehovih quem colunt; et dixi, 'Estne Deus Pater, Creator universi?'

"Et responderunt, 'Est; sed nos per *Dominum Jehovih* intelligimus Jehovam in suo Humano; non enim possumus aspicere ad Jehovam in intima sua Divinitate, nisi quam per Humanum Ipsius.' Et tunc explicuerunt quod intellexerunt, et quoque hodie intelligunt, per

Semen mulieris quod conculcabit caput serpentis (*Gen.* iii. 15);

videlicet, quod Dominum Jehovih venturum in mundum, redempturum et salvaturum omnes qui crediderunt et credituri sunt in Ipsum.

"His effatis cucurrit vir ad tabernacuum suum, et rediit cum malogranato, in quo fuit copia seminum ex auro; et donavit, et deportavi; quod erat signum quod fuerimus cum illis qui in Saeculo Aureo vixerunt." [Videatur opusculum de *Amore Conjugiali*, n. 75.]

De caelis reliquarum Ecclesiarum post Antiquissimam, videatur in eodem opusculo de *Amore Conjugiali*, in suo ordine (a n. 76 ad 82 ibi).

38. Infernum ex illis qui ab Antiquissima Ecclesia fuerunt, est prae omnibus aliis infernis atrocissimum. Consistit ex illis qui in mundo crediderunt se esse sicut Deus, secundum dolosum effatum Serpentis (*Gen.* iii. 5); et profundius in illo inferno sunt illi qui sibi persuaserunt quod prorsus dii essent, ex phantasia quod Deus Divinitatem suam transfuderit in homines, et sic quod non amplius esset Deus in universo. Ex dira illa persuasione efflatur ex illo inferno funestus putor, qui inficit vicinias[1] tam ferali tabe ut dum aliquis approximat, occupetur primum tam lymphato delirio ut mox post singultus videatur sibi agonizare. Vidi quendam in propinquo ibi occubuisse sicut mortuus; sed translatum[2] inde revixisse. Jacet id infernum in media plaga meridionali, circum ductum vallis, super quibus stant qui stentoriae tubae voce clamant, "Ne accede propius.[3]" Audivi ex angelis qui super illo inferno in caelo sunt quod cacodaemones ibi appareant sicut colubri torti in spiras inextricabiles, quod trahunt ex sublestis illorum dolis et incantationibus, quibus pellexerunt simplices ad assentiendum quod sint dii, et quod non sit Deus praeter illos. Vetusti, qui omnia sub fabulis contexuerunt, hos intellexerunt per "gigantes" qui impugnaverunt castra deorum, et qui a Jove per fulmina ejus dejecti sunt, et sub montem ignivomum Aetnam detrusi, et vocati "Cyclopes." Illi etiam inferna illorum vocaverunt "Tartara," ac "Stagna Acherontis," ac profunda ibi "Stygem," et illos qui ibi "Echidnas Lernaeas;" et sic porro.

LEMMA TERTIUM.

DE ECCLESIA NOACHICA, SEU ANTIQUA HUJUS TELLURIS.

---

39. Quoniam omnis Ecclesia est trina, intima seu caelestis, media seu spiritualis, et externa seu naturalis, ideo tres filii fuerunt Noacho, et per "Schemum" significatur Ecclesia intima seu caelestis, per "Japhetum" Ecclesia media seu spiritualis, et per "Chamum" Ecclesia externa seu naturalis. Apud quos autem una Ecclesia est, et apud quos altera et tertia, ut et quales sunt in se et inter se, non vacat hic describere; sunt enim caeli, supremum, medium, et infimum,[1] quibus tres illi gradus Ecclesiae correspondent. Praeterea Noàchica haec, seu Antiqua Ecclesia, per totam Asiam dispersa fuit, imprimis in Syriam, Mesopotamiam, Assyriam, Chaldaeam, Terram Canaanem et vicinias ejus, Philisthaeam, Aegyptum, Tyrum, Zidonem, Ninivem, et quoque in Arabiam et Aethiopiam, ac temporis tractu in Tartariam Magnam, et abinde deorsus usque ad Pontum Euxinum, et ab hoc in omnes districtus Africae. Quod gentes ubivis terrarum in cultu ex aliqua religione fuerint, notum est; ac religio non dabilis est nisi per quandam *revelationem*, et per hujus propagationem a gente ad gentem, [ut] videatur in opere praecedente, *Vera Christiana Religio* (n. 273–276); ubi etiam evictum est quod ante Verbum Israeliticum fuerit Verbum, quod tempore deperditum est; sed usque ex Divina Domini Providentia in Tartaria Magna conservatum, ex [quo] illorum cultus Divinus usque ad hodie est; de quo etiam in dicto opere (n. 264–266, 279).

40. Quis infitias ire potest quin universum creatum sit propter humanum genus, ut ex illo formaretur caelum angelicum in quo Deus in dominio gloriae suae habitaret?

Ad hunc finem quae causa media promotrix et effectrix alia quam religio? Et quid religio aliud quam ambulatio cum Deo? Et religio est sicut semen producens justa et vera desideria, et inde judicia et acta, in spiritualibus, et per haec in moralibus, perque haec et illa in civilibus. Ut ergo sciatur qualis homo est cui est religio, et qualis cui non religio, dicetur. Homo cui est religio, est in *spiritualibus* sicut pelecanus[1] alens pullos sanguine suo; homo autem cui non religio, est in illis sicut vultur in inedia devorans prosapiam suam. Homo cui est religio, et in *moralibus* est sicut turtur in nido cum sua turture super suis ovis aut pullis; homo autem cui non religio, in illis est sicut milvus [vel] accipiter in cavea ad columbarium. Homo cui est religio, in *politicis* est sicut cycnus volans cum botro in ore; at homo cui non religio, in illis est sicut basiliscus cum herba toxicata in ore. Homo cui est religio, in *judiciariis* est sicut tribunus equitans super generoso equo; at homo cui non religio, est in illis sicut coluber in deserto Arabiae, ore mordens caudam suam, et se in volumine projiciens super equum, circumligaturus equitantem. Homo cui est religio, in *civilibus reliquis* est sicut princeps filius regis proferens insignia charitatis et elegantia veritatis; at homo cui non religio, est sicut triceps canis Cerberus in ostio ad curiam Plutonis, ex triplici suo ore exspumans aconita.

41. Hujus Ecclesiae status successivos, qui sunt ortus seu mane, progressio in lucem et dies, vastatio seu vespera, ac consummatio seu nox, non licet descriptione persequi quemadmodum prius status Antiquissimae[2] Ecclesiae, quoniam status illius Ecclesiae non similiter possunt colligi ex nostro Verbo; memoratur enim ibi progenies Noachi ex tribus ejus filiis modo in summa, una alterave pagina; ac insuper fuit Ecclesia illa per plura regna dispersa, et in singulis fuit illa variata, et inde subivit et percurrit illa dictos status diversimode.

Quod primus et secundus status illius in regionibus circum Jordanem et circa Aegyptum fuerit sicut "Hortus Jehovae," constat ex his:

Fuit Planities Jordanis "sicut Hortus Jehovae, sicut Terra Aegypti qua venitur Zoar" (*Gen*. xiii. 10).

Quodque similiter Tyrus ex his:

> Tu princeps Tyri, "plenus sapientia, et perfectus pulchritudine; in [Edene,] Horto Dei fuisti, omnis lapis pretiosus tegumentum tuum. .... Perfectus tu in viis tuis, a die quo creatus, donec inventa est perversitas in te" (*Ezech.* xxviii. 12–15).

Quod Aschur fuerit sicut "cedrus in Libano," ex his:

> "Ecce Aschur cedrus in Libano, pulchra ramo, ... alta altitudine. .... In ramis ejus nidificarunt omnes aves caelorum, et sub ramis ejus pepererunt omnis bestia agri, et in umbra ejus habitarunt omnes gentes magnae. .... Omnis arbor in Horto Dei non par fuit illi pulchritudine, ... et aemulatae sunt illi omnes arbores Edenis quae in Horto Dei" (*Ezech.* xxxi. 3–9).

Quod sapientia floruerit in Arabia, constat

> Ex profectione Reginae Schebae ad Salomonem (1 *Reg.* x. 1–13[1]);

tunc

> Ex tribus Sapientibus qui venerunt ad Jesum recens natum, praeeunte stella (*Matth.* ii. 1–12).

Tertius et quartus status illius Ecclesiae, qui fuit ejus vastationis et consummationis, describitur in Verbo passim in historicis et passim in propheticis ejus. Consummatio gentium circum Jordanem seu Terram Canaanem, describitur

> Per destructionem Sodomae, Gomorrhae, Admae et Zeboim (*Gen.* xiv. et xix.[2]).

Consummatio Ecclesiae gentium intra Jordanem, seu in Terra Canaane,

> Per expulsionem et quarundam internecionem (apud *Josuam*, et in *Libro Judicum*).

Consummatio Ecclesiae istius in Aegypto,

> Per submersionem Pharaonis et Aegyptiorum in Mari Suph (*Exod.* xiv.).

Et sic porro.

42. Certum est quod Ecclesia haec Antiqua fuerit Ecclesia repraesentativa, quae in typis et signis visibilibus et naturalibus figurabat invisibilia et spiritualia Ecclesiae demum venturae, quando Ipse Jehovah Se manifestaret in Naturali Forma Humana, et per hanc Sibi daret ingressum ad homines, et hominibus aditum ad Se, et sic nudaret Se a typis, et conderet Ecclesiam cum praeceptis quae omnes

qui credunt in Ipsum ut Hominem, et faciunt mandata Ipsius, compendiaria via ducerent ad caelum, habitaculum Divinitatis suae. Sed quia Antiqua haec Ecclesia, typica venturae, correspondentias repraesentativas converterunt in magica et idololatrica, et sic in infernalia, excitavit Jehovah Ecclesiam Israeliticam in qua[1] restauraret typos primitivos, qui caelestes fuerunt; tales typi fuerunt omnia tabernacula, festa, sacrificia, sacerdotia, amictus Aharonis et filiorum ejus, unctiones, praeter statuta quae longa serie per Mosen edicta sunt.

43. Quomodo Ecclesia repraesentativa apud illos versa fuit in idololatricam, paucis tangam:—Omnia spiritualia quae caeli et Ecclesiae sunt, coram illis sistebantur in formis visibilibus et tactilibus, ut mox supra dictum est; formae illae desumptae fuerunt ex subjectis trium regnorum Naturae, animalis, vegetabilis, et mineralis, per quae repraesentabantur talia quae regni caelestis sunt. Has formas typicas posuerunt in suis sanctuariis, in domuum suarum penetralibus, inque foris et plateis; et ordinabant illas secundum significationes. At postera aetas, postquam scientia correspondentiarum obliterata est, et inde periit cognitio significationis illarum, coepit intueri et agnoscere illa objecta ut totidem Diva et Sancta; et tunc ad quaedam flectebant genua, quaedam libabant osculis, quaedam etiam exornabant et decorabant torquibus, myrothecidiis, et periscelidis, prorsus sicut infantes suas pupas, et sicut Papaei sua simulacra; immo ex quibusdam fecerunt Penates, ex quibusdam Semideos tutelares, et ex quibusdam Pythones; quaedam autem in minutis formis portabant manibus, quaedam fovebant gremiis, palpabant, ac insusurrabant petitiones; et sic porro. Ita typos caelestes converterunt in typos infernales, ac Divina caeli et Ecclesiae in idola. Propter hanc transfigurationem et defigurationem caelestium, nova Ecclesia repraesentativa apud Filios Israelis excitata est, in qua[2] repraesentationes reales, ut supra dictum est, institutae sunt; et cui interdictum est ne per alias cultum Divinum instaurarent; ut patet ex his in Primo Praecepto Decalogi:

> "Non facies tibi sculptile, aut ullam figuram, quae in caelis desuper, et quae in terra infra, et quae in aquis sub terra. Non incurvabis te illis, et non coles ea" (*Exod.* xx. 4, 5; *Deutr.* v. 8, 9).

44. Dictum est quod ex populis cujusvis Ecclesiae in fine ejus factum sit novum Caelum et novum Infernum; et quia in lemmate praecedente de Caelo et Inferno ex illis qui ab Antiquissima Ecclesia fuerunt, narrationem edidi, libet etiam de his; ad hoc enim mihi datus est accessus, quoniam datum est mundum spiritualem pervagari et lustrare, propter finem ne[1] Ecclesia Nova vere Christiana sit in caligine de Caelo et Inferno, deque sorte sua post mortem, secundum acta vitae suae. Sunt haec quoque in opusculo de *Amore Conjugiali* (n. 76). De Caelo ex illis:—

"Venit ad me angelus et dixit, 'Vis ut comiter te ad populos qui in Aevo seu Saeculo Argenteo vixerunt, ut ex illis audiamus de illorum temporis moribus et vita![2]' Et inquit quod non adeantur nisi ex auspicio Domini.

"Factus sum in spiritu, ac comitatus sum ducem meum, et primum ad collem in confinio orientis cum meridie; et cum super illo clivo eramus, ostendit mihi magnam extensionem tractus terrae, et vidimus procul eminentiam sicut montanam, inter quam et collem super quo stetimus erat vallis, et post hanc planities, et ab hac acclivitas lente surgens.

"Descendimus e colle transituri vallem, et vidimus a lateribus hic et illic ligna et saxa in figuras hominum, et variarum bestiarum, avium et piscium sculpta. Et quaesivi angelum, 'Quid illa? Suntne idola?'

"Et respondit, 'Prorsus non; sunt figurationes repraesentivae variarum virtutum moralium et veritatum spiritualium.' Fuerat apud populos illius aetatis scientia correspondentiarum; et quia bestia, avis, piscis correspondet alicui qualitati, ideo unumquodvis sculptile repraesentat et significat aliquid singulare virtutis aut veritatis, et plura simul ipsam virtutem aut veritatem in quadam communi extensa forma; sunt illa quae in Aegypto vocata sunt hieroglyphica.

"Perreximus per vallem; et dum intravimus planitiem, ecce vidimus equos et currus; equos varie phaleratos et capistratos, ac currus diversiformes, quosdam exsculptos, sicut aquilas, quosdam sicut unicornes, quosdam sicut balaenas; et quoque in fine aliqua plaustra, et circum ad latera stabula. At cum appropinquavimus, tam equi quam currus disparati sunt, et pro illis vidimus homines paria et paria, ambulantes, colloquentes et ratiocinantes. Et dixit mihi angelus, 'Species equorum, curruum, et stabulorum, e longinquo visae, sunt apparentiae rationalis intelligentiae hominum illius Aevi; *equus* enim ex correspondentia significat intellectum veri, *currus* doctrinam ejus, ac *stabula* loca instructionis. Nosti quod omnia in hoc mundo secundum correspondentias appareant.'

"Sed praeterivimus haec, et per acclivum ascendimus. Et tandem vidimus urbem, quam intravimus; et in pervadendo, e plateis et foris lustravimus ejus domos. In medio ejus erant palatia structa ex marmore; ante illa erant gradus ex alabastro, et [ad] latera graduum columnae ex jaspide. Vidimus etiam templa ex pretioso lapide, coloris sapphirini et lazurei. Et dixit mihi angelus, 'Domus illis ex lapidibus sunt, quia *lapides* significant veritates naturales, et *lapides pretiosi* veritates spirituales; et omnibus illis qui in

Argenteo Aevo vixerunt, fuit intelligentia ex veritatibus spiritualibus et inde naturalibus; simile enim significat *argentum*.'

"In perlustrando urbem vidimus hic et ibi consortes, tum maritos et uxores. Exspectavimus, ut alicubi invitaremur; et cum hoc in animo erat, revocabamur a duobus in domum, ac intravimus. Et angelus pro me locutus cum illis aperuit causam adventus in hoc caelum, quod esset 'propter instructionem de moribus apud antiquos e quibus estis.'

"Et responderunt, 'Nos fuimus ex populis in Asia; ac studium nostrae aetatis fuit studium veritatum, per quas nobis fuit intelligentia. Hoc studium fuerat animae et mentis nostrae studium; sed studium sensuum corporum nostrorum fuerant repraesentationes veritatum in formis naturalibus; ac scientia correspondentiarum conjunxit sensualia corporum nostrorum cum perceptionibus mentium nostrarum, ita naturalia et corporalia cum spiritualibus et caelestibus, et conciliavit nobis communicationem cum angelis caeli.'

"His auditis, rogavit angelus ut aliquid de conjugiis apud illos referrent![1] Et dixit maritus, 'Est correspondentia inter conjugium spirituale, quod est boni et veri, et inter conjugium naturale, quod est viri cum uxore; et quia studuimus correspondentiis, vidimus quod Ecclesia cum suis veris et bonis nequaquam dari possit apud alios quam qui in amore vere conjugiali vivunt; est enim conjugium boni et veri Ecclesia apud hominem. Quare omnes nos qui hic sumus, dicimus quod maritus sit verum, et uxor ejus veri bonum, et quod bonum non possit amare aliud verum quam quod sui est, nec verum redamare aliud bonum [quam] quod sui est; si aliud, periret conjugium internum seu spirituale quod facit Ecclesiam, et fieret modo conjugium externum seu naturale, cui idololatria et non Ecclesia correspondet.'

"His dictis introducti sumus in antethalamum, ubi plura technica super parietibus, et imagines parvae sicut fusae ex argento erant. Et quaesivi quid illa. Dixerunt, 'Sunt picturae et formae repraesentativae plurium qualitatum, praedicationum et jucunditatum spiritualium;' sicut etiam erant cherubi et palmae super parietibus Templi Hierosolymitani.

"Post haec apparuit e longinquo currus tractus a mannis albis; quo viso dixit Angelus, 'Ille currus est nobis signum ut abeamus.' Tunc, cum descendimus per gradus, dedit hospes nobis botrum ex uvis candidis adhaerentem foliis ex vite; et ecce folia in manibus nostris facta sunt argentea; et deportavimus illa in signum quod cum populis Saeculi Argentei locuti simus."

45. De Inferno ex illis:—

Inferna ex hominibus Ecclesiae Noachicae seu Antiquae quoad plurimam partem consistunt ex Magis, quibus mapalia et agapae sunt, [in] deserto sparsae. Vadunt ibi cum baculis in manu, qui diversiformes sunt, et quidam tincti succis necromanticis. Per illos, sicut olim, artes suas exercent, quae fiunt per abusus correspondentiarum, phantasias, fiducias persuasivas, per quas fuit fides miraculosa, et facta sunt miracula olim; tum per exorcismos, incantamenta, fascina, et veneficia, et plures alias daemonophonias per quas sistunt apparentias illusorias sicut reales. Jucundissimum cordis eorum est vaticinia et praesagia edere, ac Pythones agere. Ex his praecipue exstiterunt Enthusiasmi in Christiano orbe.

LEMMA QUARTUM.

DE ECCLESIA ISRAELITICA ET JUDAICA.

---

46. Ut status hujus Ecclesiae perrimemur et distincte exhibeamus, interest ut illos in hoc ordine lustremus:—

(*i.*) ***Quod primus status hujus Ecclesiae fuerit Apparitio Domini Jehovae, ac Vocatio et Confoederatio, et tunc ejus Ortus et Mane.***

(*ii.*) ***Quod secundus status hujus Ecclesiae fuerit Instructio, ac demum Intromissio in Terram Canaanem, et tunc ejus Progressio in lucem ac Dies.***

(*iii.*) ***Quod tertius status hujus Ecclesiae fuerit Deviatio a vero Cultu repraesentativo in idololatricum, et tunc ejus Vastatio seu Vespera.***

(*iv.*) ***Quod quartus status hujus Ecclesiae fuerit Profanatio Sanctitatum, et tunc ejus Consummatio seu Nox.***

(*v.*) ***Quod ante hunc statum et post illum, facta sit promissio Adventus Domini Jehovih in mundum, [et] de Nova Ecclesia in qua regnatura sunt justitia et judicium.***

(*vi.*) ***Quod quintus status hujus Ecclesiae fuerit Separatio bonorum a malis, et tunc Judicium super eos qui ab illa fuerant; sed hoc in mundo[1] spirituali.***

(*vii.*) ***Aliquid de Caelo et Inferno ex illa gente.***

---

47. (*i.*) ***Quod primus status hujus Ecclesiae fuerit Apparitio Domini Jehovih, ac Vocatio et Confoederatio, et tunc ejus Ortus seu Mane.***—Quod in principio cujusvis Ecclesiae ex quatuor hujus telluris Dominus Jehovih apparuerit, ex Verbo docemur. Causa est quia Deus est Omne in omnibus Ecclesiae et ejus religionis; et agnitio Dei ibi est sicut anima in corpore, quae tam interiora quam exteriora ejus vivificat; et est sicut prolificum in semine, quod intime in omni succo per radicem e terra exanclato sequitur a primo germine usque ad fructum et in hunc, ac disponit vegetationem ut procedat in suo ordine. Quare homo Ecclesiae absque

agnitione Dei est in conspectu angelorum brutus sicut fera silvae, aut sicut avis noctis, aut sicut belua maris; immo homo absque agnitione Dei est sicut arbor cujus rami sunt abscissi, et caudex dissectus, et omnia simul congesta in struem reservatam igni; nam dicit Dominus,

> "Sine Me non potestis facere quicquam; nisi quis manserit in Me, ejectus est foras sicut palmes et arefactus, et colligunt illum, et in ignem conjiciunt illum, et comburitur" (*Joh.* xv. 5, 6).

Homo absque agnitione Dei intus quoad rationalia sua, est sicut rudera urbis incensae; et quoque est sicut cibus a quo dum nutricium ejus elixatum est, fatiscit in sterquilinium. Et sic porro.

48. Sed impossibile est ut homo possit agnoscere Deum et aliquid Ejus, nisi Deus Se in Personali Forma Humana manifestaverit: natura enim mundi circumfundit illum, et non videt, sentit et spirat quicquam quam quod inde est, et tangit organa corporis ejus; inde mens ejus concipit et suscipit rationale, quod in medio Naturae gremio jacet, sicut embryo in utero; nec videt quicquam antequam enititur, et accipit visum. Quomodo itaque homo in hoc statu aliquo modo potest transpicere Naturam, et agnoscere aliquid quod supra illam est, quale est omne Divinum, caeleste, et spirituale, et inde omne religiosum, quae in se sunt supra naturalia? Quapropter absoluta necessitas est ut Deus Se manifestet, et sic Se faciat agnosci, ac post agnitionem inspiret illum Divino suo afflatu, et per hunc receptum in corde ducat illum, et tandem ad Se in caelum; quod nequaquam fieri potest, nisi per instructiones. Nonne etiam imperator et rex se primum faciet agnosci et coronari antequam auspicatur regimen suum? etiam antequam coronatur, insignibus dominii instruitur, et amicit, ac ungit, confoederabit sibi populum per pacta conventa utrinque jurata? quo facto populus fit regis, et rex populi. Nonne sponsus se primum faciet videri antequam proponit desponsationem, et postea nuptias? Annon pater coram suo infante sistet, illum amplectetur et osculabitur, antequam infans potest dicere, "Abba, Pater?" Et sic porro. Adhuc plus Dominus Jehovih, qui est "Rex regum et Dominus dominorum" (*Apoc.* xvii. 14), Ecclesiae Sponsus et Maritus (*Apoc.* xxi. 9), et inde om

nium ejus prolum Pater. Per "Dominum Jehovih" intelligimus Dominum Salvatorem et Redemptorem nostrum; Hic apud *Danielem*, et apud Prophetas [reliquos] ubivis, vocatur "Dominus Jehovih."

49. Propositum supra est quod primus status apud filios Israelis fuerit Apparitio Domini Jehovih, Vocatio, et Confoederatio; et ex Verbo discimus quod tria haec data sint primo apud Abramum, secundo apud Mosen, et tertio apud universum populum. Apparitio Domini Jehovih coram Abrahamo[1] describitur in *Genesi*, ita:

> "Jehovah apparuit Abrahamo in planitiebus Mamre; ille sedens ad ostium tentorii sui, ... cumque tolleret oculos suos et videret, ecce tres Viri stabant prope illum; quos cum primum vidit, cucurrit obviam ipsis ab ostio tentorii, et incurvavit se in terram. Atque dixit, Adonai, si inveni gratiam in oculis tuis, ne quaeso transeas praeter servum tuum" (cap. xviii. 1–3, seq.).

Erat Dominus noster Salvator, qui in Divina sua Trinitate, quam tres angeli repraesentabant, apparuit; nam dixit Dominus,

> "Abraham .... exultavit ut videret diem meum, ac vidit et gavisus est. .... Amen, amen, dico vobis, Priusquam Abraham fuit Ego sum" (*Joh.* viii. 56, 58).

Est in Domino Divina Trinitas; et Divina Unitas in Divina Trinitate repraesentata[2] est per "tres Viros," qui etiam dicti sunt

> "Angeli" (*Gen.* xix. 1).

In Divina autem sua Unitate dictus est

> "Adonajus" (*Gen.* xviii. 3; cap. xix. 18):

ut et

> "Jehovah" (persaepe; [vide] *Gen.* xviii. 13, 14, 17, 19, 20, 22, 26, 33).

Apparitio Domini Jehovih coram Mose describitur in *Exodo*, ita:

> "Apparuit Angelus Jehovae Mosi" ad montem ad Chorebum, "in flamma ignis e medio rubi. .... Dixit itaque Moses, Secedam et videbo visionem magnam hanc, cur non comburitur rubus. Et vidit Jehovah quod secederet [ad videndum]; ideo clamavit ad eum Deus e medio rubi, et dixit, Mose, Mose." .... Et porro, dixit Moses ad Deum, "Quodnam nomen Tuum? .... Dixit Deus, ... SUM QUI SUM. .... Sic dices filiis Israelis, SUM misit me ad vos" (*Exod.* iii. [1,] 2–4, seq., 14, seq.).

Apparitio Domini Jehovih coram toto Populo describitur etiam in *Exodo*, ita:

"Dixit Jehovah ad Mosen," Dic filiis Israelis ut "sint parati in diem tertium, quia die tertio descendet Jehovah in oculis omnis populi super Montem Sinai. .... Et factum est in die tertio .... ut essent voces et fulgura et nubes gravis[1] super monte, et vox bucinae valde vehemens, ut trepidaret universus populus qui in castris. .... Mons Sinai totus fumabat, quia descendit super eum [Jehovah] in igne," et promulgabat coram populo Legem (*Exod.* xix. 9–24; cap. [xx.] 1–15 [*B. A.* 1–18]).

Apparuit etiam Dominus Josuae ut

"Princeps exercitus Jehovae" coram quo Josua cecidit facie super terram, et vocavit Illum Adonajum suum (*Jos.* v. 13, 14).

Vocatio filiorum Israelis ad Terram Canaanem, ita ad Ecclesiam, etiam ter facta est; una ad Abramum, ut e terra patria sua illuc abiret, et porro promissio quod semen ejus haereditaturum sit illam terram (*Gen.* xii. 1–7); vocatio etiam facta est per Mosen (*Exod.* iii. 16, 17); et porro per Josuam (*Jos.* i. 3, seq., et 11).

50. *Foedus etiam pactum est aliquoties;* primum cum Abramo (de quo *Gen.* xvii. 1–14); [deinde] cum Populo (*Exod.* xxiv. 7, 8; et porro, *Jos.* xxiv. 24, 25). Ex his nunc patet, quod primus status hujus Ecclesiae fuerit Apparitio Domini Jehovih, ac Vocatio et Confoederatio, et tunc ejus Ortus seu Mane.

Quod per "Dominum Jehovih" ubivis in Verbo intelligatur Jehovah in Humano suo, qui est Dominus Redemptor et Salvator noster, in sequentibus videbitur.

51. (*ii.*) ***Quod secundus status hujus Ecclesiae fuerit Instructio, et demum Intromissio in Terram Canaanem, et tunc ejus Progressio in lucem et Dies.***—Supra indicatum est quod tam Ecclesia Antiqua seu Noachica quam haec Israelitica quoad omnem cultum suum fuerit repraesentativa. Causa hujus providentiae Divinae fuit, quod Jehovah nondum induerit Humanum Naturale, quod per Incarnationem in utero Mariae, ita secundum ordinem a creatione constabilitum, suscepit; et non prius potuit conjungi homini quoad interiora spiritus ejus, et sic ibi ad perceptionem manifestare Divina Sua, quae sunt caelestia et spiritualia, et sic alta supra acumen sensuum corporis. Hoc tum impossibile fuit sicut est dare avi volatum in aethere, ac pisci gressum in aere. Nam si Jehovah apud hominem nisi quam per Humanum suum intraret, foret sicut termitem arboris

mittere in medium focum speculi caustici, aut argentum vivum in tigillum candens in camino, quae subito dissiparentur. Est enim Jehovah sicut ignis ardens ex zelo Divini Amoris sui; in quo si absque Humano intraret hominem, dissiparet illum, sicut modo dictum est; quare dixit ad Mosen, cum voluit oculis suis videre gloriam Ipsius, quod non posset ullus homo videre Ipsum et vivere. Aliter vero postquam Humanum Naturale assumpsit, et hoc glorificatum univit Divino suo, et sic in Se conjunxit Divinum Caeleste, Divinum Spirituale et Divinum Naturale in unum. Tunc potuit per hoc Se conjungere homini in naturali, immo in sensuali ejus, et simul spiritui seu menti ejus in ejus rationali, ac ita ejus naturale lumen illustrare luce caelesti. Quod post Adventum Jehovae in mundum talis conjunctio facta sit, patet in evidentia ex Ipsius Domini verbis:

"In die illo cognoscetis quod Ego in Patre Meo. et vos in Me, et Ego in vobis" (*Joh.* xiv. 20).

Nunc antequam Incarnatio Jehovae facta est, non potuit conjunctio fieri quam per angelum, ita per humanum repraesentativum; propterea etiam omnia Ecclesiae eorum facta sunt repraesentativa; proinde quod per typos afficientes sensus corporis eorum, et simul correspondentes spiritualibus, Jehovam colerent. Inde erat quod homines Ecclesiae Antiquae, et adhuc plus homines Ecclesiae Israeliticae, externi et naturales homines fuerint, nec fieri potuerint interni et spirituales, sicut fieri possunt homines post Adventum Domini. At usque illi qui agnoverunt Jehovam, et simul cum Ipso Adonajum, hoc est, Dominum venturum, qui in Verbo nominatur "Dominus Jehovih," "Deus Israelis" et "Sanctus ejus," "Messias" seu "Unctus Jehovae," "Rex," "Petra," et alicubi "Filius," et coluerunt Illos simul, receperunt sanctum in spiritibus illorum, et inde in typicis religionis eorum. Reliqui autem non receperunt; unde horum religio non fuit religio sed superstitio, et horum cultus non repraesentativus sed idololatricus; et hic tametsi similis fuit in externa forma, usque dissimilis fuit in interna. Sed ut hoc faeneretur aliquam lucem, illustrabitur per comparationes. Cultus idololatricus est sicut qui veneratur regem, principem, magnatem, aut aliquem excelsae dignitatis virum, solum ex pompa aulicorum ejus, ex magnificentia curruum, et

equitum aut cursorum ante illum, exque splendente et purpureo amictu; ast cultus repraesentativus genuinus est sicut qui aspectat regem, principem, magnatem, aut aliquem excelsae dignitatis virum, ex religione ejus et sapientia ejus, atque ex justitia et judicio ejus, et ex his memorata insignia honoris ejus. Porro cultus idololatricus est sicut qui spectat primatem Ecclesiae solum ex cidari ejus et clenodiis in illa, aut alium praesulem aut antistitem ex infula ac mitra eorum; ac cultus repraesentativus genuinus est sicut qui spectat illos ex zelo amoris pro animabus hominum Ecclesiae, et pro salute aeterna illarum, et ex his insignia capitis eorum. Adhuc, cultus idololatricus est sicut ager plenus calamis absque aristis, aut cum aristis absque frumento in illis, aut etiam cum his absque nucleo in frumento, et sic porro; cultus autem repraesentativus genuinus est sicut ager plenus messe, cujus frumenta tument nucleis, ex quibus simila et panis in copia. Cultus idololatricus est etiam sicut ovum in quo non est spermaticum: at cultus repraesentativus genuinus est sicut ovum in quo prolificum, ex quo pullus. Ut adhuc instem comparando[1] binos illos cultus: cultus idololatricus est sicut qui per rheubismum perdidit sensum odoris et sensum saporis; hic dum admovet aliquam uvam naribus, aut instillat vinum linguae, nihil praeter tactum eorum sentit; at cultus repraesentativus genuinus est sicut qui insimul uvae odorem et vini saporem persentit, et sic fruitur usu utriusque in suavitate.

52. Quod secundus status hujus Ecclesiae fuerit Instructio, sequitur ex ordine; nam dum quis vocatur ad Ecclesiam, instruetur de praeceptis religionis secundum quae victurus est. Quod hoc post vocationem factum sit cum filiis Israelis, patet e promulgatione Legis super Monte Sinai, in qua omnia praecepta amoris et fidei[2] in Deum et omnia amoris et fidelitatis erga proximum continentur. Post instructionem de communibus vitae et fidei praeceptis, sequebatur evulgatio plurium legum quae vocabantur "judicia" et "statuta," quae erant de Sanctificatione Sabbathi, de Festis statis, de Sacrificiis, de Sacerdotio, de Tabernaculo, de Cultu sancto in illo et super altari extra illud, deque Comessatione ex sanctificatis, de Ministerio Aharonis et Filiorum ejus, deque horum Amictu, deque Consecratione

horum, et Sanctificatione omnium Tabernaculi per oleum unctionis; et porro, de Ordine Levitico, de Matrimoniis et Divortiis, de Mundationibus; de Cibis, de Asylis; praeter pluribus aliis, quae omnia fuerunt repraesentationes naturales correspondentes spiritualibus; verbo,[1] libri quatuor posteriores Mosis non sunt aliud quam libri instructionis pro illa Ecclesia. Post has instructiones filii Israelis intromissi sunt in Terram Canaanem, proinde in ipsam Ecclesiam; nam "Terra Canaan" repraesentabat et inde significabat Ecclesiam; erat etiam terra illa in meditullio totius orbis nostri, nam a parte antica spectabat Europam, a parte sinistra Africam, aque parte postica et laterali dextra Asiam. Praecepta vero per Mosen lata, postquam in Terram illam pervenerunt, locupletata sunt per Prophetas, deinde per Davidem Regem, et demum [per] Salomonem postquam Templum aedificatum est; quod constat ex Libris *Judicum*, *Samuelis*, et *Regum*. Hic itaque fuit secundus status Ecclesiae, qui fuit ejus progressio in lucem, seu dies.

53. His duobus statibus hujus Ecclesiae applicari possunt haec in Verbo:

> Jehovah "vivificabit nos post biduum, in die tertio eriget nos ut vivamus coram Ipso." Jehovah, "sicut Aurora paratus exitus Ejus, et veniet sicut pluvia nobis, sicut pluvia serotina irrigat[2] terram" (*Hosch.* vi. 2, 3);
>
> "Dixit Deus Israelis, mihi locuta est Petra Israelis. .... Ille sicut lux mane, ... mane sine nubibus" (2 *Sam.* xxiii. 3, 4).

Et apud Mosen:

> "Defluet sicut pluvia doctrina mea; stellabit sicut ros verbum meum; sicut stillae super gramen, et sicut guttae super herbam. Nomen Jehovae praedicabo; date magnitudinem Deo nostro. Petra, cujus perfectum opus, omnes viae Ejus judicium; Deus fidelitatis, non perversitas, justus et rectus Ille" (*Deutr.* xxxii. 2–4).

Ex his etiam confirmatur quod bini illi status hujus Ecclesiae fuerint a Domino nostro, qui est "Deus Israelis" et "Petra;" quod sit "Petra" liquet ex his apud Paulum,

> "Petra erat Christus" (1 *Cor.* x. 4).

54. (*iii.*) ***Quod tertius status hujus Ecclesiae fuerit Declinatio a vero Cultu repraesentativo in idololatricum, et tunc ejus Vastatio seu Vespera.***—De discrimine cultus repraesentativi et cultus idololatrici, quaedam memorabilia supra allata sunt; ex quibus conspici potest quod dum typi, figurae et

signa, quae ut objecta religionis ab hominibus [Ecclesiae] Noachicae et Israeliticae sensibus corporis captabantur, non simul ex superiore seu interiore idea, quae prope accedit ad spiritualem, spectata sunt, cultus vere repraesentativus apud illos facile ceciderit in idololatricum. Sicut pro exemplo: si de tabernaculo non simul cogitavissent sicut de caelo et Ecclesia, ac de habitaculo Dei in illis; de panibus facierum inibi, non simul sicut de pane caelesti nutricio animae; de thure et suffitu super altari aureo ibi, non simul de cultu ex fide et charitate, quod hic sicut gratus odor ascendat ad Jehovam; de luminibus in lucernis candelabri aurei accensi, non simul sicut de illuminatione intellectus in religionis illorum objectis; deque comessatione a sanctificatis, non simul ut de appropriatione ciborum caelestium, et quoque de spirituum eorum sancta refocillatione ex peractis sacrificiis; et similiter de reliquis. Exinde patet quod si homo Ecclesiae repraesentativae illa quae cultus illius fuerunt, non simul spiritu rationali illustrato per lucem caelestem a Domino, sed solum spiritu rationali instructo per lumen naturale mundi a se ipso, aspexit, facile potuerit a cultu genuino repraesentativo abripi in cultum idololatricum, et sic vastari; nam vastatio non aliud est quam deviatio, declinatio, et delapsus a cultu repraesentativo in idololatricum; qui duo cultus sunt similes quoad faciem externam, non autem quoad faciem internam. Propter proclivem hunc delapsum, ab uno cultu qui in se fuit caelestis in alterum qui in se erat infernalis, non potuerunt interiora Ecclesiae et religionis ante Adventum Domini, et tunc per lucem ab Ipso, revelari, utpote de caelo et inferno, de resurrectione, et vita spirituum eorum post mortem, deque animarum illorum immortalitate, de regeneratione, et in summa interiora de fide et charitate; quoniam illa aspexissent vix aliter quam sicut aves supra caput, aut sicut quis meteora in aere; et praeterea obvolvissent illa meris fallaciis sensuum tam dense usque ut non quicquam de revelatis spiritualibus exstaret residuum, nisi quantum ex facie apex nasi, aut ex manibus unguis digiti; et quoque deformassent illa ita ut coram angelis non apparerent aliter quam sicut monstrum marinum amictum pallio, quoad caput mitra, et quoad faciem, postquam haec rasa et colorata est, sicut simia cui facies calva est: et quoque coram

angelis apparerent sicut sculptile articulis mobilibus instructum et incavatum, intra quod aliquis vir Levita immissus ambularet, ageret, et loqueretur, et tandem clamaret turbae superstitiosae, "Prosternite vos, invocate; ecce me, Deum Larem, Tutelarem vestrum, cui sanctitas et diva potestas." Num ideae cogitationis illorum de spiritualibus Ecclesiae potuissent superiores esse ideis cogitationis Nicodemi, qui fuit doctor, de regeneratione, quod esset totius hominis renascentia in utero matris? Dixit enim,

> "Quomodo potest homo" denuo generari? "Num potest in uterum matris secundum ingredi?" Cui respondit Dominus, "Tune es magister in Israele, et haec[1] non nosti? .... Si terrena dixi vobis et non creditis, quomodo si dixero vobis supracaelestia credetis?" (*Joh.* iii. 3, 4, 9, 10[, 12].)

Similiter deliravissent si illis detecta fuissent interiora, quae in sua essentia spiritualia sunt, de fide et charitate, et quoque vita post mortem, deque statu caeli et inferni. Quapropter aperire visum internum mentis seu spiritus eorum quoad regionem superiorem ejus, quam solam lux caelestis illustrat, ante Adventum Domini, qui ut Lux venit in mundum, sicut Ipse dicit (*Joh.* i. 1–4; cap. viii. 12; cap. xii. 35, 36, 46), tam impossibile fuit sicut est facere equum volare et illum vertere in Pegasum, cervum currere in aere, vitulum super aquis; immo, sicut foret agatem convertere in rubinum, crystallum in adamantem, ac lapidi vulgari indere venam argenti; aut facere ut laurus producat uvas, cedrus olivas, populus et quercus pira et poma; proinde etiam sicut est auscultatori Davo infundere intelligentiam antistitis Oedipi.

55. Quid autem vastatio, et unde illa apud populum Ecclesiae Israeliticae, extrahi potest e locis ubi nominatur apud Prophetas, quae ideo in copia inde adducentur.

Praememorandum est quod in sequentibus et subsequentibus, quae sunt ex Verbo, per "Terram" ibi significetur Ecclesia, quia intelligitur Terra Canaan, in qua Ecclesia fuit; per "Zionem," Ecclesia quoad Verbum; per "Hierosolymam," Ecclesia quoad doctrinam e Verbo; per urbes ibi, doctrinalia; per montes, colles, valles, fluvios, formalia Ecclesiae; et per tractus terrae ibi, communia Ecclesiae, et haec secundum repraesentationem Tribus a qua possidebantur.

56. Loca e Verbo Prophetico, in quo agitur de Ecclesia Israelitica, in quibus de "vastatione," "desolatione," "confractione," et hae nominantur, et quoque "desertum," sunt sequentia :

"O habitator Hierosolymae et vir Jehudae, ... quid faciam vineae meae quod non feceram? Exspectavi ut faceret uvas, sed fecit labruscas. . . . . Ponam eam in desolationem ; non putabitur, neque sarrietur, ut ascendat vepris, ... et domus in devastationem erunt; non enim opus Jehovae introspiciunt, et factum manuum Ejus [non] vident" (*Esai.* v. 3–12);

"Pastores multi perdiderunt vineam meam, conculcarunt agrum meum, redegerunt agrum desiderii [mei] in desertum solitudinis; posuit eam in solitudinem. . . . . O desolata, desolata est tota terra, quia non ponens super cor. Super omnes colles in deserto venerunt vastatores; . . . . severunt tritica, et messuerunt spinas" (*Jerem.* xii. 10–13[1]);

"Gens ascendit super terram meam, ... et redegit vitem meam in vastitatem" (*Joel* i. 6[, 7]);

"Devastatus est ager, luxit terra, quia devastatum est frumentum, exaruit mustum, languet oleum" (*Joel* i. 10);

per "vineam" et "agrum" in his locis, ut in aliis in Verbo, significatur Ecclesia.

"In omnibus habitationibus vestris urbes devastabuntur, et excelsa desolabuntur, ut devastentur[2] et desolentur altaria vestra, ... cessentque idola vestra, et abscindantur statuae vestrae, deleanturque opera vestra" (*Ezech.* vi. 6; tum quoque videatur vers. 14[3]);

"Obliti sunt Mei populus meus, vanitati suffiverit; . . . . ut ponerent terram in vastitatem" (*Jerem.* xviii. 15, 16);

"terra" hic pro Ecclesia.

"Vastabuntur excelsa Jischaki, et sanctuaria Israelis desolabuntur" (*Amos* vii. 9);

"Abi et dic populo huic, Audite audiendo, sed non intelligite; et videte videndo, sed non cognoscite; impingua cor populi hujus, ... et oculos ejus obline." Tunc dixit Propheta, "Quousque, Adonai? Qui dixit, Usque dum devastantur urbes, ... et terra redigitur in solitudinem; multiplicabit Jehovah deserta in medio terrae" (*Esai.* vi. 9–12);

"Ecce Jehovah evacuans terram, et exinaniens illam; . . . . evacuando evacuabitur terra, . . . ex[4] eo quod transgressi sint leges[5] transcenderint statutum, irritum reddiderint foedus aeternitatis; ideo in urbe erit vastitas, et usque ad devastationem contundetur porta" (*Esai.* xxiv. 1, 3, 5, 12[6]);

"Devastatae sunt semitae, cessavit transiens viam, irritum reddidit foedus. . . . . Concipite quisquilias, parite stipulam" (*Esai.* xxxiii. 8, 11[7]);

"Tacui ab aeterno, ... desolabo et absorbebo simul. Vastabo montes et colles" (*Esai.* xlii. 14, 15);

"Destructores et devastatores tui ex te exibunt; . . . . nam quoad vastationes et desolationes tuas, et terram devastationis tuae, ... procul aberunt absorptores" (*Esai.* xlix. 17, 19);

Iniquitates vestrae fuerunt dividentes inter vos et inter Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem a vobis. .... Ova aspidis ponebant, et telas araneae texebant. .... Vastatio et confractio in semitis eorum. .... Exspectamus lucem, sed ecce tenebrae; .... palpamus[1] sicut caeci parietem, ... offendimus in meridie sicut in crepusculo" (*Esai.* lix, 2, 5, 7, 9, 10[2]);

"Urbes sanctitatis tuae factae sunt desertum, Zion facta est desertum, et Hierosolyma vastitas. Domus sanctitatis nostra .... facta est [in] incendium ignis et omnia desiderabilia nostra facta sunt in vastitatem" (*Esai.* lxiv. 9, 10 [*B. A.* 10, 11]);

"Contra Israelem rugiunt leones juvenes; .... redigunt terram ejus in vastitatem" (*Jerem.* ii. 15);

"Vae nobis, quia devastati sumus; ablue a malitia cor tuum, O Hierosolyma; .... quamdiu commorabuntur in medio tui cogitationes iniquitatis" (*Jerem.* iv. 13, 14);

"Sicut scaturire facit fons aquas suas, sic Hierosolyma facit scaturire malitiam suam. Violentia et vastatio auditur[3] in ea; .... castigationem admitte, ... ne redigam te in vastitatem. .... O filia populi mei, cinge te sacco, et volve te in cinere; .... quia subito veniet vastator super nos[4]" (*Jerem.* vi. 7, 8, 26);

"Vox lamenti audita est ex[5] Zione: Quomodo devastati sumus; eo[6] quod deseruimus[7] terram" (*Jerem.* ix. 18 [*B. A.* 19]);

"terra" pro Ecclesia.

"Tentorium meum devastatum est, et omnes funes mei[8] evulsi; .... quoniam stulti facti sunt pastores, et Jehovam non quaesiverunt" (*Jerem.* x. 20, 21);

"tentorium" pro cultu.

"Vox strepitus[9] ecce veniens, et tumultus magnus e terra septentrionis, ad redigendum urbes Jehudae in vastitatem, habitaculum draconum" (*Jerem.* x. 22[10]);

"Erit tota terra in desolationem, in devastationem" (*Jerem.* xxv. 11);

"terra" pro Ecclesia.

"Vox clamoris a Choronaim, devastatio et confractio magna. .... Veniet vastator super omnem urbem" (*Jerem.* xlviii. 3, 5, 8, 9, 15, 18);

haec de Moabo, per quem intelligitur confidentia in operibus suis et in propria intelligentia (ut[11] patet a versu 29, ibi).

"Ut careant pane et aqua, et desolentur vir et frater ejus, et contabescant propter iniquitatem eorum" (*Ezech.* iv. 17);

"panis et aqua" pro bono et vero.

"Ebrietate et tristitia impleberis, calice devastationis et desolationis" (*Ezech.* xxiii. 33[12]);

"Vae illis, quia divagati sunt; devastatio illis" (*Hosch.* vii. 13);

"Erit terra in desolationem propter habitatores suos, propter fructum operum eorum" (*Mich.* vii. 13).

(Praeter multis aliis in locis, ut *Esai.* vii. 18, 19; cap. xvii. 4–6, 9–14; cap. xxii. 4–9; cap. xxix. 10–12; cap. li. 19[13]; *Jerem.* xix. 8; cap.

xxv. 9–11, 18; cap. xliv. 2, 6, 22: *Ezech.* x. 1 ad fin.; cap. xii. 19, 20; cap. xxxiii. 24, 28, 29: *Hosch.* x. 14; cap. xii. 2[1]: *Joel* ii. 20; *Amos* v. 9: *Mich.* vi. 13, 16: *Hab.* i. 3: *Haggai* i. 4, 9: *Zach.* vii. 14; cap. xi. 2, 3.)

Ex omnibus his locis videri potest quid "vastatio" et "desolatio;" quod non sit terrae et urbium a populis, sed Ecclesiae a bonis et veris, unde non nisi quam mala et falsa.

57. (*iv.*) ***Quod quartus status hujus Ecclesiae fuerit Profanatio Sanctitatum, et tunc ejus Consummatio seu Nox.***—Vastatio et consummatio differunt inter se quemadmodum umbra vesperae et caligo noctis inter se; vastatio enim est recessio ab Ecclesia, at[2] consummatio est plenaria separatio ab illa. Vastatio itaque est sicut [dum] quis e caelo descendit sed non usque ad infernum, ac moratur in medio, stans ad utrumque lateralis; at consummatio est dum quis ita stans convertit se facie et pectore ad infernum, ac tergo et occipitio ad caelum; similiter ut factum est cum Dracone et ejus angelis dum e caelo dejecti sunt (de quibus, *Apoc.* xii.): dum pugnabant cum Michaele, in medio erant; at dum convicti, in inferno. Vastatio fit dum homo sancta Ecclesiae spectat ex falsis et falsificatis veris; at consummatio fit dum vivit in malis aut in adulteratis bonis. Sed ut adhuc evidentius comprehendatur discrimen et distinctio inter statum vastationis et statum consummationis, illustrabitur id comparationibus. Status vastationis comparari potest cum quodam horto seu luco circum templum, qui ex cultu Divino in templo ut sanctificatus aspicitur; in quo sunt potatoria, epularia, saltatoria, ac histrionica et mimica, cum spectatoribus in templi atriis et fenestris: at status consummationis comparari potest eidem horto seu luco, in quo satyri et priapi cum scortis et sagis sunt, et hae cum illis in chorea intrant templum, ac profana festiva celebrant, sicut Pythones in suis sabbathis. Status vastationis etiam comparari potest cum hostili exercitu dum suburbia civitatis obsessae intrat et regnat in illis; at status consummationis comparari potest cum eodem exercitu dum demolitus est murum et perrumpit in urbem et habitatores devotioni dat. Status vastationis etiam comparari potest cum navi super syrtibus aut fundo arenoso, quando ibi quassatur, ac educitur et inducitur, et

tunc ex periclitatione lamentantur gubernator, nauclerus et nautae; at status consummationis est quando carina navis corroditur a glarea subter, et navis tunc perfracta et perforata subsidit, et ex subundatione pereunt navarchae cum mercibus. Status vastationis comparari potest cum omni morbo qui invadit membra, viscera et organa corporis, ex quo aegrotus auguratur letum, et consulit medicum, et haurit pharmaca, et tamdiu in spe sanationis cubat in lecto; at status consummationis comparari potest eidem morbo si invadit pectus, in quo cor et pulmo ut in suo tabernaculo resident, in quod dum morbus ille penetrat, actum est de vita corporis ejus.

58. Status consummationis Ecclesiae Israeliticae describitur tam in Verbi historicis quam in ejus propheticis: in Verbi propheticis per enormia facta regum, primum Israelitarum et postea Judaeorum; per quos et sub quibus terra dicitur profanata: sed recensere illa non interest, quia nota sunt; duntaxat adducentur loca ex propheticis ubi agitur de consummatione et devastatione istius Ecclesiae. In his locis, per "terram," "Zionem," "Hierosolymam," "urbes," "montes," "colles," "valles," "fluvios," similia quae supra (n. 55), significantur.

Ex propheticis Verbi sunt haec:

"Vidi terram, et ecce vacuum et inane, et versus caelos, et non lux eorum. .... Vidi cum ecce Carmel desertum, et omnes urbes [ejus] desolatae sunt coram Jehovah. .... Quia sic dixit Jehovah, Vastitas erit tota terra; consummationem tamen non faciam; propterea lugebit terra, et atrati erunt caeli desuper. .... Tu ergo vastata, quid facies?" (*Jerem.* iv. 23-31; cap. v. 10, 18;)

"Ascendit leo e vepreto suo, et perditor gentium . . . exivit e loco suo ad redigendum terram in vastitatem; .... in die illo .... peribit cor regis, et cor principum, et obstupescent sacerdotes" (*Jerem.* iv. 7, 9);

"In die illo erit omnis locus, in quo fuerunt mille vites, ... in senticetum et vepretum, ... quia senticetum et vepretum tota terra" (*Esai.* vii. 23, 24);

"Vox clamoris pastorum, et .... potentium gregis, quia vastans Jehovah pascuum eorum[1]; unde devastatae sunt caulae pacis. Jehovah deseruit tabernaculum suum, quia redacta est terra eorum in desolationem" (*Jerem.* xxv. 36–38);

"Sicut Schilo erit domus haec, et [urbs haec]" Hierosolyma "erit devastatio" (*Jerem.* xxvi. 9; cap. xxvii. 17);

Hierosolyma et omnes urbes Jehudae erunt desolatio et devastatio in die hoc; .... "propter malitiam operum vestrorum, ... facta est terra vestra in desolationem, in stuporem, et maledictionem" (*Jerem.* xliv. 2, 6, 22);

"Terram dabo devastationem, ideo quod praevaricati sunt praevaricationem" (*Ezech.* xv. 8);

"Devastabuntur in medio terrarum devastatarum, et urbes ejus in medio urbium desolatarum. .... Tunc dabo fluvios aridam, ... terram in manum malorum, vastaboque terram et plenitudinem ejus" (*Ezech.* xxx. 7, 12);

"Obtegam, cum exstinxero te, caelos, et atrabo stellas eorum; solem nube obtegam, et luna non lucere faciet lumen suum; .... et dabo tenebras super terram, ... cum adduxero confractionem tui" (*Ezech.* xxxii. 7–9);

similiter sicut Dominus praedixit de consummatione Ecclesiae Christianae hodiernae (*Matth.* xxiv. 29).

"Dabo montem Seir in vastitatem et devastationem; .... vastitates aeternitatis dabo te" (*Ezech.* xxxv. 3, 4, 7, 9, 12, 14, 15);

"In die illo efferent super vos proverbium, ... et dicent, Vastando vastati sumus" (*Mich.* ii.[1] 4);

"Timor et fovea contigit nobis, devastatio et confractio" (*Thren.* iii. 47[2]);

Mons Zionis "vastatus est" (*Thren.* v. 18);

"Consummata est iniquitas tua, filia Zionis" (*Thren.* iv. 22);

"Vae genti peccatrici, [populo] gravi iniquitate; .... provocarunt Sanctum Israelis. .... A vola pedis usque ad caput non est integritas. .... Terra vestra solitudo .... Relicta est filia Zionis sicut tentorium in vinea, ... sicut urbs obsessa" (*Esai.* i. 4–9, seq.);

"Quid facietis die visitationis et devastationis? .... Consummatio est definita, inundata est justitia; nam[3] consummationem et decisionem Adonai Jehovih faciens in tota terra" (*Esai.* x. 3,[4] seq., 22, 23);

"Consummationem et decisionem audivi a cum Adonai Jehovih Zebaoth super universam terram[5]" (*Esai.* xxviii. 22);

Propheta cecidit super facies et dixit, "Adonai Jehovih, consummationem Tu faciens reliquiis Israelis" (*Ezech.* xi. 13);

"Sanctuarium meum profanatum est, et terra Israelis devastata est" (*Ezech.* xxv. 3);

Etiam [si] Noach, Daniel et Hiob fuerint "in medio ejus, ... illi soli eripientur, terra autem fiet desolatio" (*Ezech.* xiv. 16).

Ultimum consummationis Ecclesiae Israeliticae et Judaicae peractum est quando Dominus noster Salvator, postquam accepit spongiam aceti, super cruce exclamavit,

"Consummatum est" (*Joh.* xix. 29, 30);

nam dicitur apud Davidem,

"Dederunt in cibum meum fel, et in siti mea potarunt Me aceto; .... sit habitatio eorum devastata" (*Psalm.* lxix. 22, 26 [*B. A.* 21, 25]).

Et alibi:

"Sine causa occultarunt Mihi foveam retis, sine causa foderunt animae meae. Veniat ei devastatio, antequam sciat; .... in devastationem incidat. .... Reduc animam meam a devastatoribus eorum, et a juvencis leonum unicam meam," hoc est, Ecclesiam (*Psalm.* xxxv. 7, 8, 17);

"Dabo[1] Hierosolymam in acervos, habitaculum draconum; urbes Jehudae redigam in vastitatem. .... Ecce Ego cibans eos, populum hunc, absinthio; et potabo eos aquis fellis" (*Jerem.* ix. 9–15 [*B. A.* 10–16]).

Consummatio plenaria post hoc describitur apud *Hoscheam* ita:

"Dies multos sedebunt filii Israelis; non rex, non princeps, non sacrificium, non statua, non ephodum, et non teraphim" (cap. iii. 4).

Talis status illorum est hodie. Plura adducere non vacat. Citabuntur solum loca in quibus vastatio, desolatio, et consummatio hujus Ecclesiae adhuc nominantur:

Ut *Esai.* ix. 12–20 [*B. A.* 13–21]; cap. xxii. 4–14: *Jerem.* vii. 31–34; cap. xxv. 33; cap. xlvii. 4: *Ezech.* xiii. 14, 15; cap. xiv. 8, 15; cap. xix. 7; cap. xxv. 12, 13; cap. xxvi. 2; cap. xxix[2] 9, 10, 12; cap. xxxii. 12, 15: *Joel* i. 15–20; cap. ii. 3; cap. iv. 19 [*B. A.* iii. 19]: *Nahum* i. 8, 9: *Zeph.* i. 15[3]; cap. ii. 9: *Thren.* i. 16: *Psalm.* lxxiii. 17–19; *Psalm.* lxxiv. 3.

Devastati etiam vocantur

"Confossi" (*Ezech.* xi. 6, 7; cap. xxi. 30, 34; cap. xxvi. 6[, 15]; cap. xxviii. 8, 23; cap. xxxi. 17, 18; cap. xxxii. 20–24, 28–32; cap. xxxv. 8: *Zeph.* ii. 12: *Thren.* iv. 9: *Psalm.* lxix. 27[4] [*B. A.* 26]; et alibi);

"confossi" dicuntur, quia "gladius," per quem fit, significat falsum destruens verum.

59. (*v.*) ***Quod ante hunc statum, et post illum, facta sit Promissio Adventus Domini Jehovih in mundum, et tunc novae Ecclesiae, in qua regnatura sunt justitia et judicium.***—Notum est ex lectione verbi Prophetici veteris Testamenti quod multis in locis ibi praedictus sit Adventus Domini nostri, tum etiam quod Dominus ibi insignitus sit variis nominibus, ut quod vocatus sit "Jehovah Zebaoth," "Jehovah Justitia nostra," "Jehovah Salvator et Redemptor noster," "Dominus Jehovih," "Adonajus," "Immanuel" seu "Deus nobiscum," "Deus Israelis," "Sanctus Israelis," "Petra Israelis," "Messias" seu "Unctus Jehovae," "Rex," "David," "Fortis Jacobi," "Pastor Israelis," "Pontifex," "Sacerdos ad modum Melchizedechi," "Filius Dei," "Filius Hominis," "Angelus Jehovae," "Angelus Foederis," "Maximus Propheta," "Schiloh;" et apud *Esaiam*, "Consiliarius," "Princeps Pacis," "Pater Aeternitatis;" et in Novo Foedere, "Jesus

Christus," et "Filius Dei." Quod Adventus Domini nostri in perplurimis locis apud Prophetas praedictus sit, ex allegatione praedictionum in sequentibus videbitur. Sed quaeritur cur tam frequens praedictio de Adventu Ipsius facta est: fuerunt plures causae, quaedam spectantes Populum Israeliticum et Judaicum, quaedam spectantes Populum Christianum post illos. Sed recensebimus causas spectantes imprimis Populum Israeliticum et Judaicum. *Prima* erat, ut per nominationem et recordationem Ipsius, in cultu interiori Jehovae continerentur, quoniam absque illo non fuit ingressus Jehovae ad aliquem ex illis, neque accessus ullius ex illis ad Jehovam. Simile erat tunc ut est hodie,

> Quod Deum Patrem "nemo viderit; Unigenitus Filius, qui in sinu Patris est, Ille exposuit" (*Joh.* i. 18; cap. v. 37);

tum,

> "Nemo venit ad Patrem nisi per Me" (*Joh.* xiv. 6).

Secunda causa spectans Populum illum, fuit, quod typi repraesentativi Ecclesiae illorum, qui omnes spectabant Dominum nostrum et Ecclesiam ab Ipso post Adventum Ipsius instaurandam, inservirent illis ut totidem indices et symbola cultus illorum; consequenter, ut cum venisset[1] agnoscerent Ipsum, et sinerent se introduci in interna cultus Ipsius, et una cum gentibus quae circum illos erant, fierent Christiani. *Tertia causa* fuit, ut per recordationem Adventus Ipsius, aliquid notionis seu ideae de resurrectione et de vita aeterna cogitationes illorum intraret. Quis enim ex illis non potuisset interius in se seu corde cogitare, "Quid nobis cum Messia, postquam mortui sumus, nisi reverteremur tunc, videremus gloriam Ipsius, et regnaremus cum Ipso?" Inde religiosum illorum scaturivit quod eo tempore resurrecturi sint, quisque ex suo sepulcro, et in Terram Canaanem redituri. *Quarta causa* fuit, ut in statu vastationis et oppressionis illorum, quando in tentationibus et afflictionibus erant, sublevarentur et sanarentur,

> Sicut patres et fratres eorum in deserto (*Num.* xxi. 1–9[2]; *Joh.* iii. 14, 15);

nam absque illa sublevatione et sanatione potuissent scandala conjicere in Jehovam, et a cultu Ipsius repraesentativo

ad idololatricum turmatim abscedere. Tentationes enim et afflictiones in statu vastationis et oppressionis, non sunt nisi quam pugnae Domini cum Diabolo de homine, hoc est, de anima ejus, quis illam possessurus; et de eo statu dici potest quod Deus Israelis seu Dominus Messias stet ab uno latere, ac Beelzebub et Serpens Diabolus ab altero; et quod hic sicut flumen ex ore suo ejiciat scandala contra Dominum, ac Dominus avertat et tollat illa, et sic hominem liberet a captivitate et servitute spirituali; haec pugna sentitur in homine sicut ab illo. Quod tentatio talis sit[1] pugna, et talis perceptio ab homine, et inde co-operatio, possum juramento testari, saepius enim expertus novi illam.[2] Quod fiat extra hominem, et sentiatur in illo sicut ab ipso, et quod homo stans in medio, et co-operetur, est ob finem ut imputetur ei merces dum vincit; sed ille homo solum vincit qui spectat ad Dominum et confidet sibi opem ab Ipso solo. Quod unusquisque qui in tentationibus sibi quaerit ad Dominum, vincat, et quod alioqui succumbat, illustrabitur per comparationes. Est sicut navis prope scopulos jactata procellis; nisi nauclerus tunc ex sua peritia sciat avertere illam, et convertere ad exitum et sic ad portum, periret. Est sicut urbs obsessa ab hostibus; nisi sit alicubi evasio aut auxilium, dux cum milite fit exspes et excors, et se illis offert captivum, et vitam suam relinquit arbitratui illorum. Est sicut quis, dum peregrinatur, inopinato intrat casam ubi latrones, nisi dum inclusus est amicus veniat[3] ac pulset januam, aut sistat se conspicuum ad fenestram, et sic nebulones illos terrificet, et avertat a flagitio. Est sicut quis incidit in speluncam, ubi ursus cum catulis, aut in foveam ubi sunt lupus et leopardus, si non ejus pater aut frater, haec videns, subito ad illum demittat scalam aut funem, et inde elevet illum. Est sicut qui in opaco nimbo interdiu stat aut ambulat, et inde non scit quo se vertat, nisi accendat sibi lucernam, et sic aperiat sibi locum ubi stat aut viam qua[4] ambulet. Est sicut in media hieme est, et tunc in penuria annonae, nisi tunc nutriat illos spes venturae messis recurrente sole. Similiter sicut quis in media nocte in silva errat, nisi se refocillet spe lucis, et in spe illa cubitum it, et tranquille dormit usque ad matutinam. Est quoque sicut quis salutis causa desiderat instrui in illis quae Christianae Religionis sunt,

et offendit doctores mitratos, et magistros laureatos, qui exponunt illa terminis ex arte metaphysica commodatis, ac involvunt illa mysticis, nisi quis alius discindat vocabula illa, et sic implicata extricet, et ex Verbo, ita ex Domino, sancta Ecclesiae emitteret in claram lucem. Annon alioqui falsitatibus de fide et in reliquis dogmatibus, quae a statuta fide sicut unci catenae a stato et affixo pariete capite continenter pendent, incantaretur? Similiter foret in tentationibus, et tunc infestationibus a satanis, nisi confidenter aspiceret Dominum, et ab Ipso solo omnem liberationis operam et opem satageret. Propter has causas toties in Verbo Vetere Prophetico, praedictus est Adventus Domini, et quod propter easdem causas in Verbo Novo Evangelico et Apostolico praedicatus est Dominus, et secundus Ipsius Adventus praedictus; de quo in sequentibus.

60. Sequentur nunc Collecta de Adventu Domini, ex prophetiis Verbi Veteris, quae sunt [haec]:

Jehovah Deus dixit, "Ecce veni; in volumine Libri scriptum est de Me" (*Psalm.* xl. 8 [*B. A.* 7]);

"Jehovah Deus dixit Serpenti, ... Maledictus esto. .... Inimicitiam ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et Semen ejus, et Hoc conculcabit tibi caput, tu autem laedes calcaneum" (*Gen.* iii. [14,] 15);

"Non recedet sceptrum a Jehudah, nec legislator ab inter pedes ejus, usque dum veniat Schiloh; Huic adhaesio populorum" (*Gen.* xlix. 9–12);

in prophetico Israelis Patris de filiis suis.

"Orietur Stella ex Jacobo, et surget Sceptrum ex Israele" (*Num.* xxiv. 17);

"Prophetam e medio, de fratribus tuis, sicut me, excitabit tibi Jehovah Deus tuus; Huic obedietis. .... Et dabo verba mea in ore Ejus. .... Unde fiet quod vir qui non obediverit verbis" Ejus, "Ego quaeram cum illo" (*Deutr.* xviii. 15–19);

"Dat Adonai Ipse vobis signum; Ecce Virgo concipiet et pariet Filium, et vocabit nomen, Deus nobiscum[1]" (*Esai.* vii. 14);

"Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, super cujus humero Principatus; vocabitur Nomen Ejus Mirabilis, Consilarius, *Deus*, Heros, Pater aeternitatis, Princeps pacis. Multiplicanti principatum non erit finis" (*Esai.* ix. 5, 6 [*B. A.* 6, 7]);

"Exibit Virga de trunco Jischaji, et surculus e radice ejus fructum feret. Quiescet super Eo spiritus sapientiae et intelligentiae, spiritus concilii et virtutis" (*Esai.* xi. 1–5);

"In die illo Radicem Jischaji, quae stans in signum populorum, gentes quaerent, et erit quies Ejus gloria" (*Esai.* xi. 10);

"Mittite agnum Dominatoris terrae de petra versus desertum; .... firmatus est per misericordiam thronus Ejus, et sedit[2] super eo in veritate in tabernaculo Davidis, judicans et quaerens judicium et festinans justitiam" (*Esai.* xvi. 1, 5);

"Dicetur in die illo, Ecce Deus noster Hic, quem exspectavimus, ut liberet nos; Hic Jehovah quem exspectavimus; exultemus et laetemur in salute Ipsius" (*Esai.* xxv. 9; cap. xxvi. 8, 9);

"Vox clamantis in deserto, Parate viam Jehovae, complanate in solitudine semitam Deo nostro. .... Revelabitur gloria Jehovae, et videbunt omnis caro simul" (*Esai.* xl. 3, 5[1]);

"Super montem altum ascende, evangelizatrix Zion; extolle cum virtute vocem tuam, evangelizatrix Hierosolyma; ....dic urbibus Jehudae, Ecce Deus vester. Ecce Adonai Jehovih in forti venit, et brachium Ejus dominabitur Ipsi; ecce, merces Ejus cum Ipso. .... Sicut pastor gregem suum pascet, in brachium suum colliget agnos, et in gremio suo portabit, lactentes leniter ducet" (*Esai.* xl. 9[2]–11);

"Cognoscet populus meus nomen meum in die illo, nam Ego Ille qui loquens, Ecce Me. Quam jucundi sunt super montibus pedes evangelizantis, audire facientis pacem, evangelizantis bonum, audire facientis salutem, dicentis Zioni, Regnat Deus[3] tuus. .... Tollent vocem et cantabunt, cum oculo ad oculum viderint quod revertatur Jehovah Zionem. Consolatus est [Jehovah] populum suum, redemit Hierosolymam; .... viderunt[4] omnes fines terrae salutem Dei nostri" (*Esai.* lii. 6–12);

"Dicite filiae Zionis, Ecce Salus tua venit; merces Ejus cum Illo, et pretium operae coram Ipso" (*Esai.* lxii. 11);

"Jubila et laetare, filia Zionis; ecce Ego veniens, ut habitem in medio tui. .... Tunc adhaerebunt gentes multae Jehovae" (*Zach.* ii. 14, 15[5] [*B. A.* 10, 11]).;

"Exulta valde, filia Zionis; clange, filia Hierosolymae; ecce Rex tuus venit tibi, justus" (*Zach.* ix. 9);

"Ecce dies venient .... cum suscitabo Davidi Germen justum, qui regnabit Rex et prosperabitur, facietque judicium et justitiam in terra; .... et hoc nomen Ipsius, ... Jehovah Justitia nostra" (*Jerem.* xxiii. 5, 6; cap. xxxiii. 15, 16);

"Ecce Ego mittens angelum meum, qui parabit viam ante Me; et subito veniet ad templum suum Dominus quem vos quaeritis, et Angelus[6] foederis quem vos desideratis; ecce veniet" (*Mal.* iii. 1[7]);

"Tu Bethlechem Ephrataea, parum est ut sis inter millenas Jehudae; ex te Mihi exibit qui erit Dominator in Israele, et cujus exitus ab antiquo, a diebus aeternitatis; .... stabit et pascet in robore Jehovae, ... et crescet usque ad fines terrae" (*Mich.* v. 1, 3 [*B. A.* 2, 4]);

"Ego inungo Regem meum super Zionem .... Annuntiabo de statuto, Jehovah dicit ad Me, Filius meus Tu, Ego hodie genui Te; pete a Me, et dabo gentes haereditatem tuam; et posessionem tuam fines terrae. .... Osculamini Filium, ne irascatur, et pereatis in via; .... beati omnes confidentes in Ipso" (*Psalm.* ii[8] 6–12);

"Ecce Deus salutis meae, confidam et non timebo. .... Exclama et jubila, habitatrix Zionis, quia magnus in medio tui Sanctus Israelis" (*Esai.* xii. 2, 6[9]);

"In die illo respiciet homo ad Factorem suum, et oculi ejus ad Sanctum Israelis spectabunt" (*Esai.* xvii. 7);

"Vinea fuit Dilecto meo in cornu [filii] olei" (*Esai.* v. 1[10]);

"Jehovah Zebaoth, Hunc sanctificabitis, ... erit in sanctuarium, licet in lapidem impulsus, et in petram offendiculi, ... et in laqueum et in tendiculam[11] habitatori Hierosolymae" (*Esai.* viii. 13, 14; *Matt.* xxi. 42–44; *Luc.* xx. 17, 18);

"Populus ambulantes in tenebris viderunt[12] Lucem magnam; habitantes in terra umbrae mortis Lux effulsit[13] super eos" (*Esai.* ix. 1[14] [*B. A.* 2]);

"[E] Zione....Deus effulgebit. Veniet Deus noster, et non tacebit" (*Psalm.* l. 2, 3);

"Adhuc visio in tempus constitutum, et effatur in finem, non tamen mentietur; si morabitur[1] exspecta Illum, quia veniendo veniet, non procrastinabitur" (*Hab.* ii[2] 3);

"Jehovah, audivi famam tuam; reveritus sum, Jehovah, opus tuum; in medio annorum praesens fac illud. .... Deus e Themane veniet, et Sanctus de monte Paran. .... Texit caelos honor Ejus, et laude Ejus impleta est terra. Splendor Ejus sicut lux érit, radii e manu Ejus Ipsi, et ibi occultatio roboris Ipsius" (*Hab.* iii. 2, 3, 4, 13, 18, 19);

"Sic dixit Adonai Jehovih, Ecce Ego [qui] fundabit in Zione lapidem, lapidem probationis, angulum pretii, fundationis fundatae[3]; .... tunc ponam judicium in regulam, et justitiam in perpendiculum" (*Esai.* xxviii. 16, 17).

Describitur Dominus quoad Verbum, apparens super expanso cheruborum, et vocatur

"Adonai Jehovih" (*Ezech.* i. 26–28; cap. ii. 4; iii. 11, 27; cap. iv. 14; cap. v, 7, 11; cap. vi. 3, 11[4]; cap. vii. 2, 5; cap. viii. 1[5]).

Apud *Esaiam* in toto capite liii., agitur de Domino, et describitur status vitae Ipsius in mundo, per haec:

Quod non fuerit forma Illi, neque honor ([vers. 1, 2]);
Quod contemptus et non reputatus ([vers. 3]);
Quod confossus ob praevaricationes nostras, [et] contusus ob iniquitates nostras ([vers. 4, 5]);
Quod Jehovah incurrere fecerit in Ipsum iniquitates omnium nostrum ([vers. 6]);
Quod sicut Agnus ad mactationem ductus ([vers. 7]);
Quod excisus e terra viventium ([vers. 8, 9]);
Quod quia posuit animam reatum suum, prolongarentur dies Ejus ([vers. 10]);
Et [quod] pro eis exinaniverit ad mortem usque animam suam ([vers. 11, 12]);
Quod cum praevaricatoribus numeratus sit, et pro praevaricatoribus intercesserit ([vers. 12]).

"Ego excitavi Illum in justitia; .... Ille aedificabit urbem meam, et captivitatem meam dimittet, non pretio, neque munere. .... Profecto Tu Deus occultus, Deus Israelis, Salvator" (*Esai.* xlv. 13, 15[6]);

"Appropinquare feci Justitiam meam, ... et Salus mea non morabitur" ([*Esai.* xlvi. 13]);

"Quoad Redemptorem nostrum, Jehovah Zebaoth nomen Ejus, et Sanctus Israelis" (*Esai.* xlvii. 4[7]);

"Jehovah, Domine noster, quam magnificum est Nomen tuum in universa terra, cui dare[8] honorem super caelos .... Carere Eum fecisti paululum prae angelis sed gloria et honore coronasti Eum. Dominari fecisti Eum super opera manuum tuarum; omnia posuisti sub pedes Ipsius" (*Psalm.* viii. 2, 6, 7, 10 [*B. A.* 1, 5, 6, 9]);

"Deus .... descendet sicut pluvia super herbam, ... et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad fines terrae. Coram Ipso incurvabunt se barbari, et hostes Ejus pulverem lambent. Reges Tharschisch et insularum munus suum adducent, reges Schebae et Sebae donum suum adferent. Incurvabunt se Ipsi om-

nes reges, omnes gentes servient Ipsi; quia liberabit miserum, cui non auxilians. .... A dolo et violentia redimet[1] animam eorum. .... Erit nomen Ipsius in aeternum; ante solem nomen Filii habebit, et benedicentur in Eo. .... Benedictus [Jehovah] Deus, Deus Israelis; .... benedictum nomen gloriae Ipsius; .... implebitur gloria Ipsius omnis[2] terra. Amen et Amen" (*Psalm.* lxxii. 1–19).

"Pepigi[3] foedus Electo meo: .... In aeternum usque firmabo semen tuum, et aedificabo in generationem et generationem thronum tuum; .... et confitebuntur caeli miracula tua" (*Psalm.* lxxxix. 4, 5, 6 [*B. A.* 3, 4, 5).

* * * * * * * * * * * * *

[*Cetera desunt.*]

INVITATIO AD NOVAM ECCLESIAM.

[I.]—QUOD NON VERE ECCLESIA SIT NISI UNUS DEUS SIT, ET ILLE JEHOVAH DEUS SUB FORMA HUMANA.
ET SIC QUOD DEUS SIT HOMO, ET HOMO DEUS.

[II.]—QUOD DOCTRINALIA QUAE CONTINENTUR IN "VERA CHRISTIANA RELIGIONE" CONCORDANT CUM DOCTRINALIBUS ECCLESIAE ROMANO-CATHOLICAE, ET CUM DOCTRINALIBUS PROTESTANTIUM, QUI AGNOSCUNT UNIONEM PERSONALEM IN CHRISTO, ET ADEUNT CHRISTUM, ET DUAS SPECIES IN EUCHARISTIA SUMUNT.

[III.]—QUOD NUNC PRIMUM VERA ILLA ECCLESIAE, ET NON PRIUS, CAUSAE VARIAE; INTER QUAS QUOD NOVA ECCLESIA NON INSTAURETUR PRIUS QUAM IN CONSUMMATIONE PRIORIS.

[IV.]—PROVIDENTIA DIVINA DE ILLA :—

EX HAERESIBUS SPARSIS POST TEMPUS APOSTOLORUM.
CUR ROMANA ECCLESIA;
CUR SEPARATIO EX ILLA, CAUSAE;
[[1]SICUT A] MATRE NON DIGNA.
CUR SEPARATIO GRAECAE A ROMANA.

[V.]—DE MIRACULIS, QUOD ECCLESIAM DESTRUXERINT, VARIA (et a Domini verbis, *Matth.* xxiv.).

[VI.]—QUOD OMNIA EO TETENDERINT, UT HOMINES, QUI DICTI SANCTI, INVOCARENTUR.

[VII.]—QUOD HAEC ECCLESIA INSTAURATA ET CONSTABILITA NON SIT PER MIRACULA, SED PER REVELATIONEM SENSUS SPIRITUALIS [VERBI], ET PER INTRODUCTIONEM SPIRITUS ET SIMUL [2]CORPORIS MEI IN MUNDUM SPIRITUALEM, UT IBI SCIREM QUID CAELUM ET INFERNUM, ET IMMEDIATE IN LUCE A DOMINO HAURIREM VERITATES FIDEI, PER QUAS HOMO DUCITUR AD VITAM AETERNAM.

[VIII.]—De Adventu Domini (ex Verbo et ex *Symbolis*).

[IX.]—Invitatio ad Novam Ecclesiam, ut Domino obviam eant (ex *Apoc.* xxi., xxii.; et ex cap. i.; etc., etc.).

[X.]—Quod posthac non dicendi sint Evangelici, Reformati, minus Lutherani et Calvinistae, sed Christiani.

[XI.]—De Miraculis plura.

(1.) Quod in Christo Jesu Homo sit Deus, et Deus Homo, patet evidenter ex Domini verbis ad suum Patrem,

"Omnia tua mea sunt, et omnia mea tua" (*Joh.* xvii. 10).

Ex "Omnia mea tua sunt," patet quod Homo sit Deus; et ex "Omnia tua mea sunt," quod Deus sit Homo.

(2.) Quod dum homo regeneratur, lux caeli indatur luci naturali, et simul calor caeli; quae faciunt sicut novam animam, per quam a Domino homo formatur. Quod illa lux et ille calor indatur per mentem superiorem, quae vocatur mens spiritualis; ex qua insitione seu insertione homo fit nova creatura, [et] fit illuminatior et intelligentior in rebus Ecclesiae, [1]ita in lectione Verbi; et hoc est novus intellectus et nova voluntas. Per hanc lucem et hunc calorem ducitur postea homo a Domino, et fit a naturali spiritualis.

(3.) Datur adhuc superior seu interior lux et calor, qui vocatur caelestis; qui inseritur et inditur in priori spirituali. In illo sunt angeli tertii caeli, qui caelestes vocantur.

(4.) De insertione, per comparationem agi potest: per comparationem cum insitione et inoculatione arborum, quod insita recipiat intus in se secundum suam formam, etc.

(5.) Demonstretur manifeste quod absque Adventu Domini nemo regenerari et inde [2]salvari potuerit, et quod hoc sit quod "Agnus tollat peccata mundi." Hoc constare potest ex statu mundi spiritualis ante Adventum Domini; quod talis fuerit ut non aliquod verum fidei nec bonum

charitatis a Domino ad hominem pervenire potuerit. *(Illustretur per influxum veri et boni in malos spiritus, in occipitia illorum, etc.)*

(6.) Quod miracula occludant internum hominem, et auferant omne liberum arbitrium, per quod et in quo homo regeneratur; et liberum arbitrium est proprie [1]interni hominis: quo occluso, homo fit externus et naturalis, qui non videt aliquod verum spirituale; [2]et sunt miracula sicut vela et obices ne quicquam intret; sed hic obex seu hoc repagulum successive rumpitur, et [3]dissipantur omnia vera.

(7.) Ab Ecclesia hodierna dicitur quod fides intret per auditum Verbi, secundum Paulum; et aliqui addunt quandam meditationem ex Verbo. Sed hoc intelligendum est, quod veritates ex Verbo hauriendae sint, et secundum illas vivendum: et tum homo adit Dominum, qui est Verbum et Veritas, [et] accipit fidem; nam omnes et singulae veritates [sunt] ex Verbo, quod [4]est lux spiritualis: ita comparatur fides, quoniam fides est veri, et verum est fidei, et non aliud credendum est quam verum.

(8.) Quod sint innumerabilia mala intus in homine, immo [5]in singulis concupiscentiis innumerabilia; quaevis concupiscentia quae ad hominis cognitionem apparet, est glomus et acervus multiplicium: haec homo non videt, sed solum glomum [6]hunc; quare dum homo per paenitentiam hunc removet, Dominus, qui videt interiora et intima hominum, [7]illa removet: quare nisi homo adeat Dominum, frustra laborat se indemnisare. Est cum hoc sicut cum illis quae scripta sunt in *Memorabili de Testudinibus.*

(9.) Quod homo qui se prorsus confirmavit in hodiernae Ecclesiae fide et doctrina, possit nihili facere paenitentiam, [et] legem Decalogi, [8]cum opera et charitatem; [9]potest enim dicere, "[10]Non possum bona facere a me; sunt illa in fide, ex qua [11]sponte prostant, praeter quod sciam;" praeter plura. Inde etiam est naturalismus hodie regnans.

(10.) Quod "plenitudo temporis" [12]significet consum-

mationem et desolationem, causa est, quia "tempus" significat statum Ecclesiae

(Ut *Apoc.* x. 6; et apud *Ezech.* [xxx. 3]);

tum [idem] per "tempus, tempora, et dimidium [1]temporis" [significatur]

[(*Apoc.* xii. 14: *Dan.* vii. 25; xii. 7)].

Tempora in mundo sunt ver, aestas, autumnus; illorum plenitudo est hiems: tempora quoad lucem sunt mane, meridies, vespera; illorum plenitudo est nox, etc. Hoc intelligitur per quod Dominus venturus sit "in plenitudine temporis" vel "temporum;" hoc est, quando non aliquod verum fidei et bonum charitatis residuum erit.

(De "plenitudine temporis," [videantur] *Rom.* xi. 12, 25: *Gal.* iv. 4: imprimis *Ephes.* i. 9, 10: *Gen.* xv. 16.)

(11.) Quod praesentia amoris Domini sit apud illos qui in fide in Ipsum sunt [2]hoc clare intelligi potest ex eo, quod de amore nec de fide praedicari possit locus, est enim utraque spiritualis. Quod Ipse Dominus praesens sit, patet ex [3]hoc, quod [4]spiritualis amor nec locum habeat; [5]neque apud me fuit, quoties in idea ejus fui. Verbo, [6]in spirituali mundo est praesentia secundum amorem. Quare [Dominus] est omnipraesens; [7]tamen non est motivus; est in loco, sed non per locum; et in spatio et [8]extenso, sed non per spatium et [9]extensum.

(12.) Desolatio veri Ecclesiae comparari potest cum consummationibus in terris, quod calor et omnia illa [tempora (vide supra, n. 10)] [10]consummentur per hiemem, et quod tunc ver; quod lux in terris [11]consummetur per noctem, et quod tunc mane. Quare etiam dixit Dominus in *Apocalypsi* ad illos sub altari,

["Ut requiescerent adhuc tempus parvum, usque dum complentur et conservi eorum et fratres eorum, qui futuri occidi sicut illi"] (vi. 9, 10, 11).

(*Afferantur plura ex Apocalypsi, quod devastata sit Ecclesia,* [12]*ejus usque ad ultimum.*)

(13.) Quod hodie non sciatur unio animae et corporis, [13]probat hypothesis eruditorum de anima, imprimis Cartesii

[1]aliorumque, quod sit substantia separata a corpore, [2]in quodam loco et ubi; [3]cum tamen illa est intimus homo, ita homo a capite ad [4]calcem. Est inde quod sit in toto et in omni ejus parte, secundum antiquos; et quod [5]in parte ubi non anima est intime, ibi [6]non sit vita hominis. Ex unione est quod omnia animae sint corporis, et omnia corporis sint animae; sicut Dominus dicit de suo Patre, quod omnia sua Ipsius sint, et omnia Ipsius sua. Inde est quod Dominus quoad carnem etiam sit Deus (*Rom.* ix. 5; *Coloss.* ii. 9); tum quod [diceret],

"Pater in Me," et "Ego in Patre" [(*Joh.* xiv. 10, 11)],

[ita] quod unum sint.

(14.) Mens humana est trium graduum, qui sunt caelestis, spiritualis et naturalis. In primo gradu est anima, in secundo est spiritus seu mens, in tertio est corpus. Idem est sive dicas quod mens hominis sit trium graduum, sive ipse homo; nam mens dicitur id corporis quod in principiis est, ita ubi primum ejus; reliqua sunt inde propagata et continuata. Quid mens si solum in capite, nisi sicut separatum aut [7]divulsum quid, in quo non mens per continuum datur? Haec autopsia declarentur:—Origines fibrarum sunt glandulae ita nominatae substantiae [8]corticalis; inde procedunt fibrae; et hae confasciatae in nervos descendunt et pertranseunt totum corpus, et id concinnant et construunt. Caelestis gradus, in quo anima seu intimus homo, est in specie amoris; spiritualis gradus, in quo mens seu spiritus, qui est medius homo, est in specie sapientiae ex amore; tertius gradus, in quo est corpus, quod est ultimus homo, est utriusque continens; duo priores gradus absque hoc non [9]subsisterent. Haec possunt ulterius demonstrari ex tribus caelis,—ex caelesti, spirituali, et naturali,—[10]ubi tales homines sunt: quare angeli superiorum caelorum angelis inferiorum inconspicui sunt, dum ex caelis suis adeuntur.

(15.) Ex his etiam potest in luce videri quod per animam corpus existat, sicut arbor ex suo semine; inde etiam arbor qualitatem suam ex semine trahit. Dum itaque anima [11]est Christi ex Divina essentia [12]sua, sequitur quod etiam corpus.

(16.) Quod omnes theologi contionatores non sciant

aliquid de falsis suae religionis; contionantur enim quod Deus unus sit, quod Salvator adorandus, quod sic homo credere debeat Verbo et praedicationibus, quod charitatem exercere debeat, [et] paenitentiam [1]agere ut desistat a malis; et tunc nihil recordantur de tribus Diis, de fide sua mystica, de impotentia in spiritualibus, [2]et de reliquis omnibus. Sed sciant quod falsum in scholis haustum intus haereat, et solum illa in ore, et quod post mortem [3]venient in interiora spiritus; quare illa falsa omnino eradicanda sunt: [4]atque in ore haerent sicut barba super mentum; [5]et postea, sicut solet, abscinditur, et fit imberbis.

(17.) Quod omnia quae sacerdotes praedicant ex Verbo de fide, quod credendum sit in Deum, de charitate erga proximum, de conversione, de paenitentia, [6]ac inde vita pietatis et spiritualis, cadant [7]sicut in situlam, quando orthodoxia intrat et explicat illa; tunc [8]subruunt illa sicut [9]qui destruunt aedem aut domum, usque ut non nisi rudera maneant: et dicunt non vera esse, nisi ita [10]crederes. "[11]Quid charitas faciat? paenitentia?" etc. Ipsum Verbum cadit: etc. [12]Est sicut qui subruit murum per fossas sub illo; [13]subruuntur omnia.

(18.) Afferatur unum exemplum, [14]ubi pie praedicatur ex Verbo de illis, [15]et affertur orthodoxia sua ad illa, [16]et videbis quod [vera sint] omnia quae viderim et dixerim. (*Exemplum illustrabit. . . . . . .*) Ita affirmant et tum negant, si orthodoxia est in interno homine, et [17]supradictum praedicatur in externo; remanens tunc externum est nihili, et fit flocci: fit sicut terrae motus; sicut aqua, fracta navi infra.

(19.) Exemplum etiam concinnum fiat ex vera orthodoxia de Fide, de Charitate, de Libero Arbitrio; ex quo exemplo manifeste patebit quod absurda.

(20.) Quod spiritualia caeli influant in omnem hominem, et [naturalia] influant per mundum, ita in luce [18]confirmatur; sic ut spiritualia et naturalia conjunctim influant: sed quod malus homo utrumque [19]subinvertat; illud quod intus est, ponit extus in sua mente; et quod extus est, ponit intus; sic ut [20]mundus [sit] supra caelum, seu caelum [21]infra mundum: at pius et bonus homo recipit utrumque in suo

ordine quo [1]influit; nempe spiritualia per caelum supra in mente, ac naturalia per mundum infra. Hic homo stat erectus super pedibus; ille autem sicut inversus.

(21.) Quod universa theologia hodierna [2]non aliud sit quam omnipotentia Divina. [3]Dicitur, 1. Quod det fidem ubi et cui vult. 2. Quod remittat peccata. 3. Quod regeneret. 4. Quod sanctificet; 5. imputet, et salvet. 6. Quod excitabit cadavera e sepulcris, vivificabit sceleta, et illis indet animas eorum priores. 7. Quod mundum, cum sole, astris, planetis, telluribus, destruet, et novum creabit. 8. Cum omnipotentia est omne, et ordo qui est Deus et a Deo in universo mundo, [4]sequitur quod homo Ecclesiae possit fingere quicquid [5]velit; et se usque supra [6]aeterna elevare, hoc est, supra rationem, et ubicunque vult contra rationem, et dicere quod "ratio captanda sit sub obedientia fidei nostrae. Estne Deus omnipotens? Quis contra omnipotentiam Ejus ratiocinari potest aut audet?" Talia sunt omnia fidei hodiernae, etc.

(22.) Quod homo non possit unicum Divinum Verum invenire, nisi [7]adeat immediate Dominum, causa est, quia Dominus solus est Verbum, et est ipsa Lux et Veritas; et homo non fit spiritualis nisi [8]a solo Domino, [9]sed manet naturalis, et naturalis homo videt omnia in spiritualibus inverse; quod ita sit, ex *Paulo* notum est. Haec causa est quod ne quidem unicum verum in Ecclesia residuum sit, ita quod sit consummatio, desolatio, decisio, et plenitudo. Sed quia usque Dominus non mortuus est, ideo manet usque radix in terra superstes, secundum *Danielem;* tum quod homo velit mori, sed tamen non potest, secundum *Apocalypsin;* superstes inde est facultas quod possit intelligere verum et quod possit velle bonum; hoc est "radix superstes."

(23.) Orthodoxiae hodiernae studiosi objiciunt, quod fides, charitas, bona opera, paenitentia, remissio peccatorum, etc., non possint dari apud hominem prius quam nactus est Spiritum Sanctum; sed, [10]ut ostensum est, Spiritus Sanctus [11]est Divinum procedens a Domino: et Dominus apud unumquemvis hominem, tam malum quam bonum,

perpetuo adest; absque Ipsius praesentia nemo potest vivere; et Dominus [1]continue agit, urget, et conatur ut recipiatur; quare Spiritus [2]Sancti praesentia est perpetua.

In mundo spirituali hoc testatum est apud quendam diabolum, confirmationis gratia, quod praesentia Domini ei auferretur; et diabolus jacuit mortuus, plane ut cadaver: viderunt [3]hoc millia ex spiritibus et ex clericis, et attoniti facti sunt. [4]Ex perpetua Domini praesentia est quod homini sit facultas cogitandi, intelligendi, et volendi; quae facultates unice sunt ex influxu vitae a Domino. Melanchon et Lutherus erant praesentes, et ad id non potuerunt aperire os.

(24.) Quod Reformatio facta sit, fuit unica causa, ut Verbum, quod sepultum [5]jacebat, in mundum rediret. Fuit [6]hoc in mundo [7]plura saecula, sed tandem a Romano-Catholicis tumulatum, et inde non potuit ulla veritas Ecclesiae patefieri; non Dominus [8]potuit sciri, sed Papa loco Domini ut Deus [9]colebatur; sed cum Verbum e sepulcro suo extractum est, potuit Dominus notus fieri, veritas inde hauriri, conjunctio cum caelo dari. Quam ob causam Dominus excitavit simul tot viros qui impugnabant; excitavit Sueciam, Daniam, Hollandiam, Angliam, ut reciperent; et, [ut] non in Germania ex Papa exstingueretur, excitavit Gustavum Adolphum, qui pro Reformatione stabat, et surrexit contra.

(25.) Si hoc opusculum non priori adjiciatur, Ecclesia non sanari potest; foret modo sicut curatio palliativa, vulnus in quo sanies manet, et rodit vicina: orthodoxia est ipsa illa sanies, et Novae Ecclesiae doctrina affert quidem medelam, sed modo extrinsecus.

(26.) Origines omnium errorum in Ecclesia fuerunt, quod crediderint hominem vivere ex se, seu ex sua vita, et quod vita ei increata sit; [10]cum tamen est modo organum vitae, ac in medio inter caelum et infernum, et sic in aequilibrio seu libero arbitrio.

(27.) Quod nemo videre possit desolationem veri in Ecclesia, priusquam veritates ex Verbo in lucem veniunt; [11]et quis haereticus novit aliter quam quod omnia ejus sint veritates? Potest quisque jurare in sua. Est [12]fatua lux,

oriunda ex confirmationibus, in qua luce est naturalis homo, dum spiritualis homo illuminat illum: immo naturalista atheus potest jurare quod Deus non sit, quod utique sit modo vanitas plebis; [1]quare corde suo subsannat Ecclesiae doctores.

(28.) Notum est in Ecclesia, quod Ecclesia sit Corpus Christi; sed hactenus non scitum est quomodo est. Inde est quod universum caelum sit sicut unus homo coram Domino; et hic homo distinctus est in societates, quarum quaelibet refert unum membrum, seu organum et [2]viscus in homine; in quo homine seu corpore, Dominus est anima seu vita. Dominus [3]enim inspirat homines; et cum praesens est, praesens est per caelos, sicut anima per suum corpus. Simile est cum Ecclesia in terris; nam haec est externus homo. Quare quisque per mortem colligitur ad suos in illo corpore, etc.

(29.) Quod illa quae [4]dein memorantur non sint miracula, sed testimonia quod a Domino introductus sim in mundum spiritualem, propter [5]fines (*qui. . . . .*). Quod miracula non fiant hodie (*causae, ...; tum ex Domini verbis, Matth.* xxiv). (*De miraculis Antonii Paduae, et plurium qui pro Sanctis coluntur, quorum miraculis plena sunt monasteria; de miraculis Paris, de quibus duo volumina in quarto.*)

(30.) Quod Dominus in plenitudine temporis venturus sit et judicaturus, intelligitur per Ipsius verba,

> "Quando venerit Filius hominis in gloria sua, et omnes sancti angeli cum Ipso, tunc sedebit super throno gloriae suae; et congregabuntur coram Ipso omnes gentes, et separabit eas ab invicem, sicut pastor separat oves ab hircis," etc. (*Matt.* xxv. 31, 32).

Hic Adventus Domini intelligitur per haec *Symboli Apostolici*, de Jesu Christo:

> "Ascendit ad caelos; sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis; inde venturus est [6]judicare vivos et mortuos;"

etiam [per] hoc in *Symbolo Nicaeno*, de Domino Jesu Christo:

> "Ascendit ad caelos; sedet ad dextram Patris; et iterum venturus est in gloria, [7]judicare vivos et mortuos; *cujus regni non erit finis.*"

(31.) Et quoque in *Symbolo Athanasii:*

"Ascendit ad caelos; sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis; inde venturus est judicare vivos et mortuos. .... Et reddituri [sunt] de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam; qui vero mala, in ignem aeternum" (*Formula Concordiae,* [Lipsiae, 1756,] pag. 1, 2, 4).

[1]Praeterea *Articuli Smalcaldici* similiter docent,—

Jesus Christus "ascendit [2]ad caelos, sedet ad dextram Dei,.... venturus judicare vivos et mortuos,"—

sicut de his *Symbolum Apostolicum*, *Nicaenum*, *Athanasianum;* et *Catechismus* noster, [*Formula Concordiae,*] p. 303, [similiter] docet. Pariter ex *Confessione Augustana:*

"Ascendit ad caelos, ut sedeat ad dextram Patris, et perpetuo regnet et dominetur omnibus creaturis. .... Idem Christus palam est rediturus, ut judicet vivos et mortuos, etc., secundum *Symbolum Apostolorum*" ([*Formula Concordiae,*] p. 10).

Lutherus [similiter docet] (in *Catechismo Minore*, p. 371; *Confess. Aug.*, p. 10, 14).

(32.) Quod [3]non sit venturus ad judicium, ad delendum caelum et terram, patet a pluribus in Verbo, ubi de Adventu Ipsius; ut ubi [4]dicitur,

"Dum Filius Hominis venerit, num fidem inveniet in terra?" (*Luc.* xviii. 8;)

et a [5]pluribus quae adducta sunt in *Vera Religione Christiana* (n. 765); tum quod non venturus sit ad delendum caelum aspectabile et terram habitabilem (n. 768, seq.); sed ad separandum malos a bonis (n. 772, seq.; praeter plura ibi). Simile dicitur in *Fide Symbolica*, quae inserta est unicuique *Libro Psalmorum* in toto Christiano orbe, ubi *Symbolicum Apostolicum* modo effertur. Simile inde in *Psalmis*. Per "vivos" ibi intelligendi sunt qui in charitate et fide sunt, et a Domino vocantur "oves;" per "mortuos" autem, qui non in charitate et fide sunt, et a Domino vocantur "hirci." (*Adde his Apoc.* xi. [6]18; et xx. 12.)

(33.) *Titulus:*

DE CONSUMMATIONE SAECULI ET TUNC ABOMINATIONE DESOLATIONIS.

(*Adducantur quae Dominus dicit,*

1. *De "abominatione desolationis;"*
2. [1]*Quae* [*de "vastatione"*]*;*
3. *Quae Dominus de "afflictione"* [*dicit*].
4. *Quod "nulla caro salvari possit."*
5. *De "obscuratione solis et lunae."*
6. *Quae in Apocalypsi,*

"Ecce vivens, et factus sum mortuus, et ecce vivens sum in saecula saeculorum" (i. 18;)
(Tum [videantur] cap. ii. 8; cap. v. 6);

tum quod Dominus dicit,

Quod "veniet nox quando nemo potest operari" (*Joh.* ix. 4);
Quod "ea nocte duo super uno lecto" (*Luc.* xvii. 34);

tum quae Dominus dicit de Petro,

Joh. xxi. 18;

tum quae Paulus dicit de ultimis temporibus,

1 *Tim.* iv. 1–3: 2 *Tim.* iii. 1–7; iv. 3, 4).

(*Explicetur quod Dominus dicit Matth.* xxiv. 27, *quod ita* [2]*faciendum sit die ultimi judicii; quod* [*dicit*] vers. 30, 31. *Quod ita etiam factum sit, vide Veram Christianam Religionem*, n. 791.)

(34.) Adventus Domini est secundum ordinem quod non prius veniet ver quam post hiemem, non prius mane quam post noctem, quod non gravidae solatium et gaudium quam post dolorem; quod solatia post tentationes, quod sane vivet post mortificationem; sicut et Dominus dicit,

"[3]Nisi granum . . . . moriatur" etc. (*Joh.* xii. 24).

Ipse Dominus ostendit exemplar hujus ordinis, quod Se passus [sit] crucifigi et mori, et postea resurrexit; hoc exemplar significat statum Ecclesiae. . . . . Hoc quoque

involvitur per statuam visam Nebuchadnezari, quod postremo Lapis factus in magnam Petram; tum per quatuor bestias ex mari; [1]tum quod ibi de gente illa horribili; (*quae explicentur;*) per quatuor aetates priscis notas, [2]auream, argenteam, cupream et ferream: per çujusvis hominis aetates, ab infantia ad senectam; est tunc finis vitae corporis; [3]venit vita spiritus, quae est vita tum omnium illorum qui bene vixerunt. Ita etiam est cum caelo quod prius absumetur (*Apoc.* xxi. 1, 2): similiter cum Ecclesia.

(35.) Quod Petro datae sint claves regni caelorum, est quia repraesentavit Dominum quoad Divinum Verum; et hoc intelligitur per "petram" in universa Scriptura Sacra: quare [dicitur],

"Super hac petra" (hoc est, super hoc Divino vero) "aedificabo Ecclesiam meam,"

scilicet, quod Dominus sit "FILIUS DEI VIVENTIS."

(*Ostendetur ex Verbo quod "petra" hoc* [4]*significet.*)
("Petra" in Verbo:—*Exod.* xvii. 6; xxxiii. 21, 22: *Num.* xx. 8–11: *Deut.* viii. 15; xxxii. 4–37: 1 *Sam.* ii. 2: 2 *Sam.* xxii. 2, 3, 32, 47; xxiii. 3: *Psalm.* xviii. 3, 32, 47 [*Bib. Angl.* 2, 31, 46]; xxviii. 1; xxxi. 3, 4 [*B. A.* 2, 3]; xl. 3 [*B. A.* 2]; xlii. 10 [*B. A.* 9]; lxii. 3, 8 [*B. A.* 2, 7]; lxxviii. 16, 20, 35; lxxxix. 27 [*B. A.* 26]; xcii. 16 [*B. A.* 15]; xciv. 22; xcv. 1; cv. 41: *Esai.* ii. 10; xxii. 16; xlii. 11; li. 1: 1 *Cor.* x. 4.)
("Fissurae petrae" sunt falsificata vera:—*Apoc.* vi. 15, 16: *Esai.* ii. 19: *Jerem.* xvi. 16: *Cant.* ii. 14: *Esai.* xlviii. 21: *Jerem.* xxiii. 29; xlix. 16: *Obad.* vers. 3; praeter apud Evangelistas.)

Ita quoque aliqui Patres explicarunt hoc (videatur *Formula Concordiae*, pag. 345).

(36.) Cum solus Filius Homo factus est, et non tota Trinitas, annon sic Essentia Divina, quae est [5]unum et individuum trinum, separata est, seu disunita et divisa?

(37.) Quod Oratio Dominica tota a principiis ad finem spectet hoc tempus, videlicet, ut Deus Pater colatur in Humana Forma: hoc apparet si illa juste explicatur.

(38.) Quod Ecclesiae post Apostolorum tempora lapsae sint in tot haereses, et quod hodie non sint nisi falsae, est causa quia non adiverunt Dominum, cum tamen Dominus

est Verbum, et est ipsa Lux quae illuminat totum mundum; et tamen impossibile est ex Verbo videre unum genuinum verum nisi quod circumobsitum et inquinatum est falsis et cohaerens cum falsis, sicut est navigare ad Pleiades, aut aurum s. quod in centro terrae est eruere: quare, ut vera Christiana religio aperiretur, non potuit aliter quam ut quis in mundum spiritualem introduceretur, et ex ore Domini hauriret genuina vera ex Verbo. Dominus non potest aliquem lumine suo illustrare, nisi immediate adeatur, et pro Deo caeli agnoscatur.

(39.) Quod miracula hodie non fiant, propter causas de quibus in *Vera Christiana Religione* [n. 501]; quare [1]Dominus (*Matth.* xxiv. 24) dicit quod seductura sint. Tum quid communius apud Romano-Catholicos quam implere monumenta sanctorum, et parietes monasteriorum miraculis, quot non laminae aureae et argenteae in monumento Antonii Paduae? Quid non ubi tres Sapientes dicuntur sepulti? [quid non] Pragae? quid non alibi? Quid inde aliud quam elusiones? [2]Tot illis miraculis plus est, quod in mundo spirituali loquor cum angelis et spiritibus, quod descripseram status caeli et inferni, et vitae post mortem, tum quod mihi apertus sit sensus spiritualis Verbi, praeter plura: hoc commercium nulli prius, quantum scio, a Domino concessum fuit:—indicia quod hoc propter novam Ecclesiam, quae corona est omnium Ecclesiarum, et quae duratura in aeternum.—Quod esse in mundo spirituali, videre mirabilia caeli, et miseranda inferni, et ibi in ipsa luce Domini in qua sunt angeli, praestat omnibus miraculis. Testimonia quod ibi sim, videantur in copia in libris meis.

(40.) Quod Ecclesia se in tantis falsis immerserit ut non aliquod verum superstes sit, et quod sit sicut navis naufraga cujus mali summitas solum exstat, est unica causa, quia hactenus non adiverunt Dominum immediate; et cum Ipse non immediate aditur, non potest ullum verum in sua luce apparere: causa est quia Dominus est Verbum, hoc est, omne Divinum Verum in Verbo, et solus est Lux quae illuminat omnes, ut Ipse docet; et omne verum Verbi non lucet aliunde quam a solo Domino. Illa lux est quae intelligitur per spirituale; quare cum illa lux non [3]illi est,

non in intellectu hominis est aliquid spirituale, sed mere naturale: et naturalis homo non videt nisi inverse omnia quae continent [1]spirituale; videt falsum loco veri: quare dum legit Verbum, flectit omnia ibi ad [2]sua falsa et sic [3]falsificat vera, et in his delectatur: nam mens naturalis humana [est] in talibus quae mundi et sui sunt; unice delectatur talibus; quae nisi illis inest lux spiritualis, transfert illa ad talia quae mundi et sui sunt, quae ponit primo loco; et sic non modo fugit spiritualia, et abscondit illa, sed etiam postea subsannat illa. Fides non aliunde est spiritualis, seu vocari potest spiritualis, nisi ex veritatibus quas continet [4]sit in luce a Domino; nisi inde, est fides naturalis, quae non conjungit nec salvifica est.

(41.) Quod in mundo spirituali nemo cognoscat alterum ex solo nomine, sed ex idea qualitatis ejus. Haec facit ut alter praesens sistatur et cognoscatur. Ita et non aliter cognoscuntur parentes a liberis; liberi a parentibus; propinqui, affines, amici, a propinquis, affinibus et amicis; similiter eruditi ex scriptis et ex fama eruditionis illorum; magnates et dynastae a fama gestorum illorum; pariter reges, imperatores, papae; omnes per illa sola. Datum est mihi cum illis loqui, at cum reliquis non [5]dabile est. Ipse spiritus nec aliud est quam sua qualitas; quare [6]etiam quisquis in illo mundo reticet nomen baptismatis ac nomen familiae ibi, sed nominatur secundum qualitatem suam. Inde est quod "nomen" in Verbo non significet nomen, sed qualitatem: sicut dicit Dominus in *Apocalypsi*,

"[7]Habes pauca nomina in Sardibus" ([iii. 4]);

et vere,

"Cognosco nomine tenus" ([vid. *Exod.* xxxiii. 17;])
(Praeter millia alibi, ubi "nomen" dicitur).

Ex his [8]nunc patet, quod nemo habeat Dominum apud se praesentem, nisi sciat Ejus qualitatem; hanc veritates Verbi propalant, nam quot veritates Verbi tot specula et tot ideae de Domino, est enim Ipse Verbum et est Ipse Veritas ut Ipse dicit.—Qualitates sunt duplicis generis: unum genus est cognitionis de Ipso, quod sit Deus caeli et terrae, Filius Dei Patris, unum cum Patre, quod omnia Patris in Ipso sint,—verbo, quod sit Humanum Dei Patris;

alterum genus est cognitionum quae [1]procedunt ab Ipso, —et quae procedunt ex Ipso sunt Ipse; sicut quod docet de Charitate, de Libero Arbitrio, de Paenitentia, de Regeneratione, de Sacramentis, et perpluribus aliis: haec quoque faciunt ideam Domini, quia ab Ipso sunt.

(42.) Arcanum e mundo spirituali est, quod qui non [2]cum idea de Illo directe et immediate adit, non sistatur praesens, et minus tunc potest [3]communicationis recipiens fieri; sed est sicut quis stans a latere, et apparet in obscuro; nec potest quis cum aliquo loqui nisi directe illum intuetur, sed tunc datur communicatio in inspectione reciproca. Sic et non aliter intrabunt ideae in ullum; et si tunc amor est, [4]fit conjunctio. Si ergo quis [5]adit Patrem immediate, tunc stat tanquam a latere; et sic redemptionem dare et largiri non potest, hoc est, non illum regenerare et postea salvare.

(43.) Quod manifestatio Domini in Persona, ac introductio in mundum spiritualem, tam quoad visum quam quoad auditum et loquelam a Domino, praestet omnibus miraculis; quoniam non legitur ullibi in [6]historicis quod tale commercium cum angelis et spiritibus a creatione mundi concessum fuerit. Sum enim cottidie cum angelis ibi, sicut in mundo cum hominibus, et nunc per septem et viginti annos. Testimonia hujus commercii sunt libri a me editi de Caelo et Inferno, et quoque Memorabilia inde in ultimo opere, *Vera Christiana Religio* appellato, tum quae ibi de Luthero, Melancthone, Calvino, deque incolis plurium regnorum, et praeter illa varia testimonia [7]in mundo nota, [8]praeter plura non ignota. Dicite, quis usque prius aliquid novit de Caelo et Inferno?—quis de Statu hominis post Mortem?—quis de Spiritibus et Angelis? etc., etc.

(44.) Praeter illa evidentissima testimonia [addatur hoc], quod sensus spiritualis Verbi a Domino per me [9]sit detectus, [10]qui nusquam prius, postquam Verbum apud filios Israelis scriptum, revelatus est; [11]et hic est ipsum Sanctuarium Verbi; est Ipse Dominus in illo cum Divino suo, et in sensu naturali cum Humano suo. [12]Hic, ne jota quidem, aperiri nequit nisi a solo Domino. Hoc praestat omnibus revelationibus quae hactenus a creatione mundi fuerunt. Per revelationem illam est communicatio homi-

num aperta cum angelis caeli, et facta est conjunctio utriusque mundi; quoniam cum homo est in sensu naturali angeli sunt in sensu spirituali. De hoc sensu videatur quod scriptum est [in *Vera Christiana Religione*] in capite De Scriptura Sacra.

(45.) Correspondentiae per quas Verbum quoad omnia et singula conscriptum est, talem vim et virtutem possident, ut vocari possit vis et virtus omnipotentiae Divinae; nam per illas naturale [1]conjunctim cum spirituali, et spirituale cum naturali, agit; ita omne caeli cum omni mundi. Inde est quod duo Sacramenta sint correspondentiae spiritualium cum naturalibus. Inde illorum virtus et potentia.

(46.) [2]Quid miracula contra illa? Miracula non fiunt hodie, [3]quia seducunt homines, et faciunt illos naturales; includunt interiora [4]eorum mentis, in quibus fides radicari debet; inde mere falsa procedunt (videatur *Matth.* xxiv. 24). Quid miracula [5]in Aegypto facta apud Israelis filios effecerunt? Quid miracula in deserto coram illis? Quid miracula cum ingressi Terram Canaanem? Quid miracula ab Elia et Elisaeo facta? Quid miracula ab ipso Domino? Num quisquam inde spiritualis factus est? Quid miracula apud Romano-Catholicos? et Antonii in Padua? trium Sapientum Coloniae? Et quid innumerabilia in monasteriis, quae picturis, lamellis et donis repletissima sunt? Num inde quisquam spiritualis factus est? Nonne inde facti sunt naturales, usque ut vix in illis [6]aliquod verum Verbi, sed modo [7]externa cultus, [8]quae sunt hominum et traditionum.

(47.) Quod in Christo Deus sit Homo, et Homo Deus, confirmatur tribus vicibus in *Formula Concordiae;* tum ex *Symbolo Athanasii*, ubi dicitur "assumptio [humanitatis] in Deum;" ex Verbo

(*Rom.* xiv. 11; *Coloss.* ii. 9; 1 *Joh.* v. 20, 21);

tum ex Ipso Domino,

Quod Pater et Ipse unum sint;
Quod Pater in Ipso et Ipse in Patre;
Quod omnia Patris sint Ipsius;
Quod sit Vita in Se Ipso;
Quod sit Deus caeli et terrae; etc.

(48.) Quod anima sit intimus homo, et inde secundum

antiquos in toto et in omni parte corporis, [1]est quia principium vitae in anima residet; pars corporis in qua intime non est anima non vivit. Quare est unio reciproca; et inde corpus agit ab anima, non anima per corpus. Quicquid a Deo procedit, est formae humanae, quia Deus est Ipse Homo; inde imprimis anima, quae est primum hominis.

(49.) Nihil communius est, in universo caelo et in universo mundo, quam ut unum sit intra alterum,—ita intimum, medium, et extremum,—et quod tria illa communicent inter se, et quod vis medii et extremi sit ab intimo. Quod tria illa sint, unum intra alterum, constat ab omnibus et singulis in corpore humano. Circum cerebrum sunt tres tunicae, quae vocantur dura mater, pia mater, et arachnoidea; est super illas cranium. Circum totum corpus sunt tunicae, una intra alteram, quae simul vocantur [2]cutis. Circum quamlibet arteriam et venam sunt tres tunicae; similiter circum unumquemvis musculum et fibram; similiter circum reliqua ibi. In regno vegetabili similiter. Quomodo illa [3]inter se communicant, et quomodo intimum intrat medium, et medium ultimum, demonstrat anatomia; etc. Inde patet quod simile sit cum luce; quod spiritualis lux, quae in essentia sua est veritas, intus sit in luce naturali: similiter calor spiritualis, qui in essentia sua est amor, [4]in calore naturali; per calorem naturalem intelligitur amor naturalis, quia amor ille calet; et hic integitur calore sanguinis.

(50.) Omnia quae loquuntur de Spiritu Sancto cadunt dum creditur quod homo non sit Vita, sed modo organum vitae, et sic quod Deus jugiter sit in homine, et [5]conetur, agat, et urgeat ut recipiantur talia quae religionis, proinde quae Ecclesiae, caeli et salutis sunt; [6]quare quod Spiritus Sanctus donetur aut amittatur, irritum est. Spiritus Sanctus enim non aliud est quam Divinum procedens [7]ex Domino a Patre, et hoc Divinum facit hominis vitam et quoque ejus intellectum et amorem, et hujus praesentia perpetua est. Homo sine praesentia Domini seu Spiritus Sancti non foret ut quaedam bestia; sed ei non foret plus vitae quam sali, lapidi, trunco. Causa est, quia homo non

nascitur cum instinctu sicut bestiae; quare pullus unius diei plus novit suae vitae ordinem quam infans.

(51.) Quod liceat confirmare veritates Ecclesiae ratione seu intellectu quantum libet, et quoque per varia in Natura; et quod quantum confirmantur tantum radicentur, ac luceant. Et quoque licet confirmare veritates per Verbum, ubicunque placet, et quoque plura inde applicare; et tunc Verbum non falsificatur. Scripturae dicta, per quae veritates confirmantur, ascendunt in caelum; sunt sicut fumus ex thure: vicissim autem falsitates, si confirmantur ex Verbo, non ascendunt in caelum, sed [1]rejiciuntur, et in via discerpuntur cum fragore; hunc millies audivi.

(52.) Quod manifestatio Domini et immissio in mundum spiritualem praestet omnibus miraculis. Hoc non alicui datum est quemadmodum mihi, a creatione. Homines aurei saeculi quidem locuti sunt cum angelis; sed non datum est illis in alia luce quam [2]naturali esse; mihi autem in utraque simul spirituali et naturali. Per hoc datum est mihi videre mirabilia caeli, interesse angelis sicut unus ex illis, et simul haurire veritates in luce, et sic percipere et docere illas; proinde duci a Domino. Quod autem miracula attinet:—Illa non aliud forent quam laquei ad seducendum, sicut Dominus dicit, *Matt.* xxiv. 24; et sic narratur de Simone Mago,

> Quod dementaverit gentes in Samaria, qui crediderunt illa facta ex virtute Dei magna (*Act. Apost.* viii. 9, seq.).

Quid miracula apud Papaeos aliud quam laquei et decipulae? Quid docent aliud quam ut colantur ipsi ut numina, ac ut recedant a cultu Domini? Num simulacra miraculosa aliud faciunt? Num idola aut cadavera sanctorum in toto Papismo aliud?—Antonii Paduae, trium Sapientum Coloniae, et omnium reliquorum, quorum miracula monasteria opplent? Quid illa docuerunt de Christo? quid de caelo deque vita aeterna? Non unum vocabulum.

(53.) Quod impossibile sit ut aliqua Ecclesia sit, et aliqua religio quae cohaeret, nisi credatur unus Deus. Consequenter quando Divina Trinitas divisa in tres Personae

creditur, quomodo potest terminus metaphysicus, Essentia, facere ex tribus unum?—dum proprietates cujusvis Personae diversae sunt, ita diversae ut dicantur incommunicabiles; et cum aequales Personae propriae per se subsistunt, et una non partem et qualitatem habet in altera, seu alterius personae. [1]At dum creditur quod unus Deus non modo sit Creator, sed etiam Redemptor et Operator, tunc habemus unum Deum; et tunc primum Ecclesia existit et subsistit, et religio vivit. Et haec unio trium non aliter dari potest quam sicut in quovis homine,—anima, corpus, et procedens. Haec tria faciunt unum hominem: quid non [2]Deum, qui est Ipse Homo a [3]primis ad ultima? In libro *De Amore et Sapientia* ostensa sunt haec de Deo Homine, quae videantur; et quod non sit aether, aer, aut ventus. Quod anima cujusvis hominis sit ipse homo inde sequitur.

Quia nunc habemus unum Deum in Ecclesia, qui est Deus Homo et Homo Deus, vocatur illa Corona omnium Ecclesiarum.

(54.) Quod in Christo Homo sit Deus:—*(Ex Formula Concordiae, in tribus locis.)*

(Ex Paulo, Rom. xiv. 11; *Coloss.* ii. 9.)

(Ex Johanne, 1 *Ep.* v. 20, 21.)

(Ex Domini verbis :—

1. Quod Deus erat Verbum, et Verbum Caro factum sit
2. Quod omnia Patris Ipsius [4]sint.
3. Quod [5]omnia Patris ad Ipsum veniant.
4. Quod sicut Pater habet vitam in Se Ipso, ita Filius. ("Vita in Se Ipso" est Deus.)
5. Quod Pater et Ipse unum sint.
6. Quod Ipse in Patre, et Pater in Ipso.
7. Quod qui videt Ipsum videat Patrem.
8. Quod Deus caeli et terrae sit.
9. Quod regat universum. (Ex *Symbolo.*)
10. Quod dicatur "Jehovah Redemptor."
11. Quod dicatur "Jehovah Justitia."
12. Quod dicatur quod Jehovah in mundum venturus sit.
13. In *Apocalypsi* (cap. i.), quod sit "Primus et Ultimus."
14. Verbo, quod sit Deus Pater, qui invisibilis, in Humano quod coram mentibus visibile.)

Quod quia sic unus Deus in Ecclesia, Ecclesia sit Ecclesia, etc., etc. Ex *Symbolo Athanasii :*

Quod Deus et Homo in Christo sit una Persona, sicut anima et corpus; tum quod Humana Natura assumpta sit in Deum.

DE MIRACULIS.

(55.) *(Ex filiis Israelis.)*
(Ex Domini verbis, de Divite et Lazaro.)
(Ex Domini verbis, Matt. xxiv. 24.*)*
De miraculis Papaeis *(quae enumerentur)*.—Quod unice seducant, et non quid doceant, nisi ut invocentur sicut numina, et hoc ob finem ut aurum et argentum conferant ad monasteria, seu ut corradant totius mundi gazas. Miracula plurium illorum; ut Antonii Paduae; ut trium Sapientum Coloniae; ut miraculosa simulacra, ad quae thesauri collecti, ubivis in monasteriis, ubi parietes integuntur picturis miraculorum a suis sanctis, et illorum idolis; ut libri de miraculis Paris et aliorum. Quid aliud quam ut invocentur propter finem [ut] donaria corradantur? Sed quis illorum adhuc docuit viam ad caelum, item veritates Ecclesiae ex Verbo? Quamobrem placuit Domino praeparare me a prima juventute ad percipiendum Verbum, [1]et introduxit in mundum spiritualem, et lumine sui Verbi propius illustravit. Exinde patet quod hoc omnibus miraculis praestet.

Beelschebub fecit miracula prae aliis diis gentilibus, ut patet ex Veteri Testamento; etiam Simon Magus.

(56.) Quod Dominus naturalem Hominem in Se Divinum fecerit, propter finem ut esset Primus et Ultimus, et sic intrare possit apud homines usque in naturalem illorum hominem, et illum ex Verbo docere, ac ducere. Resurrexit enim cum toto naturali seu externo homine, nec quicquam de eo reliquit in sepulcro: quare dixit quod ossa et carnem haberet, quae non spiritus habent; et [inde est] quod ederit et biberit cum discipulis ex cibis naturalibus, et in conspectu illorum. Quod Divinus fuerit, ostendit per quod transierit januas, et invisibilis factus, quod fieri nequaquam potuit nisi ipse naturalis Homo etiam apud Ipsum Divinus factus sit.

(57.) Quod omnia quae ab orthodoxis dicuntur hodie de Spiritus Sancti missione cadant, dum scitur quod Dominus

praesens sit apud unumquemvis hominem jugiter, et det illi [1]ut vivat homo; et quod apud hominem resideat ut obviam eat Domino; et quoque nisi obviam it, usque de illo [habeat] [2]rationalitatem, [3]quae non dabilis est absque praesentia Domini. Si abesset Dominus ab homine, homo non foret bestia, sed quoddam cadaver, quod dissiparetur. Hoc intelligitur in *Genesi*, per

Quod Deus ei inspiraverit animam vivam (ii. 7).

(58.) Quod Dominus sit "[4]Regnum Dei" *(hic ostendatur ex Verbo):* ita quod sit Caelum et Ecclesia.

(59.) Quod maxima vis insit correspondentiis *(ostendatur);* quia in illis caelum et mundus, seu spirituale et naturale, una sunt; et quod ideo Verbum per meras correspondentias conscriptum sit; quare [per] illud est conjunctio hominis cum caelo, ita cum Domino; [5]estque sic Dominus in primis et simul in ultimis. Ideo Sacramenta per correspondentias instituta sunt, quibus ideo Divina potentia inest.

[DE MIRACULIS.]

[*FRAGMENTUM.*]

Quod autem omnia quae spectantur in Natura, in tribus ejus regnis, fiant ex influxu mundi spiritualis in naturalem, et in se sunt mirabilia, quae propter suetos aspectus et perennes recursus non ut miracula reputantur. At sciant quod miracula quae memorantur in Verbo similiter per influxum ex priori illo mundo in posteriorem hunc facta sint; et quod facta sint per illationem talium quae in spirituali mundo sunt, in correspondentia in naturali; sicut quod manna super castra filiorum Israelis quovis mane [descenderet], defluentia ex pane in caelo, in Naturae receptacula illata; similiter panis et pisces in corbes apostolorum, quae tot millibus hominum distribuebant; tum vinum e caelo in aquas in hydris in nuptiis ubi erat Dominus; et quod ficus arefacta sit, per quod non ei amplius sit influxus spiritualis alimenti, qui ex radice nutriebat illam; similiter in reliquis: et quod sic miracula non secundum insanias quorundam eruditorum hodie, ex causis conquisitis e Natura, facta sint. Quare illa sunt omnipotentiae Divinae secundum ordinem influxus mundi spiritualis in naturalem, duntaxat cum hac differentia, quod illa quae actualiter existunt in mundo spirituali actualiter illata sint talibus quae in mundo naturali correspondent; quod ita sit et fieri possit, est omnipotentiae Divinae quae intelligitur per "digitum Dei," ex quo Dominus sua miracula produxit.

Sermone hoc finito, angeli propter illa quae locutus sum me osculati sunt, et dixerunt quod ad conventus suos me aliquoties invitarent; et ego gratias egi, et spopondi reditum; id quando venia datur a Domino.

INDEX LOCORUM SCRIPTURAE SACRAE.

PRAEFATIUNCULA EDITORIS.—*In hoc Indice, non aliter quam in ceteris nostris,*

Notae numeri hujusmodi,....... **1, 3,** *designant* versus ad verbum productos.
Notae generis ejusdem, cum punctis, designant versuum partes :—
Puncta signum antecedentia, **..1,** partem primam non datam indicant;
Puncta supra signum posita, **1̈,** partem mediam non datam indicant;
Puncta signum sequentia,... **1..,** partem ultimam non datam indicant.
Notae hujusmodi,............... *1, 3,* *designant* versus ad verbum non productos.
Interclusae hoc modo,............ (1, 3,) *designant* versus memoratos, sed non allatos.

NOTAE CRITICAE EDITORIS.

Pag.	Sig.	
5	1	UTRIQUE *pro* "ubique" (*videatur* pag. 24, l. 30).
9	1	ABOLETUR *pro* "ABOLITUR"
	2	ATRATUM *pro* "alteratum"
14	1	*illos* pro "*illa*"
	2	*populo* pro "*non populo*"
	3	44 *pro* "43"
15	1	*festinabit* pro "*tardabit*"
	2	42 *pro* "4"
	3	14, 15 *pro* "13, 14, 15"
	4	*ullo* pro "*ulla*"
16	1	*Cum* pro "*cura*"
	2	*suae* pro "*suis*"
	3	xxxii. *pro* "xxxvi."
	4	*beneplacitum* pro "*beneplacito*"
	5	*Jehovah* pro "*et Jehovah*"
	6	*Et* pro "*Non*"
	7	*quod Deus Petra eorum, et Deus excelsus Redemptor eorum* (*Psalm.* lxxviii. 35) pro "*quod Deus Petra mea et Redemptor meus*"
	8	*ut* pro "*et*"
17	1	*facis* pro "*faciam*"
	2	*bestiae* pro "BESTIA"
	3	3, 5, 6, 13 *pro* "3 ad b. 13"
	4	*te Mihi* pro "*Me tibi*"
	5	18, 19 *pro* "8, 9"
	6	ii. 21, 22 *pro* "i. 21, 22, 23"
	7	*dic avi omnis alae* pro "*die omni* AVI ALAE"
	8	*Dominus Jehovih* pro "*Jehovah*"
18	1	*dicit* pro "*dixit*"
	2	***cujusvis*** pro "CUJUSQUIS"
19	1	*Ezech.* xxxii. 8 pro "*Hezek.* v. 25"
	2	v. 20 *pro* "vii. 9"
	3	*gallicinio* pro "GALLINACEO"
	4	3, 4 *pro* "34"
	5	*illam* pro "*illum*"
	6	"*Malum, unum malum, ecce venit*" pro "*Erit dies unus, qui notus erit Jehovae*"

Pag.	Sig.	
17	7	25 *pro* "35"
	8	*venit* pro "*veniet*"
20	1	7 *pro* "9"
	2	10 *pro* "10, 11, 13"
21	1	tunc *pro* "et tunc"
	2	qua *pro* "quae"
	3	quae *pro* "qui"
22	1	qui *pro* "et"
23	1	pertingit *pro* "pertinget"
24	1	hortulanus *pro* "hortulanus est"
	2	inarat *pro* "inaret"
	3	ac *pro* "qui"
	4	*transiit* pro "*transit*"
25	1	omnis *pro* "omnes"
26	1	consequitur *pro* "consequatur"
	2	primus:—*sic, nisi legeris* Primas. *Vide* n. 51.
27	1	significetur *pro* "significatur"
28	1	posteriori *pro* "posterio"
	2	quod *pro* "quae"
	3	nisi *pro* "que nisi"
	4	firmatum *pro* "fixatum". *Vide A. C.*, n. 9346.
29	1	verum *pro* "veram"
30	1	***caelis*** pro "coelis est"
	2	***et*** pro "at"
	3	18–20 *pro* "13 ad 20"
31	1	tam *pro* "tum"
	2	exclusa *pro* "exlusa"
32	1	ex *pro* "est"
	2	quod *pro* "qua"
33	1	20 *pro* "19, 20"
	2	*a* pro "in"
	3	versibus *pro* "versu"
	4	doctrinae *pro* "doctrina"
35	1	Quid *pro* "Quod"
	2	Quid *pro* "Quod"
	3	vitae *pro* "vita"
	4	apparentia *pro* "apparenti"
36	1	spiritualia *pro* "spirituali"
37	1	*ut* pro "*et*"
	2	*sint* pro "*sunt*"
38	1	cardine *pro* "janua"

Pag.	Sig.	
39	1	*quia* pro "quin"
40	1	vitris *pro* "vitis"
	2	videt *pro* "vides"
41	1	propius *pro* "proprius"
	2	et *pro* "est"
	3	hic:—*sic, nisi legeris* "hoc" (*ut Ed. Lond.*, 1780).
42	1	prolaberentur *pro* "prolaberetur"
43	1	quod *pro* "quam quod"
	2	stapede (sto, pes; Anglice, *stirrup;* hic, *stand? stage?*) *pro* "stapide". *Sic, nisi legeris* "stipite".
	3	ac *pro* "ad"
44	1	*Dominus* pro "Jehovah"
	2	*faciens* pro "faciet"
	3	7, 8 *pro* "8, 9"
45	1	*vos* pro "vobis"
	2	Dixistis *pro* "Dixisti"
48	1	*Verba uncis inclusa videantur, Am. Conj.*, n. 75.
	2	campum *pro* "Lucum". *Vide Am. Conj.*, n. 75.
	3	vocant *pro* "vocabant". *Vide Am. Conj.*, n. 75.
50	1	vicinias *pro* "vicinius"
	2	translatum *pro* "translatus"
	3	propius *pro* "proprius"
51	1	infimum *pro* "infernum"
52	1	pelecanus *pro* "Phoenix"
	2	Antiquissimae *pro* "Antiquissimi"
53	1	1–13 *pro* "1 ad 14"
	2	xiv. et xix. *pro* "xix."
54	1	qua *pro* "quo"
	2	qua *pro* "quo"
55	1	ne *pro* "ac"
	2	vita *pro* "vitae"
56	1	referrent *pro* "referrem". *Vide Am. Conj.*, n. 76.
57	1	*mundo* pro "Modo"
59	1	Abrahamo *pro* "Abramo"
	2	repraesentata *pro* "repraesentatus"
60	1	*gravis* pro "graves"
62	1	comparando *pro* "comparandi"
	2	fidei *pro* "fides"
63	1	verbo *pro* "verbi"
	2	*irrigat* pro "*irriget*"
65	1	*haec* pro "*hoc*"
66	1	10–13 *pro* "10, 11, 12"
	2	*devastentur* pro "*devastantur*"
	3	6; tum quoque videatur vers. 14 *pro* "14"
	4	*ex* pro "*et*"
	5	*leges* pro "reges"
66	6	1, 3, 5, 12 *pro* "14. ad 13"
	7	8, 11 *pro* "8 ad 14"
67	1	*palpamus* pro "*palpavimus*"
	2	lix. 2, 5, 7, 9, 10 *pro* "liv. 1 ad 16"
	3	*auditur* pro "audietur"
	4	*nos* pro "vos"
	5	*ex* pro "in"
	6	*eo* pro "*ei*"
	7	*deseruimus* pro "*deseruim*"
	8	*mei* pro "ejus"
	9	*strepitus* pro "*strepit*"
	10	22 *pro* "22, 26"
	11	ut *pro* "et"
	12	33 *pro* "35"
	13	19 *pro* "29"
68	1	2 *pro* "12"
	2	at *pro* "ut"
69	1	*eorum* pro "*suum*"
70	1	ii. *pro* "xi."
	2	47 *pro* "41"
	3	*nam* pro "*num*"
	4	3 *pro* "4"
	5	"*Consummationem et decisionem audivi a cum Adonai Jehovih Zebaoth super universam terram*" pro "*Consummationem et decisionem Adonai Jehovih faciens in Universa Terra*"
71	1	*Dabo* pro "Data"
	2	xxix. *pro* "xxxix."
	3	15 *pro* "29"
	4	27 *pro* "28"
72	1	venisset *pro* "venit"
	2	9 *pro* "10"
73	1	sit *pro* "fit"
	2	illam *pro* "illum"
	3	veniat *pro* "veniet"
	4	qua *pro* "quo"
74	1	*nobiscum* pro "*nobis*"
	2	*sedit* pro "*sedet*"
75	1	5 *pro* "4"
	2	9 *pro* "8"
	3	*Deus* pro "Rex"
	4	*viderunt* pro "*videbunt*"
	5	14, 15 *pro* "13, 14, 15"
	6	*Angelus* pro "Angelum"
	7	1 *pro* "3, 23, 24"
	8	ii. *pro* "xi."
	9	2, 6 *pro* "1 ad 6"
	10	1 *pro* "1, 2"
	11	*tendiculam* pro "*tenticulum*"
	12	*viderunt* pro "*videbunt*"
	13	*effulsit* pro "*effulget*"
	14	1 *pro* "1, 2"
76	1	*morabitur* pro "*moratur*"
	2	ii. *pro* "xi."

Pag.	Sig.	
76	3	*fundationis fundatae* pro "*fundationes fundatu*"
	4	3, 11 *pro* "9, 11"
	5	1 *pro* "14"
	6	13, 15 *pro* "13, 14, 15"
	7	4 *pro* "3"
	8	*dare* (sic Schmidius) pro "*date*"
77	1	*violentia redimet* pro "*evidentia ridemet*"
	2	*omnis* pro "*omnes*"
	3	*Pepigi* pro "*Depeg*"
79	1	sicut a *scripsi pro* "et cur"
	2	corporis mei:—*sic exemplum vetustum cura Aug. Nordenskōld transcriptum. Conf. Adversaria*, n. 476 (*Genesis* xxviii.), *ubi legimus*, "toto corpore seu sensu in corpore"
80	1	ita:—*sic transcriptum ab Johansen;—Nordenskōld legit* "et"
	2	salvari:—*sic Johansen;—Nordenskōld legit* "non salvari"
81	1	interni:—*sic, nisi cum J. legeres* "internum"
	2	et sunt:—*sic J.;—N. legit* "sunt"
	3	dissipantur *scripsi pro* "dissipat"
	4	est:—*sic J.;—N. legit* "erit"
	5	singulis concupiscentiis:—*J. legit* "singulis concupiscentiae";—*N. legit* "singula concupiscentia"
	6	hunc:—*sic J.;—N. legit* "ejus"
	7	illa:—*sic J.;—N. legit* "illum"
	8	cum opera et charitatem:—*J. legit* "seu in opera et charitatem";—*N. legit* "cum non opera et charitatem"
	9	potest enim dicere:—*J. legit* "potest dicere";—*N. legit* "postquam enim"
	10	Non possum bona:—*sic J.;—N. legit* "non possem bonum"
	11	sponte:—*sic J.;—N. legit* "separata"
	12	significet:—*sic J.;—N. legit* "significet etiam"
82	1	temporis:—*sic J.;—N. legit* "tempus"
	2	hoc clare:—*sic J.;—N. legit* "clare"
	3	hoc:—*sic J.;—N. legit* "eo"
82	4	spiritualis amor:—*sic J.;—N. legit* "spirituale"
	5	neque:—*sic J.;—N. legit* "unquam;—*Dr. Im. Tafel scripsit* "nunquam"
	6	in spirituali mundo est:—*sic J.;—N. legit* "est in spirituali mundo"
	7	tamen non est:—*J. legit* "non est tamen";—*N. legit* "non est loco"
	8	et extenso:—*N. legit* "etiam intenso";—*J. legit* "et non in sensu suo";—*Dr. Im. Tafel scripsit* "etiam extenso"
	9	extensum:—*sic J.;—N. legit* "intensum"
	10	consummentur *pro* "consummantur"
	11	consummetur *pro* "consummatur"
	12	ejus usque ad ultimum:—*sic J.;—N. legit* "usque ad ultima"
	13	probat hypothesis:—*J. legit* "probatur hypothesis";—*N. legit* "propter hypotheses"
83	1	aliorumque:—*sic J.;—N. legit* "et aliorum"
	2	in quodam loco et ubi:—*sic J.;—N. legit* "in qua dum haeret cor"
	3	cum tamen illa:—*sic J.;—N. legit* "cum homo ita"
	4	calcem. Est inde:—*N. legit* "calcem est, inde";—*J. legit* "calcem est inde"
	5	in parte:—*N. legit* "pars";—*J. legit* "apud nos"
	6	non sit vita hominis:—*J. legit* "non est vita hominis";—*N. legit* "vita non est hominis"
	7	divulsum:—*sic J.;—N. legit* "diversum"
	8	corticalis:—*N. legit* "cutis";—*J. legit* "calcatae"
	9	subsisterent:—*N. legit* "subsistent";—*J. legit* "subsistant"
	10	ubi tales homines:—*sic J.;—N. legit* "et intus homini"
	11	anima est:—*sic J.;—N. legit* "anima"
	12	sua:—*sic J.;—N. legit* "sit"
84	1	agere ut:—*sic J.;—N. legit* "agat"
	2	et de:—*sic J.;—N. legit* "de'"

Pag.	Sig.	
84	3	venient :—*J. legit* "venirent";—*N. legit* "veniant"
	4	atque in ore :—*J. legit* "utque in ore";—*N. legit* "atque . . .;"—*Dr. Im. Tafel scripsit* "at quae [extus]"
	5	et postea, sicut solet :—*sic J.;*—*N. legit* "et postea . . .";—*Im. Tafel scripsit* "et postea [haec]"
	6	ac inde :—*sic J.;*—*N. legit* "ac"
	7	sicut in situlam :—*sic N.;*—*J. legit* "sicut vivulum,"—vox editori ignota.
	8	subruunt :—*N. legit* "subruuntur";—*J. legit* "subverteret"
	9	qui destruunt :—*sic J.;*—*N. legit* "quae destruit"
	10	crederes *pro* "credere"
	11	quid charitas faciat :—*J. legit* "quod charitas faciat";—*N. legit* "quod charitas faciatur";—*Dr. Im. Tafel scripsit* "quod charitas feriatur"
	12	Est :—*sic J.;*—*N. legit* "et"
	13	subruuntur :—*N. legit* "subruantur";—*J. legit* "suboriantur"
	14	ubi pie praedicatur :—*J. legit* "ubi Verbum pie per praedicationes Verbi";—*N. legit* "alicujus piae prae doctrinis"
	15	et affertur orthodoxia sua :—*J. legit* "et affertur orthodoxia";—*N. legit* "et affert orthodoxiam suam"
	16	et videbis quod [veritates sint] omnia quae viderim et dixerim :—*J. legit* "et videbis, quod omnia, quae viderim et dixerim";—*N. legit* "et videtur quod omnia quae divina ex divinis"
	17	supradictum :—*sic J.;*—*N. legit* "superbe ita"
	18	confirmatur *pro* "confirmatum"
	19	subinvertat :—*N. legit* "subinvertit";—*J. legit* "subinventum"
	20	mundus :—*sic J.;*—*N. legit* "non"
	21	infra mundum :—*sic J.;*—*N. legit* "inferis aemulum"
85	1	influit :—*sic J.;*—*N. legit* "influunt"
	2	non :—*sic J.;*—*N. legit* "nihil"
85	3	Dicitur :—*sic J.;*—*N. legit* "sicut"
	4	sequitur :—*J. legit* "sequi";—*N. legit* "super"
	5	velit :—*sic J.;*—*N. legit* "aliud"
	6	aeterna :—*sic J.;*—*N. scripsit* "aetera;"—*Im. Tafel scripsit* "aethera"
	7	adeat :—*N. legit* "videat;"—*J. legit* "vident"
	8	a :—*sic J.;*—*N. legit* "ex"
	9	sed manet :—*sic J.;*—*N. legit* "sed"
	10	ut :—*sic J.;*—*N. legit* "ubi"
	11	est :—*sic J.;*—*N. legit* "et"
86	1	continue :—*N. legit* "continuo";—*J. legit* "continuate"
	2	Sancti :—*sic J.;*—*N. legit* "sanctus"
	3	hoc :—*sic J.;*—*N. legit* "haec"
	4	Ex perpetua :—*sic J.;*—*N. legit* "Propter"
	5	jacebat :—*sic J.;*—*N. legit* "jacuit"
	6	hoc :—*sic J.;*—*N. legit* "haec"
	7	plura saecula :—*J. legit* "pluris saeculis";—*N. legit* "multis saeculis"
	8	potuit sciri :—*sic J.;*—*N. legit* "patefieri"
	9	colebatur :—*sic J.;*—*N. legit* "coleretur"
	10	cum tamen est :—*sic J.;*—*N. legit* "interna et"
	11	et quis :—*sic J.;*—*N. legit* "quas"
	12	fatua :—*sic J.;*—*N. legit* "futura"
87	1	quare :—*sic J.;*—*N. legit* "quae"
	2	viscus :—*J. legit* "usum;"—*N. habet* ". . ."
	3	enim :—*sic J.;*—*N. legit* "cum"
	4	dein memorantur :—*sic J.;*—*N. legit* "de me morantur";—*Im. Tafel scripsit* "de me memorantur"
	5	fines, qui :—*sic J.;*—*N. legit* "fines"
	6	judicare :—*sic J., et quoque Formula Concordiae;*—*N. legit* "judicans"
	7	judicare :—*sic J., et quoque Formula Concordiae;*—*N. legit* "judicans"

Pag.	Sig.	
88	1	*Hic paragraphus quoad ordinem sequitur Johansen.*
	2	ad:—*sic J., et quoque Formula Concordiae;—N. legit* "in"
	3	non sit venturus:—*J. legit* "non est venturus":—*N. legit* "non"
	4	dicitur:—*sic J.;—N. legit* "dicit"
	5	a pluribus:—*N. legit* "et plura";—*J. legit* "uti plura"
	6	18;—*sic J.;—N. legit* "13"
89	1	Quae [de vastatione]:—*N. legit* "Quae . . .;"—*J. legit* "durentes"
	2	faciendum *scripsi pro* "factum"
	3	"Nisi granum . . . moriatur," etc. (*Joh.* xii. 24):—*N. legit* "homo nisi moriatur";—*J. legit* "suma non moriatur"
90	1	tum quod ibi de gente:—*sic J.;—N. legit* "de gente"
	2	auream, argenteam, cupream, et ferream:—*N. legit* "aurea, argentea, cuprea, et ferrea;"—*J. legit* "aurum, argentum, cuprum, et ferrum;"
	3	venit vita spiritus, quae est vita tum omnium illorum:—*sic J.;—N. legit* "verum vitae spiritus, quae est intro . . ."
	4	significet:—*sic J.;—N. legit* "significetur"
	5	unum et individuum trinum:—*J. legit* "una et individua trinum";—*N. legit* "una et individua trium"
91	1	Dominus:—*sic J.;—N. legit* "Deus"
	2	Tot illis:—*sic J.;—N. legit* "Illis"
	3	illi:—*J. legit* "illis;"—*N. legit* "ibi"
92	1	spirituale:—*sic J.;—N. legit* "spiritualia"
	2	sua falsa:—*sic J.;—N. legit* "suum falsum"
	3	falsificat:—*sic J.;—N. legit* "falsa fiunt"
	4	sit:—*N. legit* "sint;"—*J. legit* "sic"
	5	dabile:—*sic J.;—N. legit* "datum"
	6	etiam:—*sic J.;—N. legit* "et"
92	7	"Habes pauca nomina":—*N legit* "Habeo multa nomina";—*J. legit* "habet miles nomina"
	8	nunc:—*sic J.;—N. legit* "omnibus"
93	1	procedunt:—*sic J.;—N. legit* "procedent"
	2	cum idea:—*sic J.;—N. legit* "unam ideam"
	3	communicationis:—*N. legit* "communicatio";—*J. legit* "communicatum"
	4	fit:—*sic J.;—N. legit* "fiat"
	5	adit:—*sic J.;—N. legit* "videt"
	6	historicis:—*sic J.;—N. legit* "historiis"
	7	in mundo nota:—*N. legit* "in mundo praeter nota";—*J. legit* "in mundo"
	8	praeter plura non ignota:—*J. legit* "praeter multa plura non ignota";—*N. legit* "praeter non ignota"
	9	sit:—*N.* et *J. legunt* "est"
	10	qui nusquam prius, postquam Verbum apud filios Israelis scriptum, revelatus est:—*J. legit* "quae nusquam prius postquam Verbum Israelitarum scriptum et revelatum est;"—*N. legit* "quis unquam prius postquam Verbum Israeliticis scriptis, revelatum est;"
	11	et hic:—*N. et J. legunt* "et hoc"
	12	Hic:—*N. et J. legunt* "hoc"
94	1	conjunctim *scripsi pro* "conjunctum"
	2	Quid:—*sic J.;—N. legit* "Quod"
	3	quia *scripsi pro* "quod"
	4	eorum *scripsi pro* "ejus"
	5	in Aegypto facta:—*sic J.;—N. legit* "in Aegypto"
	6	aliquod:—*N. legit* "aliquid;"—*J. legit* "aliquo"
	7	externa:—*N. legit* "externus";—*J. legit* "externos"
	8	quae *scripsi pro* "qui"
95	1	est:—*sic Im. Tafel;—N. et J. legunt* "et"
	2	cutis:—*sic J.;—N. legit* "cutes"
	3	inter:—*sic J.;—N. legit* "intra"

Pag.	Sig.	
95	4	in calore naturali :—*sic J.;—N. legit* " et calor naturalis "
	5	conetur :—*sic J.;—N. legit* " cuncta "
	6	quare *scripsi pro* " quia "
	7	ex :—*sic J.;—N. legit* " a "
96	1	rejiciuntur :—*N. legit* " rejiciunt ;"—*J. legit* " restituunt "
	2	naturali :—*sic J.;—N. legit* " naturalis "
97	1	At :—*sic Im. Tafel ;—N. et J. legunt* " et "
	2	Deum *scripsi pro* " Deus "
	3	primis :—*sic J. ;—N. legit* " priori "
	4	sint *pro* " sunt "
	5	omnia :—*sic, nisi legeres* omnes
98	1	et introduxit :—*sic J. ;—N. legit* " introduxit "
99	1	ut vivat homo :—*J. legit* " ut vivet homo ";—*N. legit* ". . . hocce "
	2	rationalitatem :—*sic J. ;—N. legit* " residentiam totam . . ."
	3	quae non dabilis est absque praesentia Domini :—*N. legit* " quia non dabilis est ubique praesentia Domini."—*J. legit* " quod non dubium est quin ubique praesentia Domini."
	4	Regnum Dei :—*sic J. ;—N. legit* " Regnum "
	5	estque :—*J. legit* " etque ";—*N. legit* " est "